

CHRONOLOGIA, ET CRITICA
HISTORIAE
PROFANAE, ET SACRAE
IN TOMOS VI. TRIBUTA.

UBI

DE VETERUM POPULORUM, ET URBIUM
MENSIBUS, ANNIS, PERIODIS,
CYCLIS, ET EPOCHIS.

MISCELLANEA ITEM MULTA

DE VARIARUM GENTIUM UBIQUE
ORIGINIBUS, ANTIQUITATIBUS, SCRIPTURIS, TRANSMIGRATIONIBUS, SACERDOTIBUS, TEMPLIS, AEDITUIS, ASYLIS, DIIS, RITIBUS, FESTIS, LUDIS, MAGISTRATIBUS, REGIBUS, LEGIBUS, REBUSPUBLICIS &c.

AUCTORE


F. HIEREMIA A BENNETTIS
CAPPUCCINO

PARS I. TOMUS V.

PRO ADPARATU
AD LECTIONEM SACRORUM LIBRORUM.

ROMAE MDCCLXVIII.
APUD HAEREDES FRANCISCI BIZZARRINI KOMAREK.

SUPERIORUM PERMISSU.



CONSPECTUS

TOMI V.

PROLEGOMENON VII.

NOS FR. JOSEPH MARIA

A SAVORNIANO

VICARIUS GENERALIS

Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci Capuccinorum (I.J.)

CUM Opus, cui Titulus est: *Chronologia, & Critica Historiae Profanae, & Sacrae, Pars prima in VI. Tomos &c.* a R. P. Hieremia a Bennettis Ordinis Nostri ex-Lectore, & Custode Generali elucubratum, a duobus ex Ordine Nostro Theologis de mandato Nostro, sedulò, luculenterque revisum, approbatum, praeloque omninò dignum existimatum fuerit: Hinc praefato ejusdem Operis Auctori permittimus, ut illud, servatis servandis, Typis mandare valeat. In quorum fidem praesentes nostras solito Officii Nostri Sigillo munitas dedimus. Romae hac die 25. Mensis Aprilis 1768.

Fr. Joseph Maria, qui supra.

Loco ✻ Sigilli.

ADPRO-

ADPROBATIO.

De Mandato Reverendiſſimi Patris Joſephi Mariae a Savorniano Vicarii Generalis totius Ordinis Noſtri Fratrum Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum, attentè perlegi Opus inſcriptum: *Chronologia, & Critica Hiſtoriae Profanae, & Sacrae Pars prima in Tomos ſex diſtributa &c.* ab Admodum Reverendo Patre Hieremia a Bennettis Ex-Lectore, & Cuſtode Generali Capuccino compoſitum. Cum autem nihil vel Orthodoxae Fidei, vel Bonis Moribus contrarium invenerim; imò potius eruditione ſumma, & doctrina non vulgari refertum, digniſſimum cenſeo, ut Typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet, dignum videbitur.

Datum ex noſtro Conventu Immaculatae Conceptionis de Urbe die 6. Aprilis 1768.

Fr. Geminianus a Mutina jam Lector, & Ex-Provincialis Capuccinus.

ADPROBATIO.

Juſſu Reverendiſſimi Patris Joſephi Mariae a Savorniano Totius Ordinis noſtri Vicarii Generalis attente perlegi, ac ſedulò perpendi Opus, cui Titulus: *Chronologia, & Critica Hiſtoriae Profanae & Sacrae in Tomos VI. &c.* ab Admodum Reverendo Patre Hieremia a Bennettis Philoſophiae, ac Sac. Theologiae Praelectore, & Cuſtode Generali Capuccino accurata diligentia, magnoque ſtudio elaboratum. In eo verò ne leviſſimum quidem mihi occurrit, quod vel Orthodoxae Fidei, vel Bonis Moribus adverſetur; quinimò tanta Opus eruditione, multarumque notitia rerum adeò refertum eſt; atque Gentium Antiquitates, Origineſque ea in luce collocat, ut Profanae, ac Sacrae Hiſtoriae incumbentibus utiliſſimum fore cenſeam, dignum propterea, quod Typis demandetur, ſi iis, ad quos ſpectat, ita videbitur.

Ab Aede Immaculatae Conceptionis. Romae 1768. die 8. Aprilis.

Fr. Cajetanus a Caltaniſſetta Philoſophiae, ac Sacrae Theologiae Praelector, Ex-Definitor, & Cuſtos Gener. Capuccinus.

IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Dom. Jord. Patr. Antioch. Viceſgerens.



ADPROBATIO.

Reverendiſſimo Patri Thomae Auguſtino Ricchinio Sacri Pal. Apoſt. Magiſtro morem gerens, libenter pervolutavi laborioſum aeque, ac omnigena Eruditione refertum Opus, cui Titulus: *Chronologia*, *& Critica Hiſtoriae Profanae*, *& Sacrae &c.* ab Admodum Reverendo Patre Hieremia a Bennettis Ex-Lectore, & Cuſtode Generali Ordinis Minorum Sancti Franciſci Capuccinorum, Viro praeclaro, & a litteris, ſtudiorumque ſuorum vigiliis commendatiſſimo, elucubratum, & in eo, quod Catholicae Fidei, ac Bonis Moribus adverſetur, deprehendi nihil. Quare dignum publica luce illud cenſeo, utpote Sacrae Profanaeque Antiquitatis, ſaniorisque Critices Studioſis utile ac jucundum.

Dabam e Vaticana Bibliotheca 4. Id. Maji 1768.

Stephanus Evodius Aſſemanus
Archiepiſcopus Apameae.

ADPRO-

ADPROBATIO.

Quintum eximii Operis Tomum a Cl. Patre Hieremia a Bennettis Ordinis Capuccinorum, satis jam noto ob non pauca egregia Volumina in lucem edita, elaboratum, cui Titulus est: *Chronologia, & Critica Historiae Profanae, & Sacrae in Tomos sex tributa &c.* ex Mandato Reverendissimi Patris Thomae Augustini Ricchinii Sacri Palatii Apostolici Magistri attentè legi: nihilque in ipso deprehendi, quod aut Fidei Orthodoxae, aut Bonis Moribus contrarium sit; immo potius demiratus sum non vulgarem Eruditionem, sanioris Criticae usum, totius Antiquitatis peritiam maximam, quibus praestantissimus Auctor res difficillimas, & obscurissimas detegit, exponit, & mirificè illustrat. Quapropter illum praelo omnino dignum, atque Reipublicae Litterariae jucundum, & perutile censeo.

Datum in Collegio S. Bartholomaei in Insula Tyberis pridie Idus Maji MDCCLXVIII.

Fr. Petrus a Valleoctava Controversiarum Lector.

ADPRO-

ADPROBATIO.

DE Mandato Revmi Patris Thomae Auguſt. Ricchinii Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri attente legi egregium Opus, cui titulus: *Chronologia, & Critica Hiſtoriae Profanae & Sacrae &c.*, Auctore P. Hieremia a Bennettis; nihilque in eo reperi, quod Catholicae Fidei, rectaeque morum Inſtitutioni minus conſonum videretur. Opus verò iſtud, in quo maxime relucent Cl. Auctoris ingenium, & ſingularis eruditio, publici juris dignum omnino eſſe cenſeo, cum ſit perutile, imò neceſſarium iis omnibus, qui Chronologiae, & Hiſtoriae tam Sacrae, quam Profanae, ac praecipue vero Sacrae Scripturae ſedulam dant operam. Summam profecto laudem meretur Cl. Auctor apud viros doctos, cultioreſque eruditos, ut unuſquiſque ſepoſito partium ſtudio ex diligenti hujus Operis lectione judicare poterit.


Datum Romae ex Monaſterio Sancti Romualdi die 10. Maji 1768.

D. Aurelius Leoni Monachus Camaldulenſis in S. Florentina Univerſitate S. Theolog. Magiſter, & in Collegio Urbano de Propaganda Fide Philoſophiae Lector.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ordinis Praedicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

DE



DE
POPULIS, ET URBIBUS
IN ORIENTE, ET OCCIDENTE
Νεωκόροις, καὶ Ἀσύλοις
Neocoris, & Asylo Sacris.

PROLEGOMENON VII.

I. GEMINO istiusmodi titulo geminas indicari Populorum. & Urbium illustres Epochas, a Νεωκορία *Neocoria* videlicet,& ab Ἀσύλῳ *Asylo* deductas,non dubium est. Quamvis autem quo demum a cardine hisce cum titulis Epochae hae deducendae sint, in obscuro plerumque lateat, eis de tamen agere ad Epochas Populorum, & Urbium elucidandas tam juvat, quam plurimum interest. Enim vero prisco Urbibus plerisque ubique in more positum fuisse communi se foedere ita conjungi, ut mutuo se se auxilio foverent, adjuvarentque, ac mutuas adversus hostes in aciem copias producerent a finibus propulsandos; quin etiam stato tempore, ac loco mutuiter ad Fana, ad Certamina, ad Festa, ad Judicia confluerent, ignorat nemo, nisi qui profana in Historia adeo rudis sit, & hos-

& hospes, ut omnia ignoret. Inde celebre in *Aegypto* ipsa *Κοινὸν Commune* Graecarum Civitatum Gentis tergeminae *Jonum*, *Dorensium*, & *Aeolum* emersisse tradit Herodotus in *Euterpe*, sive lib.2. p.159, eisque commune fuisse Fanum, Certamen, ac Festum communibus expensis aedificatum, celebratum, actumque; atque ita quidem, ut ad eum Conventum sequentes confluxisse Populos eodem loci perhibeat, ex *Jonia* Chios, Theos, Phocaeos, Clazomenos; e *Doride* Rhodios, Cnidos, Halicarnassaeos, Phaselos; ex *Aeolia* Mytilenos. Inde celebratissimum in *Macedonia* Commune, a quo gemina pridem *Herculi* primum, *Jovi*, seu ipsius filio putato, *Alexandro* secundum publicis aedificata sumptibus Fana, publica dedicata Festa, celebrataque Certamina, unde bis *Neocorae* titulo decorata Macedonica Provincia comparet in Nummis apud Goltzium Tab.XXII; Harduinum Num.illust.p.99, Froelichium in Annal. Reg. Syr. p.3, & in Num.Antiq.cap.6.p.98. sq., & Haymium in Thes. Britan. T.I. p.138. sq. Inde aliud insigne in *Syria Phoenice* Commune, quod *Tyri* frequentari solebat, ex Nummis fit manifestum, in quibus Κοινὸν Φοινίκης legitur, tumque Certamina totius Provinciae celebrata liquet, ut *Heraclia* in *Herculis* honorem in Nummo *Caracallae*, ut *Actia* in *Augusti* Nummo, ut *Olympia* in Nummo *Elagabali* apud Harduinum p.174. sq. Fuit & celebre aliud in *Thracia* Commune *Philippopoli* congregari solitum ad Festa, & Certamina Ἀλεξάνδρεια *Alexandraea*, atque Κενδρέσεια *Kendresia* celebranda, veluti discimus ex Nummis *Antonini Pii*, & *Antonini Caracallae Philippopoli* cusis, quos e Gazis Medicea, Barberina, Gothifredi, Foucaltii &c. in lucem produxere Holstenius in Not. ad Stephanum de Urbib. p.346, & Harduinus p.180, & 617. Erant porro *Alexandraea*, quae a Communi *Jonum* etiam prope Clazomenas edi solebant, Festa in *Alexandri* honorem celebrari solita, teste Strabone lib.14. p.644. *Kendresia* vero Certamina erant decursione Equestri, pedestrique cursu in *Isidis*, & *Apollonis Pythii* honorem *Philippopoli* agitari consueta, velut ex Hesychii, & Constantini Lexico interpretatur Harduinus in Chron. Vet. Test. p.617. Fuisse & vulgatissimum *Phrygiae* Commune alterum e Civitatibus xv. conflatum

flatum edocent nos Plinius Hist. Nat. lib.5. cap.29 sq., ac Cicero Epist. ad Attic. lib.5. ep.21, juncto Goltzio in Thesau.; quarum Urbium Cives ad Commune Judicium, Consilium, Fanum, Certamen, ac Festum convenire solebant modo *Cibyram*, deinde *Laodiceam*, quò translatus postea Conventus est; ubi primus modo *Synnadam*, ubi secundus, modo *Apamaeam*, ubi tertius Conventus agi consueverat; atque ita quidem, ut ad *Cibyraticum*, postea *Laodicenum* Conventum, quo de Strabo lib.13. in fine, Urbes xxv. confluerent; ad *Synnadensem* Populi xxi; ad *Apamensem* Civitates xv. omnino convenirent, queis de infra denuo, velut etiam constat ex Numinis *Neronis*, *Vespasiani*, *Ant. Caracallae*, *Gordiani Jun.*, *Decii* &c. apud Tristanum p.522, Patinum p.392, & Harduinum p.24. sq., ubi Conventuum ejusmodi occurrit mentio. Fuit & celebre in *Jonia* in Mycalis Promontorio Commune *Panionium*, ubi tam Concilium, quam Sacra *Neptuno Heliconio* communia peragi consuevisse testes se praebent Herodotus lib.1. cap.148, atque Strabo lib.14. p.440; videndique Dalecampius ad Plinii lib.5. cap.30, ac De Wilde in Num. Select. Antiq. p.139. Fuisse in *Lydia* Κοινὸν *Commune*, quod Sardibus, opinor, congregari nempe solebat, quo de paullo infra, in Nummo *M. Aurelii* legitur apud Froelichium in Num. Antiq. cap 4. p.48. Neque minus insigne Civitatum in *Lycia* Commune fuit, memoratum Straboni lib.14. edit. Vet. Ant. Mancinel. p.122, indicatumque Plinio lib.5. cap.27, atque Grutero p.1009. n.5; ad quod Urbes xxiii. convenire Strabo; Urbes xxxvi. forte verius xl, Plinius consuevisse tradunt, eamque plane in Urbem, quae commodior videretur, ad communia videlicet Provinciae totius agenda Συςήματα, Negotia, Templa, Festa, Judicia, Ludosque. Atque ita quidem, ut eo in *Communi* suffragii unius dumtaxat jus Urbes Minores haberent, Mediocres duorum suffragiorum, Maximae trium jure potirentur, inter quas sex *Xanthum*, *Pataram*, *Pinaram*, *Olympum*, *Myram*, ac *Tlonum* enumerat Strabo. Neque minus illustre habitum est Κοινὸν *Commune* apud *Eleuthero-Lacones*, Liberos idest Lacones, quibus *Spartam* convenire solemne fuisse scribunt & Strabo lib.8. p.70, & Pausanias in *Laconicis*, sive lib.3.

 cap.21.

cap.21. edit. Kuhn. p.264. ſq., ubi *Laconum* Urbes XVIII, ideſt Gytheum, Teuthronem, Laſum, Pyrrhicum, Caenopolim, Oetylum, Leuctram, Thalamam, Alagoniam, Gereniam, Aſopum, Acriam, Boeaeam, Zaracem, Epidaurum, ſive Limeram, Braſiam, Geronthram, & Marium enumerat, e quibus *Commune* illud conſtabat, quae antea quatuor & viginti fuerant: cujus etiam *Communis* mentio occurrit in Inſcript. apud Reineſium Claſſ.VI. n.120. Fuiſſe & in *Galatia*, cujus Oppida Plinio lib.5. cap.32. recenſentur, adminiſtratio Straboni lib.12. p. 105. ſq. deſcribitur, Commune Σύνεδριον *Ancyrae* congregari ſolitum, cui qui praeerat, *Galatarches* dicebatur, indicant nobis Inſcriptiones apud Gruterum p.410, & 415; in quas conferendus etiam Vandalaeus Antiq. Marm. diſſert.3. cap.3. p. 292. ſqq., docentque Nummi, in quibus *Ancyrae* celebrata *Aſclepia*, *Soteria*, *Iſthmia*, & *Pythia* conſtat. Fuiſſe & in *Myſia* Commune *Lampſaci* conſtitutum, quò Provinciae totius Civitates ad Judicia, ad Feſta, ad Certamina confluere ſolebant, ex Inſcriptione liquet apud Gruterum p.95. n.5, videnduſque Vandalaeus loc. cit. p.296. Inde factum puto, ut hocce mutuo colligatae vinculo Urbes pleraeque in Nummis perſaepe Ἀδελφῶν Δήμων *Fratrum*, aut *Sororum* titulo decoratae legantur, velut *Antiochia*, & *Seleucia* apud Haymium Theſ.Britan. T.I.p.64.ſq., *Heraclea*, & *Tarſus* apud Harduinum in Num. Popul. illuſt. p.166. Quo ipſo Ἀδελφῶν nomine, ob *Concordiam*, quae inter ipſas intercedebat, adpellatas legimus in Seleucide Tetrapolim, Urbes ideſt *Antiochiae*, *Seleuciae*, *Apameae*, & *Laodiceae* Διὰ τὴν Ὁμόνοιαν *Ob Concordiam*, ab uno *Seleuco Nicatore* conditas, a Strabone lib.16. p.1087; *Epheſum* a Dione Pruſaeo Orat.38. p.481. ſq., aliaſque Ariſtidi, velut obſervant Harduinus loc. cit., De Wilde in Num.Select.p.43, ac Maſſonus apud Haymium p.66. ſq.

II. Praeter haec vero *Communia*, praecitatoſque *Conventus* tergeminos *Laodiceae*, *Synnadae*, & *Apameae* frequentari ſolitos, *Juridicos* alios ſex in *Aſia* celebrari *Conventus* conſueviſſe auctor eſt Plinius lib.5. cap. 29. ſq., eoſque ſequenti enumerat ordine, ut IV. *Alabandenſis* eſſet in Caria indi-

indictus, quò Urbes XVI. concurrere solebant, V. *Sardianus* in Lydia, ad quem Populi IX. insignes, aliique ignobiles plerique confluebant; VI. *Smyrnaeus* in Jonia, quo Urbes III. ad minus; VII. *Ephesinus*, ad quem Populi VIII. properare consueverant; VIII. *Adramyttenus*, quem Hellesponti Urbes frequentare solemne erat, Cicerone etiam teste Epist. lib. 13. ep.53, juncto Sigonio de Jure Prov. lib.1. cap.10; IX. *Pergamenus* in Mysia, in quo Populos XII, ignobilioresque plerosque alios Judicio experiri, Ludis contendere, Festisque agere consuevisse auctor est Plinius loc. cit., queis de nobis infra copiosior sermo fiet. Quibusve jungendus videtur Juridicus *Lycaonicus* Conventus, in *Lycaonia* nempe haberi solitus, ubi *Asiatica* Judicia exercita fuisse tradit idem Plinius lib.5.cap.27, eòque confluere videlicet ad Fanum, ad Certamen, ad Festum, ad Judicium, ad Consilium *Philomelienses*, *Tymbrianos*, *Leucolithos*, *Peltenos*, & *Tyrienses* consuevisse subjungit. Memoratu non praetereundum *Commune* in Peloponneso *Calmiriae* statutum, quò ad Fanum *Neptuno* Sacrum confluere septem Civitatibus *Hermoniae*, *Epidauro*, *Aeginae*, *Athenis*, *Prasianae*, *Naupliae*, *Orchomeno*, *Minyae* solemni positum in more fuerat. Neque praetermittendum silentio celebre aliud in *Cypro* Insula Commune, cujusce frequens in Nummis *Claudii*, *Galbae*, *Vespasiani*, *Trajani*, *Sabinae*, *Juliae Domnae*, *Caracallae*, *Macrini* &c. occurrit mentio, in quibus idest Κοινὸν Κυπρίων insculptum apud Goltzium, & Harduinum p. 89. sq. inspicitur. In *Creta* Insula nobile alterum Commune, *Gortynae* congregari solitum, comparet in Nummis *Tiberii*, *Domitiani*, *Trajani*, *Hadriani*, *M. Aurelii*, *Anton. Caracallae* &c. apud Tristanum T.I. p.409, & Harduinum p. 86, ibique *Quinquennalia* Certamina in *Dianae*, aut *Jovis* honorem peragi consuevisse docet vetus Inscriptio apud Gruterum p. 1094. 5. *Byzantii* quoque, cum *Perintho*, & *Athenis*, totius Provinciae *Thraciae* frequentari Conventum, Communiaque agitari Consilia, Judicia, Certamina, Festa antiquum fuisse discimus ex Nummo Augusti, quo de Harduinus p. 37, ex Decretoque *Byzantinorum* apud Demosthenem in Orat. Περὶ Στεφάνου, videndusque Vandalaeus Antiq.

Antiq. Marm. dissert. 6. cap. 1. p. 444. Suum habuit *Commune* Συνέδριον *Pamphylia*, suum *Cappadocia*, suum, illudque celebre Κοινὸν *Cilicia* in Urbe Metropoli *Tarso* constitutum, quò totius Provinciae fieri concursum ad *Jovis* Fanum, Certamina, ac Festa peragenda consuevisse nos docent Nummi *Antonini Pii*, *Commodi*, *M. Aurelii*, *Septimii Severi*, *Antonini Caracallae*, *Ant. Elagabali*, *Alexandri Severi* &c.; ubi quin etiam Ludos *Oecumenicos*, ad quos ex Provinciis omnibus confluere Certatoribus fas erat, *Olympicos*, atque *Triumphales*, ad quos ex Provincia *Ciliciae* tota conveniendi mos erat, discimus ex Nummis *Commodi*, *Caracallae*, & *Alex. Severi*. *Tarso* quin insuper primum dignitatis locum a tribus Provinciis Isauria, Caria, & Lycaonia fuisse delatum liquet ex Nummis *Severi* apud Tristanum T. II. p. 217, & Harduinum p. 165. sq. Caeteris tamen omnibus longe celebrior *Asiaticus* semper habitus Conventus est, ex *Asiae* Civitatibus omnino XIII. constans, Strabone lib. 14. p. 633. teste, (quo sane loco supplendam Lapidum Arundel. Epocha XXVI. lacunam puto), *Ephe-so*, *Mileto*, *Myuo*, *Lebedo*, *Colophone*, *Priene*, *Teo*, *Erythris*, *Phocea*, *Clazomenis*, *Samo*, *Smyrna*, & *Chio*. Cujusmodi tredecim Civitatum *Communis* numerus distincte constat insigni ex Nummo *Antonini Pii* inscripto Κοινὸν ΓΙ. ΠΟΛΕΩΝ *Commune* XIII. *Civitatum* apud Occonem p. 270, Spanhemium de Praest. Num. p. 692, & Harduinum Num. illust. p. 244. sq. Ubi tamen Harduinum eo in Nummo vocem ΠΡΟΔΙΟΝ dividendam esse, ac legendum Π. ΡΟΔΙΟΝ, ideoque Nummum ad *Rhodios*, ubi Π. *Prytanis* fuerit *Claudius Fronto*, fore referendum arbitratum recte, me quidem Judice, refellit Spanhemius in Diatriba de Nummo Smyrn., sive de Vesta, & Prytanibus Antiq. Rom. T. V. edit. Ven. p. 696. sqq., legendumque in Nummo Προδίκος *Prodico*, idest *Procuratore*, ut ista intelligi voce volunt Morellius in Specim. p. 26, & Vaillantius Select. Num. p. 27, qui nempe *Smyrnae* sedens res Sacras, Agones, Civilesque curabat *Communis* XIII. Civitatum *Joniae*; atque Nummum ideo *Smyrnaeis* esse restituendum ex Nummis aliis Gazae Regis Gall., Mediceae, ac Reginae Succiae *M. Aurelio*, & *Antonino Pio* inscriptis osten-

ostendit; qua de re videndi etiam Vandalaeus differt.3. cap.3. p.281. sqq., atque Spanhemius de Num. Praest. dissert. 9. p.791. sq.

III. Inde fiebat itaque, ut Civitatibus ita Communi inter se foederis, Societatisque vinculo colligatis communes fierent ludi *Theatrales*, Agonesque *Gymnici*, Communia Fana, Sacra, Festaque, Communesque forent tractatus de Judiciis, negotiis, atque pactis belli, & pacis, certoque loco, statoque tempore indictum *Communem* ideo ad Conventum foederatae Civitates omnes confluerent. Qui vero Conventui, omnium suffragio electus, praesidebat, is Ἀσιάρχης *Asiarcha* vocari solebat, ut in Inscriptionibus apud Gruterum p.522.1. Qualis *Smyrnae* sedem habuisse legitur tum in Nummis *Commodi*, *Gordiani Jun.*, & *Tranquillinae* apud Spanhemium p.693, Harduinum p.159. sq., & Vandalaeum dissert.3. cap.3. p.279; tum in Inscriptionibus Lapidum Arundel., tum in Epistola Ecclesiae Smyrnensis de Martyrio *S. Polycarpi* apud Eusebium Hist. Eccl. lib.7. cap.14. Qualem *Ephesi* consedisse liquet ex Actis Apost. XIX. 31, ac ex Nummis Ephesi scalptis apud Goltzium p.76, Holstenium in Not. ad Stephanum p.123, & Harduinum p.57. sqq. Qualis *Pergami* demoratus inspicitur in Nummis *Augusti*, & *Faustinae*, *Antonini Pii*, & *Valeriani*, queis de Vandalaeus dissert. 3. cap. 3. p. 279, & Harduinus p.134. sq. Quales fuisse *Cyzici* dignoscimus ex Nummis *Commodi* in Thes. Mediceo, ac Reginae Christinae apud Spanhemium de Praest. Num. edit. Rom. p. 241. sq.; *Trallibus* docet Strabo lib.14. edit. Ven. 1494. p.119; *Philadelphiae* patet ex Inscriptione apud Whelerum Itin. p. 525, ubi Communia *Asiae* habita etiam *Philadelphiae* leguntur. Fuisse *Rhodi* ex Nummo *Antonini Pii* arguit Harduinus, cujusce de tamen Ἀυθεντίᾳ, & sinceritate recte dubitat Spanhemius; *Hypaepi* docet Nummus *Severi*; *Sardis* ex Nummis *Saloninae*, ac *Valeriani* fit manifestum apud Seguinum, Vandalaeum p.279, Harduinum p.145, & Gronovium ad Marmoream Basim Colossi *Tiberii* cap. 15. Antiq. Graec. T. VII. edit. Ven. p. 479. Communia etiam Civitatibus ita foederatis erant Fana, Sacra, Festaque, quae certo publice loco, definitoque tempore celebra-

lebrari, foederatis eò undique confluentibus, solebant: quique iis praeerat, omnium praefectus votis, Α'ρχιερεύς, & Στεφανηφόρης, *Pontifex*, sive *Mysteriarcha* dictus legitur; uti *Smyrnae* in Synodica Ecclesiae Smyrn., qua cum Urbe Ο'μόνοιαν *Concordiam* intercessisse Civitatibus Epheso, Pergamo, Mileto, Laodicea, Nicomedia, Athenis, Cyzico, Lacedaemone, Hierapoli, Tyathira constat ex Nummis a Spanhemio p. 794. sq., Vaillantio, Harduino relatis p. 158. sqq.; *Perintho* quoque singularis docet Nummus *Gordiani Pii* apud Haymium Thes. Britan. T. I. p. 275. Uti *Laodiceae* in Nummis ejusdem Urbis e Cimelio Mediceo laudatis a Spanhemio p. 241. edit. Rom., sive p. 692, & Harduino p. 92, ubi *Samius*, veluti legitur Spanhemio, sive *Sabinus*, veluti legendus videtur Harduino, *Eutyches* Civitatum XIII. Asiae *Archiereus* dicitur; in Vitis Sophistarum apud Philostratum, ubi *Scopelianus* quidam Asiae *Pontifex* ipse fuisse, Majoresque ipsius a Patre ad filium leguntur. Ut *Ephesi* in Nummis apud Harduinum p. 57. sqq., cujus Urbis *Omonojam*, sive foedus cum Pergamenis, Smyrnaeis, Cyzicenis, Hierapolitis, Milesiis, Sardianis, Alexandrinis &c. saepius in Nummis apud Holstenium in Not. ad Steph. p. 123, Choulium p. 78, Petitum de Amazon. p. 134, De Wilde p. 162. &c. occurrit. Ut *Asiae Proconsularis* in Nummis Urbium Lydiae, Joniae, Cariae, Phrygiae, Moesiae, Bithyniae &c., ubi Α'ρχιερέων dignitas frequens occurrit, qua de quoque mentio fit apud Papinianum lib. 8. de *Vacat.*, & *Excusat.*, ac in Inscript. Athleticis Romae in ruinis Thermarum *Titi* repertis apud Gruterum p. 315. 9, & 319. 1, ac Sponium in Miscell. Eruditae Antiq. Suppl. Poleni Antiq. T. IV. edit. Ven. p. 1367, & 1371. n. 104. sqq., ubi Α'ρχιερεῖς Δια βίου *Universae Palaestrae Pontifices*, & *Xystarchae* leguntur *Ulpius Domesticus*, & *Claudius Ruffus*. Eisdem in Conventibus item communia negotia, judicia, leges, foedera, legationes &c. tractare, definireque solemni positum erat in more: quique his praeerat, Civium omnium praepositus voluntate, is Στράτηγὸς, aut Πρύτανις *Strategus*, aut *Prytanis* nuncupari solebat. Quo de Praeside Asiae Civitatibus eligendo sub anni cujuslibet initio, hoc est sub *Aequi-*

quinoctio Autumnali Concio haberi, deque uno e Civibus universis omnium Votis deligendo Concilium indici consuebat.

IV. Non officiebat id tamen, quin a singulis *Asiae* Civitatibus singulis annis suis ex Civibus singularis unus eligeretur *Asiarcha*, sive *Xystarcha*, *Pontifex*, sive *Archieraeus*, *Prytanis*, sive *Strategus*, *Praetor*, sive *Sophista*, *Stephanephorus*, sive *Praeses*, *Hegemonus*, sive *Praefectus*, ab Urbe, cui praefuturus esset, speciali designatus nomine. Cujusmodi *Bithyniae* electus Βιθυνιάρχης, *Galatiae* Γαλατάρχης, *Cretae* Κρητάρχης, *Lyciae* Λυκιάρχης &c. apud Gruterum Inscript. p.415. num. 1, & p.1094. num. 5, Goltzium in Thes., Vandalaeum Antiq. Marm. dissert. 3. cap. 3. p. 273. sqq., & Harduinum Num. Popul. illust. p. 34, 63, 86. &c. Sic & *Ciani* in Bithynia, *Apameae* in Phrygia, *Cebessi* in Lycia &c. ex Nummis apud Spanhemium p. 241. sqq. edit. Rom. eligi consuevisse constat. Sic & *Prytanes* eligi Athenis, Ephesi, Smyrnae, Sardibus, Delphis, Spartae, Naucrati, Sicyonis, Megarae, Rhodi, Paros, Cyzici, Cumae, Lebedi, Lyciae, Insulae Coo, Trojae, Peparathi, Phyllidis, Phoceae, Corinthi, Crotonae, Bosphori Cimmerii, Alexandriae &c. consuevisse indubium sit. Atque ex Josepho quidem Antiq. lib. 14. cap. 10, Demosthene Orat. 1. de Corona, Pausania in Atticis, sive lib. 1. cap. 5. p. 12, Polluce Onom. lib. 8. cap. 9. segm. 85. sqq. p. 905. sqq., de *Athenis*. Ex Inscriptione 98. apud Sponium in Miscell. Erud. Antiq. Sect. 10. Suppl. Poleni Antiq. T. IV. edit. Ven. p. 1359. sq. de *Epheso*. Ex Thucydide lib. 6, Athenaeo lib. 5. p. 186, Marmoribus Oxon. p. 8, 94, 148, & 161, Seguino in Num. Select. p. 27, & 33, ac Sponio Inscript. n. 93. sq. p. 1354. sq. de *Smyrna*. Ex Inscriptione 99. sq. apud eumdem Sponium p. 1359. sqq. de *Sardibus*. Ex Pausania in Phocicis, sive lib. 10. cap. 8. p. 815. sq. de *Delphis*; ubi celeberrimum *Amphictyonum* Conventum, de *Amphictyonis* filii *Deucalionis*, a quo primum institutus ferebatur, nomine dictum, a Graecis fuisse constitutum refert, eoque ad commune Consilium convenire consuevisse Jones, Dolopas, Thessalos, Aenianos, Magnetes, Maleenses, Phtiotas, Dorienses, Phocenses, Locros, & Cnemidas. Quo deinde e Conventu tam

Phocenses, quod *Delphicum* diripuissent Templum, quam Dorienses, quod opem Phocensibus tulissent, amotos fuisse subjungit, ipsisque suffectos Macedones, & Nicopolitas, fuisse vero sua aetate *Amphictyones* numero XXX. De *Sparta* liquet ex Charonda Lampsaceno apud Suidam in Lex. T. III. p. 658, & ex Pausania in Lacon., sive lib. 3. cap. 11. p. 231. sqq. De *Naucrato* in Aegypto Milesiorum Colonia docent Strabo lib.17. p.801, Athenaeus lib.4. p. 149, ac Stephanus de Urbib. p.219. sq. De *Sicyone* discimus ex Pausania in Corinth., sive lib. 2. cap. 4. p. 120. De *Megara* tradunt Pausanias in Attic., sive lib. 1. cap.43. p.103. sq., ac Sponius Inscript. 16. sqq. p. 1301. sqq. De *Rhodo* testantur Appianus de Bello Civ. lib. 4. p.627, Livius lib.42. cap. 45, ac Polybius in Excerpt. Legat. p. 64, 67, & 86. De *Paros* Insula, & *Cyzico* dignoscitur ex Inscriptione n.45. a Sponio relata Miscell. Erud. Antiq. Sect.10. Antiq. Graec. Suppl. Poleni T.IV. edit. Ven. p.1319. sqq. Idipsum colligitur ex Nummis apud Morellium, ac Spanhemium de Vesta & Prytan. loc. cit. p. 698. de *Cuma* in Aeolide. Ex Inscriptione Marmorea apud Whelerum Itin. p.268. de *Lebedo*. Ex Athenaeo lib.8. p.347. de *Lycia*. Ex Sponio Inscript. n.51. sq. p.1321. sqq. de Insula *Coo*; & Inscript. n. 79. p. 1343. de *Troja*. Ex Thucydide lib.3. p.233. de *Peparatho*, ex Cycladibus altera. Ex Apollonio Rhodio lib. 2. vers. 655. de *Phyllido* in Bithynia. Ex Inscriptione n. 83. apud Sponium p.1345. de *Phocea*. Ex Pausania in Corinth., sive lib.2. cap.4. p.119. sq., Eusebio in Chron. Oper. S. Hieronymi T. VIII. edit. Vallar. p.65, ac Syncello in Chronog. p.179. edit. Paris., Ven. p.143. de *Corintho*. Ex Athenaeo lib.12. p.322. de *Crotona*. Ex Diodoro lib.20. p.762. sq. de *Bosphoro Cimmerio*. Ex S. Athanasio in Apolog. T.I. Oper. p.689. de *Alexandria* in Aegypto. Ad haec *Prytanes* eligi consuevisse etiam ab Argivis, Eleis, Eraesiis, Naxiis, Milesiis, Mytilenis, Tenedis, Tharsiis, Tarentinis, Syracusanis &c. certum est, & constans apud Eruditos viros Casaubonum, Harduinum Num. illust. p.145, & Spanhemium de Vesta, & Prytanibus p. 699. sqq. *Strategos* etiam *Smyrnae* electos constat ex Nummis apud Patinum p.167, Tristanum T. II. p. 96, ex Marmoribus Arund. p. 304, ac Sponii Iti-

Itinerario T.III. p.127; *Cyzici* item in Creta docent Nummi *Trajani*, *Anton. Caracallae*, *Tranquillinae*, *Gallieni*, & *Claudii Gothici* apud Patinum p.167, & Harduinum p.87. sq. *Megarae* inter Athenas, & Corinthum mediae demonstrant Inscriptiones apud Sponium n.16, ac 18. p.1301. sqq. *Colophone* in Jonia discimus ex Nummis *Elagabali*, *Gordiani Pii*, *Otaciliae*, *Triboniani*, & *Gallieni* apud Harduinum p. 84. *Thyatirae* ostendunt Nummi *Commodi*, *Septimii Severi*, *Juliae Domnae*, *Getae*, *Saloninae* &c. apud Tristanum p.741, & Harduinum p.70. *Sophistas* item *Laodiceae* creatos innotescit ex Nummis apud Tristanum T.I. p.647; *Athenis*, *Thyatirae*, *Smyrnae* &c. fit manifestum ex Philostrato in Vitis Sophist. lib.2. p.598, ex Adpendice ad Marmora Arund. p.299, Harduino in Num. illust. p. 158. sqq., Sponio Itiner. T. III. p.43, Seguino in Select. Num. p. 74, ac Spanhemio de Vesta, & Prytan. p. 71. sq. *Stephanephoros* rebus fuisse praepositos *Maeoniae* in Lydia docent Nummi *Decii* apud Tristanum T.II. p.595, & Harduinum p.98. Fuisse & *Magnesiae* discimus ex Marmoribus Arund. p.135. Ἡγεμόνοι constituti *Philippopoli* in Thracia in Nummis *Antonini Pii*, *Commodi*, *Ant. Caracallae* &c. comparent apud Occonem p.267. sqq., Seguinum p. 150, & Harduinum p. 179. sq. Ξυςάρχης *Xystharca* praefectus Agonibus *Gortynae* in Creta inspicitur in veteri Inscriptione apud Gruterum p.1094. 5. Sed de his, aliisque hujusce genus apud Graecos Magistratibus fusius sq. Volum. VI, quum de Graecis Epochis sermo fiet.

V. Exinde, ex ejusmodi Urbium *Communitate* videlicet, sicut originem nactae sunt in Elide Peloponnesi juxta Pisam primo, Antiochiae perinde, Alexandriae, Smyrnae, Athenis &c. *Olympiades*; Delphis pridem, Megarae postinde, Alexandriae, Mileti, Sidae, Magnesiae, Perge, Thessalonicae, Philippopoli, Trallibus &c. *Pythiades*; Thebis *Nemeades*, Corinthi *Isthmiades*, aliaque hujusce genus communia alibi Certamina instituta, queis de, prout operis postulabat ratio, abunde, disputatum, opinor super. Volum. IV. Art.I. de Periodis §. IV. sqq. p.9. sqq., sic inde nomen sortitae *Neocorae* sunt, unde analogia haud absimili translatus est Νεο-

κόρων titulus ad *Aedituos*, Sacrarum idest Aedium *Custodes*, queis de loquuntur Inscriptiones n.60, & 79. apud Sponium in Miscell. Erud. Antiq. Sect. 10. p. 1328, & 1343, Lapides Oxon. Par. I. p. 148, Inscriptionesque aliae apud Reinesium Class. I. n. 290, Gruterum p. 1102. 2, p. 314. 1, & p. 85. n. 5, ac Vandalaeum p. 304. sq., uti notatum est Suidae, Etymologo, Aristidi Orat. 1. Sacr., Julio Firmico de Errore profan. Relig. cap. 14, & Matheseos lib. 4. cap. 7, ac legitur in Actis Apost. XIX. 35. juxta Syrum Paraphrastem, videndusque post Vaillantium in Num. Graec. Imp. p. 216 sq., Vandalaeus Antiq. Marm. dissert. 4. de Neocoris cap. 1. p. 299. sqq., *Neocorae*, inquam, Urbes oppido multae, in quibus Templa essent Populi totius Numinibus *Tutelaribus* dedicata, ac totius Provinciae concursu frequentata: ad quae Conventus foederatarum Civitatum quum fieri contingeret, tum Sacrificiis, publicisque votis, tum Festis, Sacrisque certaminibus fieri celebrior solebat. Atque ita quidem, ut quae pluries *Neocorae* factae Urbes fuisse leguntur, easdem, opinor, ut plurimum vel a Fanis pluribus Diis aedificatis, vel a plurimis Festis diversis institutis, vel pluries tam a Templis, ac Festis Diis *Tutelaribus* dedicatis, actisque, quam ab Agonibus, ac Templis in *Augustorum* honorem erectis; peractisque, *Neocoras*, inquam, factas saepius fuisse infra planum fiet: quo pacto explicandos sane puto Nummos inter alios, qui cum *Neocorae* titulo *Severo*, *Commodo*, *Elagabalo* inscripti leguntur apud Patinum p. 351, Morellium Tab. II, Tristanum p. 743, DeWilde in Num. Select. p. 166. &c., *Caracallae* praesertim *Ephesi* cusos, in quibus Ephesus *Dianae* saepe *Neocora* a *Caracalla* facta legitur, quod nempe publicos *Dianae* Agones saepe fieri permisisset. Hinc intelligitur, quare communibus expensis, communique expiatione Templum *Jovi Olympio* in Aelide ab Aetolis fuerit dedicatum, referente Strabone lib. 8. edit. Ven. 1494, quae nunc una mihi est ad manus, p. 68. sq., fueritque aliud *Dianae Multimammiae* Ephesi a Jonibus aedificatum, uti legitur in Actis Apost XIX. 34. sq., ibi Theophylacto juncto: cui jungendus & Strabo lib. 14. p. 116 sqq., sive p. 427, ubi *Ephesi* Delubrum cum *Apollinis*, tum *Dianae* Jonum fuisse commune refert. Et *Ephe-*

Ephesum sane ad Conventum vel remotiores Asiae Civitates, ad Judicia idest, Festa, & Certamina undique confluxisse, veluti Caesareenses, Metropolitas, Cylbianos, Myso-Macedones inferiores, ac superiores, Mestaurenses, Brullitas, Hypepaenos, ac Dioshieritas testis est liquidus Plinius lib. 5. cap. 29. Ejusdem *Ephesi* Ὁμονόια, sive *Concordia* cum *Pergamo*, & *Smyrna* conspicitur in Nummis *Domitiani*, & *Gallieni*; cum *Cyzico* in *Antonini Pii* Nummo; cum *Hierapoli*, ac *Mileto* in Nummis *M. Aurelii*; cum *Laodicea* in *Lucii Veri* Nummo; cum *Trallibus*, ac *Sardibus* in Nummis *Hadriani*, *M. Aurelii*, & *Caracallae*; cum *Alexandria* in *Antonini Pii*, *Caracallae*, & *Macrini* Nummis, queis de Spanhemius p.745, & Harduinus p.6, 57. sqq., & 171. A Delubro itaque *Dianae*; cui sub *Croeso* Urbs obsessa dicata traditur Herodoto lib. 1. cap. 26, unde *Diana Ephesia* denominari cepit, exindeque tantae existimationis fieri, ut Strabone loc. cit., ac Pausania in Messenicis, sive lib. 4. cap. 31. p. 357. testibus, Urbes pleraeque aliae, ac prope ubique omnes eidem Fana, ac Festa statuere religioni duxerint, seque devovere certarint, uti Massilienses, Messenii, Clarii, Hierapolitae, Phanei, Pergaei, Prusaei, Hypaepaei, Amphipolitae, Clazomenii, Gortynii, Cyziceni, Apameenses, Samii &c., velut etiam ex Urbium istarum Nummis innotescit, a *Dianae*, inquam, Delubro dicta Ephesus *Neocora* est, a binis deinde Templis *Dianae*, & *Jovis* bis *Neocora* apud Sponium Itin. Athen., a ternis *Dianae*, *Jovis*, & *Apollinis* ter *Neocora* in Nummis *Caracallae*, *Getae*, & *Gallieni*, a quaternis *Dianae*, *Jovis*, *Apollinis*, ac *Proserpinae* quater *Neocora* in Nummis *Caracallae*, & *Gallieni* apud Harduinum p. 59. sq., videndusque Samuel Petitus in Var. Lection. cap.29. Critic. Sacr. Suppl. T.VII.edit. Francof. p.388. sqq.

VI. Quanta, & quam arcte Graecis universim Urbibus *Tutelares* erga Genios religio, seu verius superstitio inerat, tanta, & tam sedula in id sollicitudine incumbere non parcebant, ut Provinciae totius expensis, & concursu qua Fana, qua Festa illorum solemniter in honorem aut extruerentur, aut agerentur, quo fieret, ut *Neocoriae*, quem summis affectabant votis,

tis, titulum adipisci mererentur. Ita hac de re *Aesculapio* communibus expensis Templum aedificatum in Insula *Coo* communi Popularium consensu tradit Tacitus Annal. lib. 12. cap. 59. edit. Basil. 1544. p. 166. sq. Ita tam *Jovi*, quam *Aesculapio* totius *Joniae* Provincie sumptibus nobile *Smyrnae* dedicatum Templum, summaque habitum religione locupletes se praebent testes Philostratus in vita Polemonis, ac de vita Apollonii lib. 4. cap. 2, & Pausanias in Achaic., sive lib. 7. cap. 5. p. 532, sqq. Atque *Smyrnae* porro *Asiae* totius Communia vice plus simplici celebrata fuisse, nempe Festa, Judicia, Sacra, Certamina leguntur tum apud Pausaniam in Achaicis, sive lib. 7. cap. 5. p. 532. sq., tum passim in Nummis *Severi*, & *Gallieni* apud Tristanum T. II. p. 96, & T. III. p. 93, ac Harduinum p. 159. sq., tum in Inscript. Athleticis apud Sponium in Miscell. Erud. Antiq. Suppl. Poleni T. IV. n. 113. p. 1379, & 1382. Ibi Conventum *Juridicum* magna etiam ab *Aeoliae* parte frequentatum auctor est Plinius lib. 5. cap. 29, juncto Pausania loc. cit.; eòque convenisse praeterea *Macedones*, Hyrcanos cognominatos, ac *Magnetes* in Sipylo. Eidem Urbi *Smyrnae* Ὁμόνοιαν *Concordiam* intercessisse cum *Ephesiis*, *Pergamenis*, ac *Milesiis* constat ex Nummis *Antonini Pii*, cum *Laodicenis*, & *Nicomediensibus* ex Nummis M. *Aurelii*, cum *Atheniensibus*, & *Cyzicenis* ex *Commodi* Nummis, cum *Hierapolitis* ex *Gallieni* Nummo, cum *Thyatirenis* ex Nummo *Gordiani Pii* apud Harduinum p. 70, 158. sqq., cum *Perinthiis* ex singulari *Gordiani Pii* Nummo altero, de quo Haymius in Thes. Britan. T. I. p. 275. sq., (quo in Nummo, aliisque *Septimii Severi*, *Caracallae*, *Getae*, nec non *Alexandri Severi* apud Holstenium in Not. ad Stephanum de Urb. p. 251, Spanhemium p. 826, Harduinum p. 136, ac Froelichium in Num. Antiq. p. 106. ipsa *Perinthus*, quae postea de *Herculis* nomine *Heraclea* dicta legitur, quod ab *Hercule* condita fuerit, nobileque ibi *Heraeum* esset, teste Herodoto lib. 4. cap. 90, videndusque Demosthenes Orat. ad Philippi Epist. p. 65, bis *Neocora*, ob Fana, & Festa tum *Herculi*, quam *Marti* dedicata nempe, denominata legitur.) Igitur a Templo *Aesculapii* titulum *Neocorae* obtinuisse censenda

ſenda *Smyrna* eſt, a gemino *Aeſculapii*, & *Jovis* geminatim *Neocora* in Nummis M. *Aurelii*, & *Antonini Caracallae* dicta conſpicitur, a tergemino *Dianae*, *Jovis*, & *Aeſculapii* Delubro tergeminum *Neocorae* tulit nomen in Nummis *Juliae Domnae*, *Caracallae*, *Severi Alexandri*, *Juliae Mamaeae*, *Gordiani Jun.*, *Tranquillinae*, *Valeriani* &c. apud *Sponium* Itin. Athen. T. I. p. 401, Triſtanum T. II. p. 373, Harduinum p. 159. ſq., ac in Marmoribus Oxon. p 277, & 296. A *Chiis* item cum univerſo *Jonum* Conventu in Inſula *Hectoris* in honorem Commune Sacrum faciendum ſancitum fuiſſe, ac *Tripodem* victoriae praemium delatum refert Pauſanias in Achaicis, ſive lib. 7. cap. 4. p. 532: quo in Conventu primas inter Jones, & Chios obtinuiſſe *Smyrnaeos* ſubjungit; ſed de *Smyrnae Neocoria* adeundus, qui fuſius agit, Vandalaeus in Antiq. Marm. diſſert. 4. de Urbib. Neocoris cap. 3. p. 323. ſqq. Ad haec *Palladi* ad Templum exſtruendum, dedicandumque communibus expenſis, communique devotione *Trojanos* concurriſſe auctor eſt Strabo lib. 13. p. 408, quod ab *Alexandro* Donariis ornatum, & a *Lyſimacho* muro Stadiorum 40. circumdatum ſubdit; ab *Antiocho* quoque, atque a Romano duce magno in honore habitum adfirmat Livius lib. 35. cap. 43, ac lib. 37. cap. 9: indeque *Neocorae* ideo titulo decorata *Troas*, ſive *Ilium* legitur in Inſcript. 79. apud Sponium in Miſcell. p. 1343. In oppoſita quoque Trojano Agro Inſula *Apollini*, inde *Smintheo* dicto, Sacra Aeolica Urbs *Sminthium* illuſtri hocce *Neocorae* titulo decorata legitur in Nummis apud Goltzium, ac Froelichium in Notit. Num. Antiq. cap. 6. p. 113. *Dianae Leucophrynae* nobile a *Magnetibus* ad Meandrum Delubrum totius Populi concurſu aedificatum ſcribunt Strabo lib. 14. p. 445, ac Pauſanias in Attic., ſive lib. 1. cap. 26. p. 62, videnduſque Seldenus in Marm. Arund. p. 153: unde *Magneſia* ab hoc Fano *Neocora* in *Maximi*, & *Gordiani Pii* Nummis vocatur apud Occonem p. 425, Erizzum p. 494, & Vaillantium p. 216. ſq.; & ab altero inſuper *Dei Luni* bis *Neocora* in Nummo *Otaciliae Severae* apud Harduinum p. 97. *Aeſculapio* rurſus totius Provinciae ſumptibus *Pergami* celebre dedicatum Templum fuiſſe diſcimus ex Plinio lib. 5. cap. 30,

Pauſa-

Pausania in Lacon., sive lib. 3. cap. 26. p. 278, Inscriptionibus apud Sponium, ac Nummis apud Harduinum. Et eò sane ad Conventum, Jus dicundum, audiendumque idest, Sacra, Festaque celebranda frequentes confluere Thyatirenos, Mygdones, Mossinos, Bregmentenos, Hieracomitas, Perperenos, Tyarenos, Hierapolitas, Harmatopolitas, Attalenses, Pantacenses, Appollonidienses, inhonorasque Civitates alias consuevisse tradit Plinius lib. 5. cap. 30. *Pergamo* adhaec Ο'μονοιαν plane, sive foedus, communionemque fuisse cum *Sardibus* constat ex Nummo *Augusti* apud Patinum p. 53, cum *Epheso* ex *Domitiani*, & *Commodi* Nummis apud Sponium Itin. Athen., & Harduinum p. 134. sq., cum *Smyrna* ex Nummo *Caracallae* ibid. p. 135. Inde *Neocora* itaque, ab *Aesculapii* Fano idest, in *M. Aurelii*, & *L. Veri* Nummis dicta conspicitur, bis *Neocora* a bino Fano *Aesculapii*, & *Hygiae* in Nummis *M. Aurelii*, & *Antonini Caracallae*, apud Tristanum p. 641, Patinum p. 111, & Spanhemium p. 485, ac ter *Neocora* a ternis *Aesculapii*, *Hygiae*, & *Coronis*, ejusdem *Aesculapii* nempe filiae, ac Matris, fanis in *Juliae Domnae*, & *Anton. Caracallae* Nummis, atque Festis in hisce ter celebratis pro salute *Severi*, *Caracallae*, & *Getae*, sive ternis Fanis hisce *Severi*, *Caracallae* & *Getae* honori dedicatis apud Sponium Itin. Athen. T. I. p. 414, Patinum p. 118, & Harduinum p. 135. Tam quoque *Neocorae* titulo, in honorem *Dianae*, in Nummis *Caracallae* apud Vaillantium, Harduinum p. 179, ac Froelichium in Num. Antiq. p. 85, decorata legitur *Philadelphia* Urbs in Lydia, quam Ludorum solemnitate insignita. Atque ita quidem ut Philadelphiae *Communia Asiae Festa* celebrari solerent, velut insignis habet Inscriptio apud Georgium Whelerum Itin. p. 525. Κοινα Ασιας Εν Φιλαδελφεια. Quod sane *Philadelphia* nomen Festa a Fratrum *Caracallae*, & *Getae* concordia tulisse, tum ex Nummo, in quo duo hi Caesares togati conspiciuntur, tum inde, quod eadem festa *Perinthi*, atque *Niceae* agi solerent, auguratur Harduinus in Num. Popul. illust. p. 136.

VII. Fanis hisce, Festisque *Tutelarium* Geniorum honori dedicatis, agitatisque cum de iis benemereri, tum eorum

de

de nomine bene audire Graeci ubique quammaxime gestiebant. Quò factum propterea, ut *Apollini Triopio* communibus Provinciae totius expensis nobile *Cnidi* in Caria a Doriensibus Templum aedificatum fuerit, ubi Sacrorum fieret Societas, Civiliumque firmaretur quin imo communio, ubi & *Dorios* ludos *Nymphis*, *Apollini*, ac *Neptuno* communiter a Doriensibus in *Triopio* celebratos memorant Herodotus lib. 1. cap. 144, Dionysius Halicarn. lib. 4, ac Scholiastes Theocriti ad Idyll. 17. v. 69. Inde factum itidem, ut *Synnadae* in Phrygia *Jovi* Delubrum haud ignobile Provinciae totius frequentia dedicaretur. Quò sane frequentatum *Phrygiae* concursum, fieri secundo Conventum, Urbesque convenire XXI. consuevisse testis accedit Plinius lib. 5. cap. 29; Provinciae vero Conventui Praeses *Jupiter* statui, institui que solitus legitur in Nummis *Domitiani*, & *Nervae* apud Patinum p. 166, & 172. Sed & *Synnadae* totius Doridis, Joniae, & Aeoliae in Templo *Jovis* communia Sacra, & Certamina frequentata fuisse constat ex veteri Nummo Cimelii Regis Gall. apud Tristanum T. II. p. 202, & Harduinum p. 162. *Neptuno Heliconio* quoque in *Prienensi* Agro Templum, *Panionium* Herodoto lib. 1. cap. 148. dictum, insigne publicis *Joniae* totius aedificatum sumptibus; ac duodecim *Joniae* Urbium dedicatum suffragiis, ibique solemnem a Jonibus agitatam fuisse panegyrin tradunt Herodotus loco ante dicto, Strabo lib. 14. p. 438, ac Mela lib. 1. cap. 17. *Proserpinae* alterum *Sardibus* in Lydia Fanum aedificatum inde liquet, quod eò ad Conventum, hoc est ad Certamina, ac Festa concurrisse Maeonios, Macedones, Caduenos, Lorenos, Philadelphenos, Tripolitanos, Antoniopolitas, Apollonoshieritas, Mysomolitas, aliosque ignobiles Populos refert Plinius lib. 5. cap. 29. Ibi celebratum item *Asiae* totius Commune visitur in Nummis *Drusi*, & *Germanici* apud Harduinum p. 149. *Sardibus* insuper Concordia inita cum *Amasenis* conspicitur in Nummo *Claudii* apud Patinum p. 102, cum *Paphiis* in *Hadriani* Nummo apud Harduinum p. 149, cum *Ephesiis*, ac *Pergamenis* ibid., cum *Philadelphis* in Nummo *Severi* ibid. A *Proserpinae* Delubro idcirco *Neocora* dici meruit, a gemino deinde *Proserpinae*, ac *Veneris Paphiae* dicatis *Caracal-*

lae, & *Getae* geminum *Neocorae* retulit titulum in Nummis *Septimii Severi*, ac *Juliae Mamaeae* apud Occonem p.408, Harduinum p. 149, & Froelichium in Num. Antiq. p. 1107; a tergemino *Proserpinae*, *Veneris*, ac *Palladis*, aut *Plutonis* tergemino *Neocorae* decorata nomine legitur in *Antonini Caracallae*, *Gordiani Pii*, *Saloninae*, ac *Valeriani* Nummis apud Occonem p. 137, Sponium Itin. Athen., Vaillantium Num. Graec. p.110, & Harduinum p. 149. sq. Ad haec *Dianae* in Pamphylia a *Pergeis* nobile publicis aedificatum fuisse Fanum expensis abunde discimus ex Cicerone in Verr. 1, & 14, Strabone lib.14. p.667, ac Mela lib.1. cap.14: unde *Neocora* in Nummis *Valeriani* dicta *Perge* legitur apud Occonem p.475. sq., ac Spanhemium p.782. Neque minus, quam *Ephesiae*, Dianae *Pergeae* Templum *Asylo* Sacrum fuisse, antiquissimum testatur Tullius Verr. 1, adparetque ex Nummis *Gallieni*, *Saloninae*, ac *Valeriani*. *Pergaeis* insuper *Omonojam* cum *Apolloniatis* intercessisse fit evidens insigni ex Graeco Musei Reginae Christinae Nummo relato a Falconierio in dissert. de Nummo Apameae Graec. Antiq. T. X. edit. Ven. p.696., & cum *Sidetibus* fit manifestum ex Nummis *Gordiani*, & *Gallieni* memoratis Spanhemio de Praest. Num. p.879, ac Cellario Geogr. Antiq. T.II. lib.3. cap. 6. §. 12. p. 189. Sed eo sane longe celebrius *Laodiceae* in Phrygia communibus Provinciae totius expensis Templum *Jovi*, ipsis *Veritatis Amico*, in Nummo *Augusti* cognominato, fuisse excitatum liquido ostendit tum ejusdem Urbis *Omonoja*, sive Communio cum *Adramytto*, & *Epheso* in *M. Aurelii*, & *Elagabali* Nummis apud Harduinum p.92; cum *Smyrna* in Nummis *L. Veri*, & *M. Aurelii*; cum *Antiochia* Cariae, & *Nicomedia*, (quae ipsa Urbs a *Neptuni* fano, Pomponio Melae lib.1. cap.19. memorato, *Neocorae* tulisse nomen legitur in Nummis apud Froelichium de Num. Antiq. p.103, qua de rursus infra), *Nicomedia*, inquam, in *Commodi* Nummis ibid.; tum in eadem Urbe Conventus Phrygiae totius frequentatus, qui primus, eòque translatus e *Cibyra*, refertur Plinio lib. 5. cap. 29, tum confirmant ibidem cusi Nummi inter alios *Commodi*, *Severi*, & *Caracallae*, in quibus a trino *Jovis*, *Dianae*, & *Aesculapii*

pii Templo ter ideo *Neocora* denominata legitur apud Triſtanum T.II. p.185, Holſtenium in Not. ad Steph. p.187. ſq., & Harduinum p.92.


VIII. Graecanicae iſtiuſmodi Tutelares erga Genios totius Provinciae religionis inſigne aliud proſtat in *Apamea* nobili Phrygiae Civitate altera, ubi *Dianae* pariter celebre aedificatum fuiſſe Fanum Phrygiae totius expenſis inde haud obſcure dignoſcitur, quod ibidem tertium Provinciae totius frequentatum, Civitatum xv. nempe, fuiſſe Conventum; (ſecundus namque *Synnadae*, ac primus *Laodiceae* fieri conſueverat); liquido docent nos Cicero Epiſt. ad Attic. lib.5. ep.21, ac Plinius lib. 5. cap. 29. Atque ita quidem frequentatum iſtiuſmodi Conventum inde diſcimus, ut *Laodiceam* Hydraelitae, Themiſones, Hierapolitae; ut *Synnadam* Lycaones, Appiani, Eucarpeni, Dorylaei, Mydaei, Julienſes, aliique ignobiles Populi xv; ut *Apameam* Metropolitae, Dionyſiopolitae, Euphorbeni, Acmonenſes, Pelteni, Silbiani, inhonoraeque Civitates ix. reliquae, Plinio eodem loci teſte locuplete, confluere ad Conſilium, ad Fanum, ad Certamen, ad Feſtum, ad Judicium conſueſcerent. *Apamea* itaque *Neocora* a delubro *Dianae* denominata legitur in Nummo *Severi* ab Harduino ſervato p. 25; videndique Holſtenius in Not. ad Stephanum de Urbib. p.39, & Falconerius in Diſſert. de Nummo Apamenſi Graec. Antiq.T.X. p.678. ſqq. *Alabandae* in Caria Urbis haud ignobilis a *Care* aedificatae, deque ejuſdem filii *Alabandi* nomine nuncupatae, celebre eidem *Alabando* Templum communibus Provinciae totius expenſis exſtructum, communique totius Populi devotione dedicatum, indeque *Neocorae* titulo decorata Civitas, dignoſcitur ex Cicerone de Nat. Deor. lib.3. cap.15, ac Stephano de Urbib. p.22, quibus *Alabandus*, veluti *Deus*, aut *Heros* Alabandis habitus refertur; ex Nummis *Augusti*, *Liviae*, *Claudii*, *Neronis*, *Juliae Domnae*, *Antonini Caracallae* &c. apud Ligorium, Spanhemium p. 644, Triſtanum T. I. p. 200, Gothifredum, Holſtenium p. 22, & Harduinum p. 11, in quibus *Alabandus* Zεus titulo inſignitus, aut *Herois* figura ſcalptus conſpicitur; ac ex Plinio lib. 5. cap. 29, quo loci *Alabandam* ad Conventum, ideſt ad Fanum,

 ad

ad Certamen, ad Festum, ad Consilium, ad Judicium convenire Hynidos, Caramos, Troezenes, Phorontes, Othronienses, Halydienses, seu Hippinos, Xystianos, Hydissenses, Apollonitas, Trapezopolitas, Aphrodisienses &c. consuevisse auctor est. Auctor est etiam Strabo lib.14. p.454. in altera nobilissima sane Cariae Urbe *Stratonicea*, quam Macedonum, nempe Syromacedonum, fuisse Coloniam, Syrisque a Regibus pretioso exornatam adparatu subjungit, cuique de *Stratonicis Antiochi Soteris* conjugis nomine adhaesisse cognomen adnotavit Stephanus de Urb. p.304, in quave Urbe *Tiberii* temporibus *Jovis*, ac *Triviae* religionem tuitam fuisse, cultamque testatur Tacitus Annal. lib.3. cap.62, geminum fuisse pridem *Hecatae* unum dedicatum, *Jovi Chrysaoreo* alterum Fanum, utrumque vero *Cariae* toti commune, vicissimque ad utrumque frequentatam Provinciae totius fuisse Πανηγύριν Conventum, ad Festa nempe, Certaminaque peragenda. *Aesculapio* nobile *Adramytti* in Mysia, Atheniensium olim Coloniae, Strabone lib.13. p.417. teste, Templum a *Mysenis*, Populisque finitimis aliis praeterea aedificatum, ibique Festa peracta inde liquido patet, quod ibidem *Hellesponti* Urbium frequentari Conventum consuevisse refert Plinius lib.5. cap.30, ac Cicero haud obscure indicat Epist. lib.13. ep.53. Inde *Neocorae* itaque nomen obtinuit, ac deinde bis *Neocorae* a bino *Aesculapii*, & *Hygiae* filiae Fano in Nummo *Alexandri Severi* apud Spanhemium p.908, & Harduinum p.6. Ter *Neocorae* vero titulo non defraudanda *Cyprus* Insula procul dubio fuerat; ubi utpote tria pridem *Veneri Paphiae* ab Aeria, *Amathusiae Veneri* a filio Amatho, & *Jovi Salaminio* a Teucro posita Templa tradit Tacitus Annal. lib.3. cap.63. edit. Basil. 1544. p.73. Ita & a nobili *Jovi* Sacro Fano *Neocorae* titulo nobilitata *Trichorium* in Aetolia Urbs legitur in Nummis apud Goltzium, ac Froelichium Num. Antiq. p.118. A Templis itaque Tutelaribus passim totius Provinciae Numinibus dedicatis, ac Populorum concursu frequentatis, aut a Festis publicis ad eadem Fana totius Provinciae Conventu, sumptuque publico agitatis *Neocorarum* titulum Urbes plerasque ubique retulisse ex hactenus disputatis, infraque plurimis adhuc disputandis abunde, opinor, fit evidens.

IX. Ve-

IX. Verum enim vero postquam ad *Augustum* rerum penes omnium Romani Orbis pervenit summa, perindeque eò adulationis Romanos erga *Augustos* Populorum superstitio pervenit, ut inter *Divos* illos referre, divinumque illis deferre cultum haud exhorrescerent, illorum pariter in honorem Fana erigere, Festa instituere, Philone referente in Legat. ad Cajum, seque ideo Augustorum *Neocoros* adpellare tam certatim gestivere, quam superbe gloriari non destiterunt. Quo tamen pravo in exemplo praeivisse, eòque processisse stultitiae, & audaciae tum *Macedoniae*, tum *Joniae*, tum etiam *Thraciae* Κοινων *Communium* erga *Alexandrum M.* superstitio, & adulatio dignoscitur, ut eidem vivo, defunctoque Fana, & Festa, *Alexandraea* inde denominata, fuerint dicata, institutaque, velut ex supra dictis fit manifestum. In Macedonum porro Nummo apud Patinum p.14. haec Κοινον Μακεδονων Β. Δισ Νεωκορων Epigraphe legitur; in aliis vero apud De Wilde Select. Num. p.18. sq., Harduinum Num. Popul. illust. p.99, Froelichium Num. Antiq. p.98. sq., Cuperum Epist. 3. ad Vandalaeum Lett. de Crit., Litter., Hist. &c. p.499. sq. cum *Herois* capite, qui *Hercules* aliquibus, *Alexander M.* Harduino, ac De Wilde, teste Constantino Porphyrogeneta advocato, *Caracalla* Froelichio, & Cupero videtur, Κοινον Μακεδ. Νεωκ. Β, aut Β. Νεωκ., aut Δ, aut Δις Νεωκ. dumtaxat habetur. Negotium itaque facessit littera Β. anteposita Δις in Patini Nummo: atque ea Β littera Βασιλεων, quod sui Macedones juris essent, designari censet Vandalaeus in Epist. ad Cuperum. Macedoniam vero *Secundam*, (quippe a *Paulo Aemilio* quatuor in Provincias Macedoniam fuisse dispertitam, adeo ut I. Metropolis esset *Amphipolis*, II. *Thessalonica*, III. *Pella*, IV. *Pelagonia*, scripsit Livius lib.45. cap.29.), ea Β littera indicari existimat Cuperus, argumento inde ducto, quod in Nummis aliis tum apud Goltzium Tab. XXII, tum geminis sui juris Μακεδονων Πρωτης, & Μακεδονων Δευτερας *Prima*, & *Secunda* legatur. Cui favent opinioni Nummi tres alii e Cimelio Vindobòniensi Froelichio producti, ubi tum Macedonum Πρωτης *Primae*, tum Δευτερας *Secundae*, tum etiam Τεταρτης *Quartae* legitur Epigraphe. In quibus *Prima*, *Secunda*, & *Quar-*



Quarta, (signati *Tertia* Nummi hactenus visi haud sunt), integris siquidem litteris Macedonia descripta conspiciatur, inde fit, ut sigla B *Secunda* designata non fuerit. Quare conjecturam expromens alteram Cuperus, ea B littera Macedones *Berboeos* fortasse designatos fuisse suspicatur. Quae tamen suspicio inde quoque concidit, quod aliis in Nummis *Berboeorum* Macedonum integra expressum nomen Epigraphe legitur apud Spanhemium Epist. 3. ad Morelium, De Wilde p. 132. sq., Froelichium in Num. Antiq. p. 45. &c. Itaque littera illa B Βουλὴν *Senatum*, sive *Consilium* designatum fuisse opinor, quod nempe Communi a Macedonum Senatu, sive Consilio Δ *Dis*, sive *Bis*, veluti siglam explicant hancce Spanhemius, Vandalaeus, Harduinus, De Wilde, Froelichius &c., non quater, uti Δ. littera significari putant La Carry, & Cuperus, quandoquidem Δις in aliis saepae Nummis distincte legitur, *Bis*, inquam, in *Herculis*, ac deinde *Alexandri* honorem, sive duo aedificata fuerint Templa, quorum sane duobus in Nummis apud Goltzium, ac Spanhemium effigies scalpta conspicitur, sive duo Festa *Olympia*, & *Alexandraea*, qualia Nummis in aliis memorata leguntur, procurata fuerint: unde *Bis* dici *Neocori* Macedones meruisse videntur, sive quod prius *Herculi*, postea *Alexandro*, sive pridem *Alexandro*, postinde *Antonino Caracallae*, vel ut aliis magis arridet, *Alexandro Severo* gemina aut exstructa Fana, aut Festa agitata fuerint. Atque hinc fortassis *Antiochum* IV, *Ptolemaeum* VI. *Philometorem*, *Demetrium* I, & II, *Cleopatram* Senior., *Antiochum* XII, &c. se Θεὸν, aut Θεὰν adpellandi, Divinos idest affectandi honores incessit libido, velut ex ipsorum Nummis adparet superba hac insignitos Epigraphe apud Harduinum in Chron. Vet. Test. p. 577. sq., 580, 588, 599, 609. sq., Froelichium in Annal. Reg. Syriae p. 45. sqq., 61. sqq., 95. sqq., 113. &c., Vaillantium Hist. Reg. Syr. p. 195. sqq., 337. &c., Haymium Thes. Brit. T. I. p. 51, 72. sqq., 95. &c. Quo loci Θεὸς, ac Θεὰς in Asiae, & Aegypti Regum Nummis unam ex patre, avo, proavo, abavoque originem significari imaginatus Harduinus refellitur a Cupero Epist. 3. ad Vandalaeum p. 501.

X. Quae perinde insana Romanos ad Imperatores ambitio,

tio, Divinos scilicet affectandi honores, transiisse videtur, Populosque ita adfecisse, ut Imperatores adulandi gratia, in Deorum censum ipsos referre haud fuerint veriti. Atque ita quidem *Julio* Caesari Templum *Ilii* a Trojanis aedificatum, dedicatumque fuisse adparet ex Nummo apud Rubenium in dissert. de *Neocoris* Urb. Antiq. Rom. T. XI. edit. Ven. p. 1352. sq., & Vandalaeum Antiq. Marm. dissert. 4. cap. 2. p. 312; ubi in parte antica *Ilium* Δις Νεωκόρον inscribitur, in postica vero cum *Palladii* effigie *Julii* quoque nomen inspicitur. Quo patet *Ilienses* bis *Neocoros* dictos fuisse, non a *Pallade*, ac *Aenea*, uti Rubenio visum, nec ab *Aenea*, & *Caesare*, uti censet Vandalaeus, sed a *Pallade*, ac *Julio* Caesare, ut ego puto. Eodem insuper erga Imperatores adulationis aestu, affectuque in Nummis *Augusti*, *Caligulae*, & *Claudii* Θεὸς illos titulo *Ilienses* decorare fuisse delectatos adparet. *Romam* quin etiam Θεαν inscribere nomine *Ilienses* in *Caligulae*, & *Caracallae* Nummis haud veriti leguntur apud Harduinum p. 74. *Romae* item Urbi, tamquam inter Deas sacrato Numini, se non secus ac *Isidi* patrio Genio devovisse, eamque loco *Isidis* pro *Dea* habuisse *Elaitas* in Aegypto patet ex Nummo insigni Graeco apud Falconerium in dissert. de Num. Apam. Graec. Antiq. T. X. edit. Ven. p. 696, qui parte in anteriori inscriptionem habet ΘΕΑ ΡΩΜΗ, in posteriori *Isidis* effigiem exhibet. Urbis *Romae* rursus, veluti *Divae* cuidam Delubrum consecratum tum primum a *Smyrnaeis*, anniversariosque Ludos tum post ab *Alabandensibus* fuisse agitatos locupletes accedunt testes Tacitus Annal. lib. 4. p. 96, ac Livius lib. 43. cap. 6. Eidem *Romae* itidem, *Palladis* more indutae, *Deae* nomen in veteri Pictura Romae prope Amphitheatrum reperta tributum legitur apud Sponium in Miscell. Erud. Antiq. Suppl. Poleni T. IV. p. 475. sq. Sic etiam Syros, quibus prae superstitionis aestu cum *Sidon*, tum etiam *Hieropolis* superbo Θεᾶς decorata titulo legitur in Nummis apud Harduinum Num. Popul. illust. p. 72, 155. sq., & in Chron. Vet. Test. p. 610, 780. sq., & Froelichium Annal. Reg. Syr. p. 91, 108, 113, 115, & 117. &c., in Num. Antiq. p. 88, & 112, Syros, inquam, *Amorii* in Phrygia imitati *Deae* titulo *Romam* decorare in Urbis Nummis,

mis, quos e Museo Vindoboniensi Froelichius protulit in Num. Antiq. cap.6. p.73. delectati & ipsi sunt. Ab *Augusto* ipso perinde *Julio* Patri, *Herois* cognomento donato, Templum *Romae* aedificatum fuisse, aedificarique *Ephesi* in Asia, & *Nicaeae* in Bithynia fuisse permissum refert Dio lib. 51. p. 458. Qui perinde auctor est, confirmatque Tacitus Annal. lib. 4. cap.37, sive p.89, quò etiam facit L. 25. Cod. de *Appellat.*, Graecis eumdem *Augustum* ultro citroque indulsisse, ut sibi etiam in Bithynia *Nicomediae*, & in Asia *Pergami* Templa publicis aedificarent expensis, ludosque agerent. Ita etiam in *Augusti* honorem in Palaestina cum *Samariae*, ante Sebaste, tum *Caesareae*, ante Turris Stratonis, ab *Herode* Templa aedificata, & *Quinquennalia* fuisse certamina dedicata tradit Josephus Antiq. lib. 15. cap. 10: cujusce *Sebaste* positi Templi Aedituus *Sebastophantes* adpellatus legitur in FragmentoMarm. apud Sponium Miscell. Erud. Antiq. p. 24, sive apud Gutberlethum in Conjectaneis ad Monum. Heriae Thisbes &c. Antiq. Roman., & Graec. Suppl. Poleni T. IV. edit. Ven. p. 356. In *Traconitide* item ab *Herode*, in Urbe *Paneade*, deinde *Caesarea* dicta a *Philippo* Tethrarca, Delubrum aliud in honorem *Augusti* aedificatum, dedicatumque scribit Josephus Antiq. lib. 15. cap. 12, ac de Bello lib. 1. cap. 16. A Templo autem illo *Augusto* consecrato in Civitatem deinde religionem etiam derivatam fuisse, atque Cives se *Augusti Neocoros* adpellare, eumque Θεȣ̃ *Dei* titulo decorare tam delectatos fuisse, quem religioni, honorique duxisse patet ex Nummo *Augusti* Paneade scalpto, in quo Templi effigies comparet cum Epigraphe Καισαρεων Φιλιππολιτων Νεοκορων apud Occonem p.71, & 82, Goltzium Tab.74, & Holstenium in Not. ad Steph. p.154. sq., alteroque *Macrini* apud Holstenium ibid., ac Tristanum T. II. p. 292.

XI. Provincias alias magno certatim ambitu impetrasse, ut *Augusto* vivo, mortuoque Aras, ac Templa statuere fas esset, ibique Provinciae totius concursu, religioneque Sacra, ludosque Quinquennales peragere liceret, auctor est Svetonius in *Octavio* cap.59, qui cap.97, & in *Claudio* cap.45. in Deorum numerum utrumque relatum refert. Et a Gallis utique Lug-

Lugduni *Augusto* Delubrum cum Inscriptione Gentium LX. Galliae fuisse dedicatum *Julio Antonio*, & *Fabio Maximo* Coss., idest ante Christi natalem anno 10. testis est Strabo lib.4. p.132. sq., cujus Arae, ac Delubri *Augusti* Lugduni positae mentio pariter fit a Svetonio in *Claudio* cap.11, Dione lib.54. sub finem, Juvenale Satyr.1. vers.44, ac in Vet. Inscriptione apud Gruterum p.13. n.15. Quin etiam Gallos *Augusti Numini in perpetuum colendo* se obligasse adparet ex Inscriptione Arae Narbonensis apud Gruterum p.229. Ab Hispanis *Augusto* in vivis adhuc agenti in Colonia Tarraconensi Ara dedicata, ac mortalitatem expleto Templum aedificatum legitur apud Quintilianum Instit. Orat. lib.6. cap.4, ac Tacitum Annal. lib.1. p.27, visiturque in *Augusti* Nummis Epigraphe *Dei*, aut *Aeternitatis Augustae* scalptis apud Antonium Augustinum Dialogo 2. edit. Rom. p.25, Patinum p.61, Cellarium Geogr. Antiq. T.I. lib.2. cap.1. sect.3. §. 104. p. 112, & Harduinum Num. illust. p.164, & Hist. Aug. p.703. sq. In Asia vero Romanis nedum a Civibus ibi Colonis, sed a Provinciis integris, Urbibusque certatim *Augustis* Templa, & Altaria aedificata, dedicataque fuisse locuples accedit testis Dio lib.51. p.458. Ejusmodi fuere *Augusto* exstructa Fana, praeter ea, quae *Nicomediae* a Communi Bithyniae, ac *Pergami* a Communi Asiae posita sunt, *Athenis*, ubi *Jovis Olympici* Templum jam pridem inchoatum, ac communibus Provinciae expensis perfectum *Augusti* genio dedicatum fuisse refert Svetonius in *Octavio* cap.60; *Ancyrae* in Galatia, seu verius *Smyrnae* in Asia, ubi sibi positum Templum *Augustus* ipse in Edicto pro Judaeis ad Provincias apud Josephum Antiq. lib.16. cap.10, vet. edit. Lauri cap.6. indicat: ubi nempe Edictum hoc in loco nobilissimo reponi jubetur, qui suo nomini dedicatus fuerat a Communi *Asiam* verbis hisce Τῦ Κοινῦ τῆς Ἀσιας ἐν Αργύρῃ, quae postrema verba nullum siquidem efficiant sensum, ideoque Ruffino veteri Josephi Interpreti fuerint praetermissa, sic interpretanda Scaligero de Emend. temp. lib.5. p.445. visa sunt, ut Αργύρῃ loco legendum Αγκύρῃ *Ancyrae* putaverit. Quamquam Scaligeri, quem pone sequuti plerique sunt, lectio haud probata est Samueli Petito Var. Lect. cap.29. Critic.

Sacr. edit. Francof. T.VII. p.388. sq., idcirco quod *Ancyra* Galatiae Urbs fuit, non Asiae, ad quod alioqui Κοινον, *Commune*, *Augusti* Edictum fertur inscriptum, datumque ad Asiae Proconsulem *Norbanum Flaccum*, ac proinde τὸ Α'ργύρῃ haud fore mutandum in τό Α'γκύρῃ, sed solo accentu mutato rescribendum tantum esse ἐν Α'ργυρῆ in *Stela* idest, sive in *Tabella*, ut sensus sit Edictum in Tabella reposita in Templo, sive in Templi Columna descriptum fuisse: namque revera Edicti exemplar in Caesaris Templo exaratum subdit Josephus Ετηλο γραφήθη ἐν τῷ Καισαρος ναῷ; ideoque Κοινον *Commune* illud Asiae, non *Ancyrae*, sed *Smyrnae* consederit. A *Tejis* etiam Templum *Augusto*, Tutellari veluti Numini, dedicatum legitur apud Morellium Tab. XX.

XII. Imperatorum tam Manibus, quam Nomini Romae Templum aliud, illudque fortasse, quod primum *Julio*, ac perinde *Augusto* positum fuerat, atque illis praecipue, qui Deorum numero fuissent adscripti, dedicatum fuisse insignis docet Inscriptio Romae in Hortis Palaestrinis reperta, qua Collegii *Aesculapii*, & *Salutis*, seu *Hygiae* Instituta continentur apud Sponium in Rei Antiq. Select. Quaest. dissert. 23. Antiq. Rom. Suppl. Poleni T.IV. edit. Ven. p.539. sqq. Romanis itidem Imperatoribus Templum tam *Asopi* in Laconica, quam *Delphis* in Phocide positum fuisse memoriae prodidit Pausanias lib. 3. cap. 22. p.267, ac lib. 10. cap. 8. p.816. De Templo in Urbe quoque sua *Tiberio* aedificando ingenti ambitionis aestu undecim *Asiae* Civitates in Senatu decertasse, atque Templum quidem Imperatori, Matri, Senatuique ponere omnibus indiscriminatim fuisse permissum, non etiam Templorum *Asyla* statuendi, Urbibusque *Ateleja*, sive *Eleutheria*, sive *Autonomia* indistinctim fruendi facultatem, licentiamque factam, sed ea de indulgentia pugnantes qua Deorum religione, qua priscis Regum indultis, qua Romanorum pactis, foederibus, ac beneficiis, prae Ephesiis, Magnetibus, Aphrodiensibus, Stratonicensibus, Hierocaesareensibus, Cypriis, Pergamenis, Teniis, Sardianis, Milesiis, Cretensibus, Samiis, Cois, Lacedaemoniis, Messeniis, Segestanis, Hypaepenis, Trallianis, Laodicenis, Halicarnasseis, Iliensibus, vicisse Senatus Consulto *Smyrnaeos*, caussa vero exci-

excidisse Cyzicenos, quin eos *Eleutheria* mulctatos, quod inchoatum sub *Augusto* Templum nondum sub *Tiberio* absolvissent, testes accedunt locupletes Aristides in Epist. ad Imperat. Antoninum, & Commodum, Dio lib.57. p.619, ac Tacitus Annal. lib.3. cap.40. sqq., & lib.4. cap.34. sqq., ubi ab *Hispania* ulteriori legatione ad Senatum missa oratum subjungit, impetratumque, ut *Asiae* exemplo, Delubrum *Tiberio*, ejusque Matri dedicaretur. Eidem *Tiberio* superbo Θεός, non secus atque *Juliae* Θεᾶς, titulo adulati *Mytileni* leguntur in Nummo apud Harduinum in Chron. Vet. Test. p.578. *Claudio* etiam ab *Asiae* Communi Delubrum consecratum fuisse documento sunt Nummi, in quibus ejusdem Delubri tutela *Ephesiis* demandata legitur. Ubi observandum eas Urbes *Neocoras* utique semel, bis, terque, quaterque a Fanis, ac Festis in *Augustorum* honorem aedificatis, agitatisque denominari deinde cepisse, quae in eisdem Nummis cum Νεοκορῶν titulum etiam Σεβαςῶν *Augustaearum* usurpasse dignoscuntur ad earum discrimen, quas a Geniis Tutelaribus dumtaxat *Neocoras*, absque addito, dictas constat. Etsi veri illud mihi videatur similius Urbes, ut plurimum ab utrisque, tam idest *Tutelaribus* Diis, quos *Augustorum* Genios Ethnica caeca superstitio effingere solebat, quam ab *Augustis* ipsis Tutelares inter Deos ideo relatis *Neocoras* se una simul adpellari voluisse. Queis prae aliis *Hadriano* plurima in *Asia* Fana dedicata fuisse, ejusque in honorem ubique passim *Hadrianea* festa instituta scribit Spartianus in Hadr. p. m. 174. sqq.; *Athenis* illum Aram sibi posuisse; *Antinoo* Pelusii Apotheosim statuisse; *Tarracone* in Hispania *Augusti* aedem restituisse; & in Gallia *Nemausi Plotinae Trajani* conjugi Basilicam struxisse subjungens. Quorum pleraque Fana, *Hadriano* defuncto, adhuc imperfecta Christiano ritu postea fuisse dedicata, veluti *Tiberiense*, & *Alexandrinum* referunt S. Epiphanius advers. Arianos cap.2. Oper. T.I. p.728, Socrates lib.7. cap.15, ac Liberatus in Brev. cap. 18, ubi Basilica *Caesarea* nuncupatur, videndusque Casaubonus ad Hist. Aug. Scriptores. Illud prae aliis insigne *Hadriano Ephesi* Fanum erectum ab *Asiae* Communi legitur in Inscriptione cum Arundeliana, tum Farnesiana, ubi Ἐφεσῶν Ἀδρια-

ναα memorantur : quae Festa indicio sunt profecto indubio Fani itidem aedificati : unde *Ephesii* antea *Neocori Hadriani*, bis deinde *Neocori Antonini Pii*, ter, quaterque *Neocori Antonini Caracallae* in eorum Nummis dicti adparent : queis de rursus infra. Inde *Smyrnaei* etiam, qui prius *Tiberii Neocori* fuerant, *Hadriano* quoque Templo aedificato, bis *Neocori* dici impetrarunt, teste Philostrato in vita Polemonis Sophistae, liquetque ex Lapide Oxon., ubi Senatus Consulto *Smyrnaei* ab *Hadriano* impetrasse *Neocoros* bis fieri leguntur. Sic Nicaeae *Commodo*, Tutelari veluti Numini, dedicatum Fanum visitur in Nummo apud Morellium Tab.XXII. Sic *Ephesi Severo*, *Caracallae*, & *Getae*; sic *Laodiceae*, *Commodo*, *Severo*, & *Caracallae*; sic *Pergami Anton. Caracallae*, ac *Getae*, aliaque alibi, queis de supra abunde dictum, infraque dicetur, Fana dicata ex Nummis fit manifestum. Ad haec Romae in Matris honorem *Faustinae*, (quae ambitioso Θεᾶς decorata titulo in Nummo legitur apud Harduinum Chron. Vet. Test. p.772, non secus atque *Drusillae* eumdem Θεᾶς cognomen a *Mylesiis* fuisse delatum ex Nummo liquet altero Harduino p.578. relato), in honorem, inquam, *Faustinae* sicut ab *Antonino Pio Faustinianas*, sic ab *Alexandro Severo Mamaeanas* fuisse institutas refert Lampridius, *Puellas* idest ambarum cultui dicatas, ambarumque nomine factas imo *Diaetas* adfirmans : videndique, qui de Neocoris Urbibus fusius agunt, Albertus Rubenius Antiq. Rom. edit. Ven. T.XI. p.1350. sqq. in Diatriba de Neocoris, eodemque de argumento differens Antonius Vandalaeus Antiq. Marm. differt.4. cap.4. p.334. sqq.

XIII. In lineam nunc reflectendo, atque *Neocoras* ad Urbes referendo pedem, ob haec principio *Tutelaribus* Provinciae Diis, ac postmodum *Augustis* Tutelares inter Provinciae Divos ambitiose translatis dedicata Templa, Festa instituta, agitataque Certamina, *Neocoriae* titulo Urbes longe alias passim ubique plures decoratas fuisse puto. Quo pacto componi mihi facile videntur Doctorum virorum opiniones, quorum alii, ut Vaillantius in Num. Graec. p.61, & 267, Graevius, Rubenius de Urb. Neoc., Spanhemius &c., Urbes bis, ter, aut quater *Neocoras* sub uno, eodemque Imperatore factas infician-

ciantur; alii ex adverso, veluti Cuperus in Epist. I. ad Vandalaeum Lett. de Crit., Litt., Hist. &c. p.478. sqq., ipseque Vandalaeus cit. differt.4. de Neoc. cap.4. p.335.sqq., sub uno, eodemque Imperatore unam, eamdemque Urbem pluries *Neocoriae* titulo fuisse insignitam pugnant; ita nempe vel a Fanis, vel a Festis aut eidem pluribus Imperatori aedificatis, aut in ejusdem Imperatoris honorem pluries agitatis, aut plurimis, aut Imperatoribus plerisque exstructis, aut in ipsorum honorem, aut plerumque celebratis, Urbes *Neocorae* titulo decorari meruisse opinor. In *Aegypto* itaque *Neocorae* nomine decoratae nobis occurrunt Urbes *Cassanores* in Nummo *Vespasiani*, & *Proxenopolis* in Saitidis Nomo, de qua Plinius lib.5. cap.9, in *Titi* Nummo apud Goltzium p.228, Holstenium in Not. ad Steph. p.262, & Harduinum p.81, & 141. In *Mesopotamia Anthemusia* in Nummo *Elagabali*, qui Deae *Syriae* Turritae sedenti antistare visitur armatus, *Leone* hinc inde ejusdem Deae Cathedrae assidente, ex Pyrrho Ligorio descripto a Luca Holstenio in Not. ad Steph. p.35, ac Cellario Geogr. Antiq. T.II. p.620, *Neocora*, a Templo Deae *Syriae Elagabalo* dedicato videlicet, denominata legitur. In *Philistaea* Urbs *Gabatha* Josepho Antiq. lib.5. cap.1, ac Stephano de Urb. p.77. dicta, II. Reg. v.25. *Gabaa*, & III. Reg. xv. 27, ac xvi. 15. *Gabbethon* denominata, *Neocorae* titulo insignita comparet in Nummo *Claudii* apud Goltzium p.215, Holstenium loc. cit. p.77, & Harduinum p.60. In *Phoenicia Schirphes* in *Claudii* Nummo altero *Neocora* & ipsa legitur inscripta apud Goltzium p.232, & Harduinum p.157: quod argumento est utique *Claudio* utrobique aut Fana dedicata fuisse, aut Festiva ipsius pro incolumitate vota nuncupata. In *Macedonia Herculi* primum, e quo se genus pridem traxisse Macedonum Reges persuasum habebant, ut Plinius indicat lib.4. cap.10, *Jovi* perinde, sive ipsius filio putato *Alexandro* Κοινου *Macedonum* Commune duo erexisse Delubra constat ex Nummis, in quibus ideo *Macedonum* idem Commune B, vel ΔIS bis Νεωκόρων legitur apud Goltzium Tab.XXII., Harduinum p.99, & Froelichium Annal. Reg. Syr. p.3: qua de re supra dictum est. *Thessalonica* a bino *Apollini* Pythio, & *Cabiro* Tutelari Genio

Genio dedicato Templo, sive a *Jovis*, ac *Palladis* in honorem celebratis, indeqne *Caji*, & *Saloninae* gratia fortasse peractis, Festis, bis *Neocora* inscripta conspicitur in Nummis *Caji*, & *Saloninae* apud Goltzium p.234, ac Tristanum T.III. p.111. In *Thessalia* quoque *Phalores*, Livio lib.32. cap.15. *Phaleria*, & lib.36. cap.13. *Phaloria* denominata, in *Neronis* Nummo *Neocorae* titulo decorata legitur apud Goltzium p.225, & Holstenium p.240. Sed & Urbes in *Thessalia* duo aliae, *Thestidium*, ut a Stephano de Urb. p.136, ac in Nummis dictum legitur, sive ut melius Straboni lib. 9. p.431, ac Euripidi in Prologo Andromachae v.20, *Thetidium* in Nummo *Caji* Caesaris apud Goltzium p.234, atque *Spalatra* in *Neronis* Nummo, quo de Goltzius p.233, Holstenius p.303, ac Vandalaeus cit. dissert.4. cap.2.p.321, *Neocoriae* privilegio insignita utraque comparet. In *Thracia* vetus olim Urbs *Perinthus*, quae ab *Hercule* condita, *Heraclea* inde dicta est, Ptolemeo lib.3. cap.11, Zosimo lib.1. cap.6, & Ammiano lib.22. testibus, ad Mare posita, Diodoro lib.16. cap.77, referente post Constantinopolim Thraciae Urbs primaria, tradente Procopio de Aedif. Justin. lib.4. cap.9, Jonumque Colonia olim fuit; cuique fuisse cum *Smyrna* Ὁμόνοιαν, sive *Concordiam* adparet ex Nummis *Anton.Caracallae*, & *Gordiani* apud Sponium Itin. Athen., & Erizzum p.515, semel, & bis *Neocora* legitur nuncupata in Nummis *Septimii Severi*, *Caracallae*, ac *Getae*, *Severi Alexandri*, & *Gordiani Pii* apud Gothifredum, Holstenium in Not. ad Steph. p.251, Spanhemium p.826, Goltzium in Vet. Graec. Tab.XXVI, Tristanum T.II.p.80, & 188, Sponium Itin. Athen., Haymium Thes.Brit.p.275, Patinum p.120, Harduinum p.136, & Froelichium Num Antiq. p.106, tam videlicet ab *Heraeo*, Fano *Herculi* dicato, de quo Herodotus lib.4. cap.9, ac Demosthenes in Orat. ad Philippi Epist. p.65, alteroque *Marti* aedificato, quae duo in Nummis Templa comparent, quam a geminis Festis, videlicet *Actiis*, & *Pythiis*, ac *Philadelphiis*, quae in eisdem Nummis notata leguntur, quaeque Festa sane tum primum in *Actii*, ac *Pythii Apollinis*, atque *Philadelphii Bacchi*, a Vini natalibus ita nuncupati; tum perinde in Imperatorum honorem fuisse peracta, indeque semel, iterumque

que

que *Neocoros* inscriptos *Perinthios* fuisse perspicuum inde, praeterea fit, tum quod in Nummo *Trajani Nervae* Θεον Σεβαςον *Divi Augusti* se cultores *Perinthii* gloriantur; tum quod in honorem *Severi* ΣΕΥΗΡΕΙΑ ΠΡΩΤΑ *Severiana Prima* Certamina *Perinthi* celebrata in Nummis *Severi*, & Φιλαδελφεια Certamina *Philadelphia* in honorem *Caracallae*, & *Getae* peracta in eisdem *Caracallae*, & *Getae* Nummis *Perinthi* cusis adparent. Facit & huc insignis, quae *Perinthi* adhuc inspicitur Templi Metropolitani parieti inserta, refturque corrupta quidem Seldeno in Marm. Oxon. p.55, integra vero Bullialdo in Not. ad Ducae Histor. p.225.edit.Paris.,Ven. Byzant. T.XIX. p.175, Inscriptio *Septimio Severo* dicata, a quo Byzantii Urbe solo aequata Jurisdictio in *Perinthum* translata fuit, Dione Nicaeno teste, a *Perinthiis* posita, in qua Collegii Νεοκορῶν mentio fit. *Philippopolis* etiam Urbs in *Thracia* altera, *Datos* olim dicta Harpocrationi, Herodoto lib.9. cap.74, Eusthathio ad Dionysium Perieg. p.74, & Stephano de Urb. p.93, *Eumolpias* postea, Ammiano Marcellino teste, quam a *Philippo* conditam falso credidit Leunclavius in Pand. Hist. Turcicae cap.33, refutatus ab Holstenio in Not. ad Steph. p.345.sq., in Nummis *Caracallae*, & *Elagabali Neocora* inscripta conspicitur, a *Mercurii*, opinor, Templo ibi expresso apud Holstenium p.346, & Harduinum p.180.

XIV. Graecis atqui Civitatibus quammaxime ambitio isthaec diu ante insedisse, haesisseque a Fanis *Tutelarium* Geniorum cultui dedicatis, atque Festis illorum in honorem institutis, indeque, ad Imperatorum *Tutelares* inter Urbium Genios relatorum aucupandam gratiam, eorumdem in honorem translatis, agitarique consuetis, *Neocoriae* semel, ac bis, terque, quaterque se titulo gloriandi dignoscitur. Ita namque in *Boeotia* Urbs *Gephyra* Stephano de Urbib. p.84. posita, cujusce cognominis Urbs altera in Syria supra Antiochiam sita memoratur in Cod. Theod. lib.6. tit.4, a *Cereris* eximie ibi cultae, uti docet Etymologus, Templo *Neocorae* titulo illustrata in *Domitiani* Nummo inspicitur, quo de Goltzius in Thes., Harduinus Num. illust. p.64, & Vandalaeus de Urb. Neocoris dissert.4. cap.2. p.322. In *Phocide* eodem *Neocoriae*

riae privilegio decoratae Urbes pleraeque leguntur, quales *Aspledon* in *Caji Caligulae* Nummo; *Crissa* in Nummo *Neronis*; ac *Schirphe* in *Claudii* Nummo apud Goltzium in Thes. p. 210, 219, & 232. In *Laconica* ad ostium Spartae aestivum sita *Selasia*, Polybio teste in Excerpt. Vales. lib. 16. p. 73, in *Neronis* Nummo apud Goltzium p. 231. *Neocorae* insignita nomine visitur; videndusque Holstenius ad Steph. p. 288. In *Arcadia Phalaesia* in Nummo *Titi* bis *Neocora* denominata legitur apud Goltzium p. 225, ac Holstenium p. 339. In *Propontide Cyzicus*, cui cum *Ephesо Omonojam* intercessisse constat ex Nummo *Trajani* apud Patinum p. 167, ab *Herculis*, Urbis conditoris, vel instauratoris crediti; aut a *Cyzici* Regis, unde nomen Urbi adhaesit, de quo Hyginus Fabul. 273, ac Conon Hist. cap. 41. apud Photium Cod. 186. p. 449. sq.; aut a *Cereris* ipsis Sacrae, aut a *Proserpinae* ad ipsos *Cyzicenos* perinde tralatitio Templo; aut a *Dindymenis* Matris Deorum ab Argonautis dedicato, quo de Strabo lib. 12. p. 575, ac Plinius lib. 5. cap. 40, semel, ac bis *Neocorae* insigni decorata adparet in Nummis *M. Aurelii*, *Commodi*, *Diadumediani* apud Patinum p. 238. ad 262, Vaillantium in Select. Num. p. 35, ac Tristanum T. II. p. 311, *Domitiani*, *Caracallae*, *Macrini*, *Gordiani Pii*, *Philippi*, *Claudii Gothici*, ac *Saloninae* apud Patinum p. 302, & 388, Tristanum p. 314, Spanhemium p. 385, Seguinum p. 21, ac Harduinum p. 87. sq.; ubi Certamina *Antoniniana* in *Caracallae* honorem celebrata, unde secundo *Neocora Cyzicus* inscripta videtur. In *Creta* Insula *Gnossus*, ubi *Artemidem*, sive *Dianam* sub *Britomartis*, aut *Dictynnae* nomine eximie cultam tradunt Hesychius in Lex., & Solinus cap. 17, bis *Neocora* in *Augusti* Nummo apud Tristanum p. 93. dicta legitur, a bino Templo *Dianae*, & *Augusto* consecrato. In *Euboea* Insula *Oreum*, quae olim Urbs *Istiaea*, sive *Hestiaea* Homero Catalogi vers. 44. de Boeotiae Urbibus, Pomponio Melae lib. 2. cap. 7, ac Pausaniae in Achaicis, sive lib. 7. cap. 26. p. 592. dicta est, a *Dianae* fano, atque in *Nervae* deinde honorem festis celebratis bis *Neocorae* in ejusdem *Nervae* Nummo apud Goltzium p. 224. titulo gloriata conspicitur. In *Aeolide*, sive Moesia *Zelia*, oraculo *Apollinis* olim cla-

clara, Strabone teste lib. 13. post initium, in *Vespasiani* Nummo apud Goltzium p. 236; atque *Smintha* Insula in Nummo altero, quo de Goltzius p. 232, ab *Apollinis* Templo, de quo Plinius lib. 5. cap. 32, *Neocorae* ambo nuncupantur. In *Jonia*, ubi ora, *Trogilia* adpellata, omnis *Panionia* a *Neptuni* Templo, *Panionio* nempe, quo de supra dictum, cognominata, Jonibusque *Sacra* Plinio traditur lib. 5. cap. 29; *Oricum*, a Colchis olim condita Urbs, teste Plinio lib. 3. cap. 26, *Neocora* in *Titi* Nummo apud Goltzium p. 224. dicta legitur. *Miletum* Joniae caput, ac Urbium 80, alibi 70. genitrix dicta Plinio lib. 5. cap. 29, a bino Templo *Apollini Didymeo*, ac *Dianae Ephesiae*, non *Veneri*, uti Sponio visum, dedicato, *Soli* videlicet, ac *Lunae*, velut haud obscure significat Strabo lib. 14. p. 635, *Neocorae* titulo insignita conspicitur in Nummo *Balbini* apud Seguinum p. 122, & Harduinum p. 108: ubi *Mileti Omonoja* cum *Epheso*, *Smyrna*, & *Coo* in Nummis *Antonini Pii*, *M. Aurelii*, & *L. Veri* comparet apud Tristanum p. 601; totius etiam *Joniae* ibidem *Pythia* celebrata ex Nummo *Corneliae Saloninae* apud Harduinum loc. cit. constat. *Zacynthus* Jonii Maris Insula bis *Neocorae* insigniri nomine meruit a bino *Apollinis*, ac *Bacchi* delubro, ut adparet ex *Alexandri Severi* Nummo, quo de Tristanus p. 413, & Occo p. 421. In *Caria* Urbes *Nysa* a *Bacchi* Fano in Nummis *M. Aurelii*, *Severi*, & *Elagabali* apud Harduinum p. 126; *Pedasa* in *Domitiani* Nummo apud Goltzium p. 225; *Trallis* ab *Apollinis Pythii* delubro in Nummo *Caracallae* apud Harduinum p. 172, *Neocorae* sunt nuncupatae. *Trallianos* attamen *Neocoros* se *Augustos* nominasse eodem in Nummo, ab *Augustaeis* ludis, idest in *Caracallae*, ac *Getae* honorem agitatis haud dubium est; sicut *Antoninos* se, & *Augustos*, a Ludis *Antoninaeis*, & *Augustaeis*, nempe in honorem *Antonini Caracallae*, & *Elagabali* celebratis, nuncupasse *Byzantinos* constat ex Imperatoris utriusque Nummis apud Tristanum T. II. p 206, ac Harduinum p. 37. Sed & in *Caria Marathesia* Civitas altera, quae alioqui Straboni lib. 14. p. 440, ac Plinio lib. 5. cap. 29. *Joniae* adtribui videtur, bis *Neocorae* titulo insignita conspicitur in *Neronis* Nummo apud Goltzium p. 221, & Holste-

nium p. 198: quam ita dictam a *Nerone*, & *Agrippina* Matre, sicuti *Smyrnam* bis *Neocoram* a *Tiberio*, ejusque Matre *Livia*, aestimat Vandalaeus cit. Differt. 4. cap. 2. p. 322. Quae tamen a Tutelari Numini, iterumque *Neroni* Fano, Festoque dedicato verius ita dicta mihi videtur; non secus atque *Smyrna* in Marmore Arund., quo de Pridaeus p. 47, Τρὶς Νεωκόρου Τῶν Σεβαςῶν *Ter Neocorae Augusteae* nomine tum ab *Astartis*, & *Apollinis Clarii*, *Dianae*, ac *Serapidis*, *Isidis*, ac *Nemesidis* Urbis Tutelarium fanis, tum a Ludis *Augusto* & *Liviae*, *Severo*, *Caracallae*, & *Getae*, *Alexandro Severo*, *Juliae Mamaeae*, & *Gordiano Jun.*, *Valeriano*, *Gallieno*, & *Valeriano Jun.* dedicatis adpellata proculdubio conspicitur.

XV. Atque *Smyrnae* exemplo sane, quae uti superius innui, ter ut *Augustorum* fieret *Aeditua*, Romano a Senatu qua meritis, qua precibus impetrasse in praecit. Oxon. Lapide legitur, tam *Nicomedia*, qua de infra Urbe, *Commodo* exstruere Fanum, atque festivum agere certamen, indeque *Neocoram* dici a Senatu meruisse traditur Dioni lib. 72. p. 822; quam *Laodicea* ejusdem *Commodi* fieri *Neocoram* Κατὰ τὰ Δόγματα τῆς Ἱεροτατης Συνκλήτου Senatus Consulto legitur in *Commodi*, atque *Caracallae* Nummis apud Spanhemium Epist. 5. ad Morellium p. 293, Harduinum Num. Popul. illust. p. 92, & Cuperum Epist. 2. ad Vandalaeum p. 486. Qui Epist. 3. ad eumdem p. 502. rite observat *Laodicenos* apud Spanhemium p. 320. se Νεωκόρους Ασίας adpellare, non utique quod Templorum Asiae omnium ipsi *Aeditui* essent, sed ideo quod Laodiceae Templi ab Asiae *Communi*, atque Communibus exstructi sumptibus, essent *Aeditui*. Sed & *Smyrna* Νεωκόραν se Ρωμης *Romae Aedituam*, ut jam superius innui, ter gloriata legitur in Nummo *Juliae Domnae*, e Museo Regis Gall. ab Harduino p. 159. exhibito: cui sane *Romae*, veluti Divae, Templum a Smyrnaeis pridem aedificatum fuisse U. C. anno 558. auctor est Tacitus Annal. lib. 4. cap. 56. Quo perinde titulo delectatos quammaximo fuisse *Locrenses*, tam *Jovis* nempe, quam etiam *Romae* se *Neocoros*, sive *Aedituos* inscribere, liquet ex Goltzio Magn. Graec. Tab. XXVII; gloriatos eodem quoque titulo, *Romae*, Titulari ceu Numini, aedificato Templo, Ludisque

dedi-

dedicatis, *Alabandenses* refert Livius lib. 43. cap. 6. Explicitissime adhaec *Ephesus*, quam a *Croeso* Urbem obsessam *Dianae* se se devovisse, fune e *Dianae* Aede ad murum alligato, refert Herodotus lib. 1. p. 5, tam in Actis Apost. XIX. 35, ubi conferendus Joh. Clericus in Adnot. p. 576. sq., quam in *Caracallae* Nummo apud Harduinum in Num. Popul. illust. p. 59. se se Νεωκόραν Μεγάλης τῆς Ἀρτέμιδος *Magnae* se *Dianae* adpellare *Aedituam* delectata legitur: sicut etiam *Dianae Leucophrynit* se *Neocoram* inscribere *Magnesia*, Urbs ad Maeandrum sita, religioni duxit, ac in deliciis habuit, velut habetur in Marm. Oxon. apud Seldenum p. 153, inque Nummis *Otaciliae Severae*, *Caji Julii Maximi*, & *Gordiani Pii* apud Erizzum p. 494, Occonem p. 425, & Harduinum p. 97.

XVI. Quo loci Cuperus Epist. 2. ad Vandalaeum p. 490. sqq. inde quod tam *Ephesus*, atque *Smyrna* quammaxime, quam Urbes aliae pleraeque, queis de supra dictum est, saepius in Nummis eodem sub Imperatore bis, terque, quaterque *Neocorae* dictae leguntur, infert varias *Neocorarum* vices ad unum, eumdemque referendas Imperatorem fore. Frustra sed enim sic infert Vir doctiss.: in Urbium siquidem Nummis saepe *Neocoriae* titulus bis, ac ter veteribus sub Imperatoribus usurpatus legitur, e contra vero semel vice plus simplici sub Junioribus obsignatus ibi comparet. Ita *Smyrna* profecto, quae, uti supra dictum, ter *Augustorum* fieri *Aeditua* impetraverat, semel dumtaxat in Nummo *Tiberii*, ubi Templi visitur effigies, *Neocora* dicitur; ter vero in *Juliae Moesae* Nummo, in quo unius quoque Templi species exprimitur; bis adhaec in Nummis *Juliae Domnae*, *Caracallae*, & *Alexandri Severi*; ter autem in *Caracallae*, *Getae*, *Severi Alexandri*, *Juliae Mamaeae*, *Gordiani Jun.*, & *Tranquillinae*; semel iterum in *Otaciliae Severae* Nummo; ter denuo in Nummo *Valeriani*, in quo tria spectantur expressa Templa; semel demum in *Gallieni* Nummo apud Harduinum p. 158. sqq. Ita *Ephesus* quoque semel, ac bis *Neocora* dicta legitur in *Hadriani*, & *Antonini Pii* Nummis; in *M. Aurelii* semel; bis in *L. Veri* apud Sponium Itin. Athen.; in *Commodi* bis; semel in *Pertinacis*; bis in *Septimii Severi*, ac *Juliae Domnae*; ter in *Juliae Domnae*, *Caracal-*

racallae, *Getae*, & *Plautillae*; bis, & quater in *Caracallae*; semel in *Macrini*; semel, ac bis, ter, & quater in *Elagabali*; ter in *Juliae Paulae*, & *Anniae Faustinae*; bis, & ter in *Juliae Moesae*, & *Alexandri Severi*; quater in *Severi Alexandri*; semel, & ter in *Maximini*, *Gordiani Pii*, & *Furiae Tranquillinae*; bis, & ter in *Philippi*, *Otaciliae Severae*, *Philippi Jun.*, *Valeriani*, & *Gallieni*; semel, bis, & ter in *Cornelii Salonini*, & *Saloninae* Nummis apud Vaillantium p.159. sq., 164, 214, 227, & 219, Morellium Tab. II, Harduinum p.58. sqq, & Cuperum epist. 1. ad Vandalaeum p.482. sq. Cujusce sane rei non aliud puto in caussa fuisse, quam unum, aut plura Festa in Imperatoris unius, aut plurium honorem ad unum, aut plura Templa Smyrnae, Ephesi, alibique celebrata.

XVII. Neque minus ambitioso istiusmodi *Neocoriae* titulo a Fanis, ac Festis hoc est in honorem vel *Tutelarium* Numinum, vel *Augustorum* Tutelaria inter Numina adscriptorum aedificatis, actisque desumpto, illustres olim habitae sunt Urbes in Graecia aliae oppido multae. Ita namque in *Lycia Phryxus* in *Vespasiani* Nummo *Neocora* dicitur apud Goltzium p.226, & Holstenium p.348. *Dias* etiam, quo Urbes IX. cognomine Stephano de Urb. p. 98. enumerantur, queis *Diam* insuper in Arabia ex Hieroclis Synecdemo adjungit Holstenius ibid., *Dias*, inquam, *Neocorae* decorata nomine in *Domitiani* Nummo comparet, quo de Goltzius in Thes. p.213. *Podalia*, quae Plinio lib.5. cap.28. in *Lycia* ponitur, in *Lydia* vero Stephano de Urb. p.257, quem tamen emendandum, ac pro Λυδίας scribendam Λυκίας vult Holstenius ibidem in Not., *Neocora* & ipsa in *Trajani* Nummo dicitur apud Goltzium p.226. In *Lydia* vere sita *Thyatira* Urbs tam ab *Apollini* Templo posito, quam ab *Augustaeis* in *Getae* honorem peractis Ludis *Neocorae* titulo in ejusdem *Getae* Nummo donata legitur apud Tristanum T.II. p.278, ac Harduinum p.70. Eodem *Neocorae* privilegio cumulata putanda est *Philadelphia* etiam, nempe vel a Templo, aut *Ianae*, ut in Nummis *Gordiani*, & *Philippi*, aut *Antinoo*, *Hadriani* olim Περσῶ *Cinaedo*, dedicato, veluti Vaillantio videtur; vel a *Philadelphiis* Ludis,

dis, ut in Nummo *Antonini Caracallae*, *Pythiis* nempe *Philadelphiae* in ejus honorem celebratis, velut Harduinus mavult, videndique Holstenius in Not. ad Steph. de Urb. p.345, ac Vandalaeus de Urb. Neoc. differt.4. cap.4. p.356. In *Phrygia Hierapolis*, cui Ὁμόνοια *Concordia* intercessisse cum *Cerelapi* legitur in *Commodi* Nummo, quo de Occo p.332, & cum *Smyrna* in Nummo *Philippi* ibid. p.416, bis *Neocora* nominatur in eisdem Nummis apud Patinum p.5, Occonem p.334, & Harduinum p. 71. sq.; videlicet vel a Templis *Solis*, seu *Aesculapii*, & *Hygiae*, sive *Telesphori*, qua de re Damascius apud Photium Cod. 242. p. 1054, Plinius lib. 2. cap.93, ac Sponius Itin. Athen. p.150; vel fortassis ab *Antinoo* polita Ara, peractoque Agone, cui Nummum *Hierapoli* scalptum e D.Foucaltii Cimelio descripsit Harduinus loco ante dicto. *Acmonia* item in *Otaciliae* Nummo apud Harduinum p.11. a Fano *Dianae* sacro *Neocora* audiri meruit. In *Galatia* celebris Urbs *Ancyra* a Delubris Dei *Luni*, & *Aesculapii*, unde *Isthmia*, & *Pythia* ibi celebrata, *Asclepia Soteria* item, & *Actia* constat ex Nummis *Antonini Caracallae*, ac *Saloninae* apud Tristanum T.III. p.109, & Harduinum p.17, ac Inscriptione apud Gruterum p.415, bis *Neocorae* tulisse nomen legitur. In *Pisidia Thyessus* in *Titi* Nummo, quo de Goltzius p. 234, & in *Lycaonia Claudiopolis* in Nummis *Antonini Pii*, & *Caracallae*, queis de Occo p.268, Tristanus T.II. p.214, & Harduinus p.83; vel ab *Aesculapii*, vel ab *Antinoi* Fano, aut Festo *Neocora* inscripta utraque inspicitur. In *Pamphylia Side*, cui cum *Perge* Concordia fuisse conspicitur in Nummo *Gordiani Jun.* apud Harduinum p.155, a celeberrimo *Palladis* Tutelaris Genii Templo, quo de Strabo lib. 14. p. 667, *Neocora* dicta mihi videtur in Nummis *Elagabali*, *Valeriani*, *Gallieni* &c. apud Tristanum T. II. p.47, & Holstenium p. 292; ad quod Agones plerique agitati passim leguntur, cujusmodi fuere *Primi*, ita dicti, quod a tota *Pamphyliae* Provincia celebrati fuerint, in *Gallieni* Nummo; *Oecumenici* in Nummo *Tranquillinae Gordiani* conjugis, quod ad eos Agonothetae ex Provinciis quibusque admissi fuerint; (cujusce genus *Oecumenica* Certamina *Tarsi* etiam celebrata in Nummo *Commodi*;

di; *Heliopolis* item in Syria in *Elagabali*, & *Valeriani* Nummis comparent apud Harduinum p.66.); *Sacri* in Nummo *Philippi* apud Goltzium p.233; *Olympici* in *Elagabali* Nummo, quod *Jovi Olympico* dicati essent; *Sacri*, *Pithii*, *Mystici*, *Oecumenici* in Nummo *Valeriani* apud Harduinum p.155, ac Falconerium de Num. Apam. p.700.

XVIII. A studio haud dispari erga *Tutelares* Deos, & *Augustos* in Deorum Tutelarium censum adscriptos, quo eisdem aut Fana ponere, aut eorumdem in honorem Festa peragere summopere fuere sollicitae, semel, ac bis, ac ter *Neocorae* nomen tulisse Urbes in Graecia aliae oppido multas ex Nummis edocemur. Atque ita in *Cilicia* quidem *Aega* ab *Aesculapii* Delubro *Neocora* in Nummis *Alexandri Severi*, *Gordiani*, & *Aemiliani* denominata legitur apud Harduinum p.10. *Seleucia*, quo suo nempe de nomine *Seleucias* IX, sicuti *Apameas* III, atque *Stratoniceam* unam a duabus Uxoribus a *Seleuco* I. *Nicatore* in Syria, ac in Asia Majore, & Minore conditas, non secus ac a Patre *Antiocho* suo de nomine *Antiochias* XVI, ac *Laodiceas* VI. a Matre aedificatas fuisse discimus ab Appiano in Syr. p.124, & 201, a Strabone lib.16. p.517. sq., a Stephano de Urb. p.36. sq., ubi tamen *Antiochias* XIII. tantum enumerat, *Seleuciam* vero dumtaxat unam in *Cilicia* positam recenset p.286. sq., *Seleucia*, inquam, in *Cilicia* a Provinciae totius Ludis ad *Minervae* Templum, in *Gordiani Pii* gratiam celebratis, *Neocoriae* titulum in *Gordiani*, ac *Tranquillinae* conjugis Nummo tulisse legitur apud Tristanum T.II.p. 524. *Tarsus* quoque, qua de Urbe pleraque §.1. disputata fuere, a *Jovis* Delubro, atque Sacris vel in *Antinoi* honorem, vel pro Imperatorum salute, quae *Komodeja* dicta sunt, bis *Neocora* nuncupata inspicitur in Nummis *Hadriani*, *Sabinae*, *Commodi* &c. exhibitis a Tristano T.II.p.217, Mediobarbo p.187, Patino p.203, & Harduino p.164. sq. In *Bithynia* celebris utique *Nicomediae* Urbs, quam inter, & *Laodiceam*, atque *Amisum* *Omonojam*, sive foedus intercessisse liquet ex Nummis, semel, bis, ac ter *Neocorae* privilegio insignita conspicitur in Nummis, ubi cum *Aesculapii*, Urbis conditoris habiti, Libanio teste, imagine, Templum conspicitur unum in Nummis *M. Aure-*

relii, *Faustinae Jun.*, *Commodi*, & *Caracallae* apud Occonem p.296, Tristanum T.II. p.201, Harduinum p.124, Patinum p.263, ac Cuperum Epist.2. ad Vandalaeum p.485, & 496, (quo loci observat ex Dione lib.72.p.822, a Senatu impetrasse Nicomedienses, ut Certamen agerent, Templumque *Commodo* dedicarent); cum symbolis *Jovis*, & *Aesculapii* duo Templa *M. Aurelio*, & *Commodo* dicata videntur apud Occonem p.333, ac Tristanum T.I.p.747; duo itidem Templa cum iisdem Symbolis *Maximo*, & *Gordiano* statuta apud Patinum p.358; ac tria demum Templa cum *Jovis*, *Aesculapii*, ac *Cereris* symbolis *Valeriano*, *Gallieno*, ac *Valeriano Jun.* posita apud Tristanum T.II.p.542, & Harduinum p.123. sq., ac 852. In *Ponto Amasia* a *Palladis*, Tutelaris hoc est Numinis, fano *Neocora* facta comparet iu *Faustinae Sen.*, *Commodi*, ac *Faustinae Jun.* Nummis apud Harduinum p.13. In *Cappadocia* tam *Archelais* in *Titi* Nummo, de quo Goltzius p.209; quam *Caesarea* in Nummis *Antonini Pii*, *Getae*, *Macrini*, & *Gordiani Jun. Neocora* utraque, ac illa quidem semel, ista vero bis adpellata legitur apud Tristanum T.II. p.292, Holstenium in Steph. p.154, & Harduinum p.39. Ut pluresque oppido Urbes praeteream alias in Graecia, alibique, in *Sicilia* denique *Messana* bis *Neocorae* a Templo *Apollinis*, alteroque *Augusti* nomen retulisse adparet in Nummo apud Parutam n.13, quo de tamen valde dubitat Harduinus p.104. *Abolla* ex *Vespasiani* Nummo, quo de Goltzius p.206, ac Holstenius p.3, eodem *Neocoriae* insigni decorata innotescit. *Locris* in Magna *Graecia* olim *Jovis*, ac *Romae*, quam Θεὰς etiam nomine distinctam alibi notavi, nam utriusque effigies in Nummo apud Goltzium in M. Graecia Tabul.XXVII. expressa conspicitur, *Neocoram* se, non tam pro superstitione, quam adulationis gratia, inscribere delectata est. Adeundi, si libet, qui de *Neocoris* plura desideret adhuc, Viri doctiss. Vaillantius in Num. Graec. Imp. p.216. sq., ac in Dissert. singulari de Neocoris Monum. Acad. Inscript. T.IV. edit. Amst. p. 198. sqq., Petitus in Var. Lect. cap.29. Crit. Sacr. edit. Francof. T.VII. p.388. sqq., Morellius in Specim. Rei Num.p.37.sq., Rubenius in Diatriba de Urbib. Neocor. Antiq. Rom. T.XI. edit. Ven. p.1350.

p.1350. ſqq., Vandalaeus Antiq. Marm. illuſt. diſſert.4. de Neocor. cap.1. ſqq. p.299.ſqq., Falconerius in Diſſert.de Nummo Apamenſi Antiq. Graec. T.X. p.678. ſqq., ac Seldenus ad Marmora Oxon. p.68. ſq., 97.ſq., ac 100, Pridaeo juncto, quorum cum honore ſuperius mentio ſaepe facta eſt.

XIX. Urbes jam vero, quae iſtiuſmodi *Neocoriae* titulo inſignitae erant, inſignia ob Templa Diis Tutelaribus dedicata, totiuſque Provinciae Conventu frequentata, inſigni *Aſyli* praeterea Jure gaudebant; indeque Ἀσύλητοι, ſive Ἀνεκβιάςοι *Inviolabiles*, Ἱεραι, ſive Ἀβεβήλοι *Sacrae*, ac *Sacroſanctae*, Ἀτελήσοι, ſive Ἀσύμβολοι *Immunes*, Ἀπορθήτοι *Incolumes*, & *Inexpugnabiles* denominari ambitioſe ſolebant. Quo de nunc agendo, ac prius de nomine, *Aſylum* ſane, quaſi Ἄσυρον dictum vel ab A Στερήτικῷ, & Σύρειν, quod eſt *Trahere* Ἀσυρεῖς *Sceleratos*, quod eos per vim inde extrahere nefas eſſet, vel ab A privativo, & Σύλη, quod eſt *Spolium*, quod eò, qui confugiſſent, eos exſpoliare non liceret, vel ab A privativo, ac verbo Δυλάω, quod eſt *Rapio*, aut *Praedor*, quod Urbes *Aſylo* affectae Militari obſidioni, ac Praedae, ſive direptioni haud eſſent obnoxiae, ſeu a verbo Δύρω, quod eſt *Trabo*, mutato P. in Λ. juxta Servium Aen.II. v.761: qua de Etymologia affatim Voſſius in Lex. Etymolog., Gyraldus de Diis ſyntag.17. Oper. T.I. p.474, Barthius Adverſar. lib. 4. cap.12, Rittershuſius de Jure Aſylorum Crit. Sacr. T.VI. edit.Francof. p.217. ſq., ac Pitiſcus in Lex. Antiq. Rom. T.I. edit. Ven. p. 194. In *Aſylis* triplici patebat hominum generi perfugium, atque ſecuritas, *Servis*, *Obaeratis*, ac *Maleficis*, queis de Tacitus Annal. lib.3. cap.60, Thucydides lib. 1.§.126, Statius in Theb., Pauſanias in Lacon., ſive lib.3. cap.5. p.216, Polybius in Excerp. Legat. cap.35, ac Plutarchus de ſuperſtit. p.166, deque Uſuris vitandis p. 828, videndique Lipſius in Taciti Annal. lib.3. n.116. edit. Antuerp. p.94, Oſiander de Aſylis vet. §.21. Antiq. Graec. T.VI. edit. Ven. p.2838. ſqq., ac Laurentius in Var. Sacris Gentil. cap.21. Antiq. Graec. T.VII. p.232. ſqq. Et *Aſyla* quidem inſtituta fuiſſe quiſque facile intelliget vel ob *Honeſtatem*, quod humanum ſit profecto Miſeris, aliorumque vim metuentibus profugii locum aperire; vel ob *Juſtitiam*, quod

quod aequum sit perinde a vi potentiorum insontes defendere; vel ob *Utilitatem*, quod Populo amplificando peropportunum sit aliunde profugis receptaculum facere. *Asyla* vero a Deo O. M. fuisse primum instituta fidem abunde faciunt leges Num. XXXV. 6. sqq., 13. sqq., Deuter. IV. 41. sqq., XIX. 2, ut Josue XX. 2. sq., 7. sqq. latae, ubi Φυγαδευτήρια *Refugii* Urbes VI, cis Jordanem tres, tresque ultra Jordanem constitutae leguntur, *Bosor* in Tribu Ruben, *Ramoth* in Tribu Gad, *Golan* in Tribu Manasse, *Cedes* in Monte Nephtali, *Sichem* in Monte Ephraim, & *Cariatharbe*, seu *Hebron* in Monte Juda: quarum tres priores Dei jussu a *Moyse*, posteriores tres a *Josue* dispositae, ordinataeque fuere; quòve confugientes tuti caussam judicio purgare suam permitterentur. An vero praeter hasce sex, *Asyli* privilegio gauderent Levitarum Urbes XLVIII, queis de Num. XXXV. 6. sq., disputant qua Judaei, qua Christiani, hinc adfirmantibus Maimonide in *Hilcoth Retzeack* cap. 8, & Abkaeo in Gemara titulo *Maccoth* cap. 2. fol. 9. apud Lightfootum in Chorog. ad S. Matth. capp. 50, & 97. Oper. T. II. p. 208, 237. sq., & Coccejum in Excerpt. p. 430. sq., ex Christianis vero Seldeno de Jure Nat., & Gent. juxta Discipl. Hebr. lib. 4 cap. 2. p. 448, Cunaeo de Repub. Heb. lib. I. cap. 7, ac Reisio in Not. ad Goodwini Antiq. Sacr. Cod. lib. 2. cap. 5. p. 184; contra illinc refragantibus Calmetio Dict. Bibl. T. II. edit. Ven. p. 279, Cramero in Theolog. Israel. lib. 3. cap. 3. §. 26. p. 418, Carpzovio in Annot. ad Goodvvini loc. cit. de Asylis §. 3. p. 339, ac Benzelio in Dissert. de Asylis §. 4. Oper. T. I. p. 439. sq. Sed enim Ἀσύλοις de Jure non apud Judaeos, a quibus in Christianos defluxit, instituto, sed apud Graecos, in quos a Judaeis derivatum primo fuisse, indeque in Romanos postea dubium haud est; inducto, receptoque agere nobis propositum est: quam in rem conferri, si placet, interea poterunt de *Asyli* origine Abbas de Brissi, & Simonius in Dissert. Monum. Acad. Inscript. insertis T. I, & III. p. 37.

XX. Primus itaque *Cadmus*, dum *Thebas* conderet, *Asylum* aperuisse fertur, ad quod confugientes sine discrimine Servi, aut Liberi ab omni poena tuti essent, indeque per vim extrahi non possent. Quamquam *Herculis* prognatis *Asyli* pri-

mordium *Athenis* instituti acceptum referre Statii Theb. lib.12. testimonio suffultus non dubitavit Servius Aen.8.v.342. Atque *Theseum* utique Peregrinis omnibus *Athenis* pro Civitate proposita, proque *Asylo* patefacta, Urbem Graeciae universae populatissimam, atque Clarissimam effecisse auctor est Plutarchus in Thes. Graecorum instar a *Romulo Asylum* Romae vel Templum, vel Lucum, vel, ut puto, utrumque factum referunt Plutarchus in Romulo p.41, L. Florus lib.1. p.5, & S.Augustinus de Civit. lib.1. cap.34, quo de fusius paullo post. Horum vero exemplo ab *Alexandro* M. Urbe amplissima ad Ostia Nili condita, suo de nomine *Alexandria* nuncupata, in ea Aegytiis undique amplum apertum *Asylum* indicat Josephus de Bello Jud. lib.4. sub fin. Quamquam *Asyla* longe pridem in Aegypto obtinuisse indicant cum Herodotus lib.2. cap. 113, ubi ad Nili ostium Canobium *Herculis* fanum a prisca aetate ad suam usque ad ipsum profugis immunitatem praestitisse refert; tum Strabo lib. 17. p.552. in Delta, non procul a *Sai* Ὀσίριδος Ἄσυλον *Osiridis* Templum pro *Asylo* fuisse testatum faciens. Vario autem pro Fundatorum ingenio varia pro *Asylis* fundata loca fuisse, magis, aut minus ampla, patentia, obvia, propinqua, majori, aut minori pro religione erga Deos, aut pro pietate erga Reos, ignorabit nemo, qui profana in historia non prorsus hospes sit. Fuerunt enim vero *Asyla* tam ad praestandam Reis securitatem, quam ad ostentandam Numinum superstitionem, *Montes* Numinibus dicati, queis de Xenophon lib.8; uti *Riphaei* apud Scythas Solino cap.28. memorati; ut *Cenisius*, ubi Aram olim *Deo Pennino* dicatam, monstrat Inscriptio apud Sponium in Miscell. Erud. Antiq. sect.3. Antiq. Rom., & Graec.Suppl.Poleni Tom.IV.edit.Ven. p.818: quem Deum *Penninum* aliqui *Herculem* putant, qui eo pertransjisse fertur; Deum *Cacuminum*, a Livio lib.21. p.200. *Penninum* vocatum, idest qui in Alpium vertice colebatur, alii; nam veteri Celtica lingua *Pen* significabatur Montis Jugum, ut observat Pezronius de Orig. Celtar. in Tabula Vocum Latinarum e Celtica lingua derivatarum p.407: qua Ara a *S. Bernardo* destructa, ejus de nomine Monti nova adpellatio indita est; ut *Amanus* in Syria Mons alter, quo de Taci-

tus

tus Annal. lib.2. cap.23; uti *Lycaeus*, five *Olympicus*, atque *Citbereus*, uterque *Apollini*, *Parrhasio*, ac *Jovi Eleutherio* consecratus apud Pausaniam in Arcad., seu lib.8.cap.38.p.678, & in Boeotic., seu lib.9. cap.2. p.715; ut *Pithna*, de quo Mela lib.2. cap.7; ut *Libethrius*, *Musis*, ac *Nymphis* in Boeotia dicatus apud Virgilium Ecloga 7.v.21, & Pausanias cap.34.p.778; ut *Helicon Musis* ibid. cap.28. p.763. sq. Fuerunt & *Nemora* Numinibus dicata *Asyli* Jure praedita, quae eodem, quo Templa, Religionis habita loco perhibent Virgilius Aen.8. v.342, Seneca lib.5. cp.6, ac Plinius lib.12.cap.1, ubi & Arborum genera Diis sacra percenset. Cujusmodi erant *Jovi* Olympico, Daphne *Apollini*, ac *Dianae* apud Strabonem lib.16. p.516, atque Sozomenum lib.5. cap. 19. *Dianae* Romae in Aventino, quo de Ovidius Fast. lib.3. Deae *Ganymedae* olim, *Hebenae* deinde, ac *Oenochoon*, idest *Vini Ministrae* Phliasii apud Pausaniam in Corinth., sive lib.2. cap.13. p.140. sq. In Achaja, ac Delis *Apollini*, ac Peleni in Achaja *Dianae Sospitae*, queis de Pausanias in Achaicis, sive lib.7. cap.21. p.577. sqq., ac Livius lib.35.cap.51. Asopi, ac Geronthris in Boeotia *Apollini*, ac *Marti*, atque Patris in Achaja *Veneri*, & *Apollini*, *Cereri*, atque *Proserpinae*, nec non *Serapidi*, *Castori*, atque *Polluci* apud Pausaniam in Lacon., sive lib.3. cap.22. p.267, & in Achaic., sive lib.7. cap.21. sq., p.577. sqq. Paphos, & Idae *Jovi*, quo de Homerus Iliad. 8. v.48, & Odyss.8. v.363. Pharis in Messenia *Apollini Carnio*, de quo Pausanias lib.4. cap 31. p.355. *Dodoni* in Laconia; *Apollini* Cytiis; *Cereri* Alesio in Monte Arcadiae; *Jovi* Nemeis apud Pausaniam in Achac., sive lib.7. cap.21. p.575. sq., in Arcad., sive lib.8. cap.23. p. 643, & in Corinth., sive lib.2. cap.20. p.155. *Cereri* Heleae, & Cabiriae, atque *Proserpinae*, qua de idem Scriptor in Arcad. cap.36. p.674, & in Boeot., sive lib. 9. cap. 25. p.758. Ephesi *Dianae Ortygiae* apud Tacitum lib.3; *Neptuno* in Boeotia *Onchestus*, de quo Homerus Catalogi vers.13. Doris *Ganymedi*, & *Hebeo*; in Libano *Veneri Aphacitidi* apud Eusebium in Vit. Const. lib.3. cap.55, ac de ejus laud. p.625. *Pani* in Monte Parthenio; *Dianae* in Aetolia, queis de, aliisque Alexander Gen. dier. lib.4. cap. 17. *Erdamnae* in Germania

 apud

apud Tacitum de Mor. Germ. lib.3; *Diis* Massiliae apud Lucanum Pharsal. lib.3; *Jovi Palatino* Romae, quo de Virgilius Aen.8, & ad Tiberim, quo de Ovidius Fast. lib.9.

XXI. Fontes, ac *Fluvii* Diis etiam sacri eodem *Asyli* Jure decorari solebant*: veluti *Nilus*, cui Divini quinimo delati honores leguntur apud Apulejum in Dialogo Asclepio p.91, Pindarum in Pyth. IV. p.239, ac Plutarchum Sympos. lib.8. p.729, cuique passim ideo veluti Deo aedificata Templa, Sacerdotes consecrati, dicatae Urbes, ceu *Nilopolis* feruntur, queis de Stephanus de Urb. p.221, ibique Holstenius, & Berkelius, videndusque, qui plura de Nilo disserit Jablonskius in Pantheo Aegypt. lib.4. cap.1. p.139. sqq. Veluti *Nedon* fluvius in Laconica *Minervae* sacer, quae inde *Nedusia* cognominata nobile tum ibi, tum Poeessae in Rhodo Insula Urbis Templum habuit, testibus Strabone lib.8. p.360, & Stephano de Urb. p.221. Veluti *Sytha* Duce *Suadelae* dicatus in Sicyone fluvius, de quo Pausanias in Corinth., sive lib.2. cap.7. p.128; velut *Hama* Pharis in Achaja *Mercurio* dicatus fons apud Pausaniam lib.7. cap.22. p.579; veluti Hierapoli tam in Phrygia *Apollini* Sacer *Lacus* Photio Cod.142. ex Isidori vita p.560. memorati, quam in Syria *Atergati*, Graecis *Derceto*, vulgo *Deae Syrae*, Hebraeis *Astartae*, fluvius *Euphrates* sacer, Luciano de Dea Syra, & Aeliano Hist. Animal lib.12. cap.2. recordatus; veluti *Menelaidus* in Alea Oppido Arcadiae de *Menelai* nomine, a quo *Neptuno* dicatus fuerat, una cum Platano, fons apud Pausaniam in Arcad., sive lib.8. cap.23. p.643; velut *Arethusa* Lacus in Armenia, quo de Diodorus lib.5. p.288, juncto Plinio lib.6. cap.27; veluti *Macaria* fons in Marathone de *Macariae* Herculis ex *Dejanira* filiae nomine dictus; & *Herculi* dicatus apud Pausaniam in Attic., sive lib.1. cap.32. p.79 sq.; veluti *Ceucris* fons, una cum *Cynthio* Monte *Apollini*, unde *Cynthius* etiam dictus, in Insula Delo dicatus, quo de Strabo lib.10. sub finem; velut *Imbrasus* in Samos Insula fluvius *Junoni* sacer, unde *Junoni*, ac *Dianae* cognomen etiam adhaesit, de quo Apollonius Argon. lib.1. v.187, Callimachus in Dianam v.228, ac Pausanias in Achaic., sive lib.7. cap.4. p.530. sq.; velut *Ismenus* in Boeotia fluvius *Apollini*,

lini, qui inde Deus *Ismenius* nuncupatus est, Pausaniae in Boeot. sive lib.9. cap.10. p.730, & Ovidio Metam. lib.2. v.244. dicatus, alterque ibidem *Marti* fons, quo de Pausanias eodem loci, atque *Libethridus Musis*, ac *Nymphis* in Boeotia sacer ibid. cap.34. p.778. Sed de his satis jam, ac super; videndusque, qui fuse de Divinitatibus Aquarum disseruit D. de Fontenu in Mon. Hist. Acad. Inscript. T.XII. p.29.

XXII. Pro qua perinde superstitione, Religionisque specie erga res omnes, quae ad Deorum cultum, aut Imperatorum honorem attingerent, tam Graeci, quam Latini erant adfecti, eorumdem qua *Statuis*, qua *Sepulcris* Divinus honor est habitus: indeque factum, ut eisdem quoque *Asyli* Jus fuerit adtributum; quique ad eorum sive *Statuas*, sive *Sepulcra* confugissent, certum ibi refugii, securitatisque locum reperirent. Ita *Statuae* Spartae *Veneri*, ac *Dianae*, ac *Minervae* dedicatae, Polybio in Excerpt. Legat. cap.35, ac Pausania in Lacon., sive lib.3. cap.18. p.255. testibus; *Teti* apud Euripidem in Androm. v.257; *Diis* Athenis positae in Arce, Pausania referente in Eliac., sive lib.5. cap.21. p.429; *Neptuno* apud Tenios, de quo Pausanias in Lacon., sive lib.3. cap.12. p.236, qui toto passim Opere de *Statuis* ubique *Diis*, Heroibusque positis agit, atque speciatim de *Ambologerae Veneri*, Senectutem idest retardanti; *Somno* item, ac *Morti* dedicatis in Lacon. cap.18. p.253; quas persequi velle omnes, plena res esset toedii, ac laboris. Ita *Statuas Belo* patri a *Nino* Babyloniae; sibi Durae a *Nabuchodonozore* erectas fuisse discimus ex Sapient. XIV. 15, ac Daniele III. 1. sqq.; *Ptolemaeo* Alexandriae, ac Cyrenes docet Livius lib.23. cap.10. *Juliae Berenici* Reginae *Julii Agrippae* Judeae Regis filiae Athenis liquet ex Inscriptione apud Sponium in Miscell. Erud. Antiq. sect.10. n.6. Suppl. Poleni p.1285. *Seleuco* II. *Callinico Magnesiae* in Foro, prope Aram *Bacchi* docet Ψήφισμα Decretum idest, quo foedus inter Smyrnaeos, ac Magnetes initum est, sancitumque de *Seleuci* II. Syriae Regis Aegyptiaco bello plane oppressi majestate, securitateque tuenda inter Marmora Oxon. a Seldeno primum, ac deinde a Pridaeo edita, & illustrata, exindeque a Froelichio Annal. Reg. Syr. inserta p.128. sqq. *Augusto* Romae

mae Statuas erectas fuisse auctor est Svetonius in *Tiberio* cap. 40, Pausania juncto in Eliac., sive lib. 5. cap. 12. p. 406, qui eidem *Augusto* in Euboea Statuam etiam dedicatam scribit in Corinth., sive lib. 2. cap. 17. p. 148. *Tiberio* Aspendii in Pamphylia teste Philostrato de vita Apollonii lib. 1. cap. 7. Romae quoque in Foro juxta *Veneris* Aedem, atque in duodecim Asiae Urbibus Epheso, Magnesia, Sardibus, Mosthene, Hega, Hierocaesaraea, Philadelphia, Temno, Cyme, Myrina, Apollonia, & Hyrcania, quae una nocte terraemotu prostratae a *Tiberio* refectae fuerant, velut ex Apollonio Grammatico refert Phlegon Trallianus in libro de Mirabilibus, ex Tacito Annal. lib. 2. cap. 47, Strabone lib. 12. p. 579, & lib. 13. p. 627, Dione lib. 57. p. 614, Plinio lib. 2. cap. 84, & Eusebio in Chron. vers. S. Hieron. T. VIII. p. 644. discimus. Quamquam Eusebius Urbes Asiae XIII, juncto praefatis *Tmolo*, terraemotu prostratas fuisse cit. loco scribit: ubi in Not. Schurzfleischius Urbes XIV. quinimo, *Smyrna* insuperaddita, corruisse pugnat. *Domitiano* item in Capitolio posita Statua refertur Plinio in Panegyr. 99, *Trajano* a Graecis; *Hadriano* ab Achaeis, velut *Olympio*, *Herculi*, ac *Salvatori*, legitur apud Plinium in epist. 16 ad Trajan., & Pausaniam in *Eliacis*, sive lib. 5. cap. 12. p. 406: videndique Tillemontius Hist. Imp. T. II. p. 227, ac Spanhemius lib. 8. p. 142. *Sabinae* quoque Augustae *Hadriani* Uxori, ceu *Novae Cereri*, Megarae erecta Statua, ibique *M. Aurelio* insuper; *Alexandro Severo* item, ac *Juliae Mameae*, veluti Diis *Soli*, ac *Serapidi*, inspicitur apud Sponium in Miscell. Erud. Antiq. sect. 10. n. 18, 20. sq., ac 22. Suppl. Poleni T. IV. p. 1303, 1305. sq., 1306. sq. In Insula Chio posita *Lucio Vero*; & in Thera Insula *M. Aurelio*, & *Septimio Severo* legitur apud eumdem Sponium ibid. n. 62, 64. sqq. p. 1327, & 1330. sq.

XXIII. Imperatoribus adhaec *Imagines* dedicatae eodem *Asyli* Jure donatae comparent, quales Rom. Imperatorum *Sibari* apud Pausaniam in Eliac., sive lib. 6. cap. 19. p. 499, quales *Augusti*, & *Tiberii* apud Philostratum loco ante dicto. Inde *Asyli* Jus etiam saepe translatum legitur ad *Vexilla* Militaria; cujusmodi erant in Romanis Legionibus *Aquilae* testibus Tacito Annal. lib. 1. cap. 39, ac Gellio lib. 10. cap. 15, quae tanta

tanta dignae veneratione habebantur, ut *Artabanus* Parthorum Rex, ad *Caligulae* sibi benevolentiam, gratiamque demerendam, devinciendamque, transgressus Euphratem *Aquilas, & Signa Romana, Caesarumque Imagines adoraverit*, uti legitur apud Svetonium in Calig. cap.14, & Vitel. cap.2; ad *Coronas* Magistratuum, quales erant *Archontum* Athenis, Demosthene teste in Orat.2. adversus Aristogitonem, quas *Myrteas* fuisse docet Pollux lib.8. cap.9. segm. 87. Oper. T.II. p.906. sq.; interdumque *Hederaceas* praecipue in Sacris discimus ex Alciphrone in Epist. Menandri ad Glyceram; videndusque Sigonius de Republ. Athen. lib.4. cap.1, ejusque Annotator Philip. Argelatus Oper. T.V. p.144; ad *Caduceos* Legatorum, idest Κηρύκεια Gestamina eorumdem, de quibus Pollux lib.8. cap.11. segm.138. T.II. p.961, Thucydides lib.3. cap.18, ac Suidas V. Κηρύκειον T.II. p.310; ad *Sagmina* apud Romanos, atque *Cerycia* apud Graecos, Herbae genus, quo Legati distinguebantur L.8. v.1. *ff. De Rer.*, & *Qualit.*, ac Rhodiginus Antiq. Lect. lib.21. cap.16; ad *Sepulcra* demum Heroum, aut Imperatorum, ut *Cadmi* Thebis; ut *Cecropis* in Arce Atheniensi; ut *Acrisii* in Larissa; ut *Thesei* Athenis; ut *Ajacis* in littore Rhoeteo; ut *Achillis* in Sigeo; ut *Anchisis* in Anchisa Monte inde dicto prope Aphrodisiam in Laconica; ut *Hectoris* Oedipodiae prope Thebas, ubi & *Oedipi* filiorum, & *Asphodici* Sepulcra erant sacra, Pausania teste in Beoticis, sive lib.9. cap.18. p.745. sq.; ut *Hippolyti* Thesii filii Troezene in Argolide; ut *Ini* Leutotheae sepulturae a *Lelegis* Nepotibus demandati apud Pausaniam in Atticis, sive lib.1. cap.42. p.102; ut *Erichthonii* in Aglauro Luco prope Athenas; ut *Ismari Eumolpi* filii in Eleusine cum *Celei* filiabus conditi, queis de Eusebius Praep. Evang. lib.2. cap.8; ut *Julii* Caesaris Romae, queis de Pausanias in Lacon., seu lib.3. cap.13. p.239., in Attic., sive lib.1. cap.17. p.41, & cap.35. p.86, & in Eliac., sive lib.6. cap.23. p.511. sq., Strabo lib.13. p.409, Diodorus lib.5, Marius Servius Aen.8. v.342, Apulejus cap.2, Livius lib.31. cap.29, sive Dec.4. lib.1. cap. 26. edit. Patav. T.III. p.37 sqq., ubi plura de Sepulcrorum Religione, quibus jungendi Nonius Marcellus cap.6. n.92, Gyraldus de Diis syn-

tag.

tag.17. Oper. T.I. p.471. sqq., ac Dempsterus ad Rosinum lib.1.cap.2. p.112.

XXIV. Atqui nullibi frequentior, nullaque fere, quae *Asyli* Jure non gauderet, atque tutum confugientibus praestaret receptaculum, quam apud Gentes erecta, ubique Numini cuipiam *Ara*. Et quidem *Asylo* sacrum fuisse *Altare* Templi *Hierosolymitani* ex Maimonide in *Halach Rotzach* cap.5, R. Jarchio ad Exod.xxi. 14, ac III.Reg. ii. 28. sqq., & R. Mikotzi Praecept. affirm.75, Rabbinisque aliis ad Gemarae titulum *Maccoth* cap.2. docet Seldenus de Jure Nat.,& Gent.lib.4. cap.2. p.490. sq. Ubi tamen *Asyli* jus ad solos Sacerdotes ad Altare Sacra agentes restringendum ex Paraphraste tam Chaldaeo, quam Hierosolymitano ad Exodi loc. cit., ac R. Levi ben Gersome ad cit. loc. Reg. contendit. Videndi tamen Lyranus ibid., Abulensis ad Exod. xxi. q.16, & Josue 20. q.6, aliique vulgo Interpretes Philonem sequuti Legat. ad Cajum, Calmetius in Dict. Bibl. T.II. edit. Ven. p.280, Joh. Clericus ad Num. xxxv. 6, Goodwinus Antiq. Sac. Cod. lib.2. cap. 5. p.47, Carpzovius in Annot. ibid. §.2. p.338, Benzelius in Dissert. de Asylis §.5. Oper. T.I. p.440. sq. ex locis cit. Exodi, & Reg. *Altare* refugium indiscriminatim, Homicidii voluntarii reis exceptis, praestitisse docentes. Inde ergo Ethnicorum ad *Aras* religionem isthancce defluxisse, & *Asyli* Jus derivatum fuisse intelligere facile quisque potest, quin multis opus sit probatum id efficere. Ejusmodi fuere *Arae*, quae confugientibus immunitatem praestabant, Athenis *Clementiae*, qua de Statius Theb. lib.11; Ephesi *Dianae*, Cicerone in Ver. teste; Lacedaemone duodecim *Diis*; Ilii *Palladis*; in Epiro *Dianae*, de qua Justinus lib.28. cap.3; *Jovis* Servatoris Ithacae; *Vestae*, & *Jovis* apud Molossos, Samothraces, Messenios, Crotoniatas; Romae *Concordiae*, *Jovi Elicio*, ac *Comoediae*; in Olympo Monte *Jovi*; in littore *Apollini*; Pergami, & Samos *Junoni*; in Alpibus Grajis *Herculi* teste Petronio; queis de, aliisque plurimis Homerus Iliad. iv. v.480, & Odyss.22.v.335, Statius Theb. 11, Plutarchus in Themist., Livius lib.1. cap.11, Plautus Act.5. scen.5, Virgilius Aen. lib.8., Tacitus lib.3, Pausanias in Eliac., sive lib.5. cap.13. sqq. p.408. sqq., Apollonius Rhod. Argon. lib.2.

lib.2. v.524, & 690. sqq. Jungendi Marius Servius ad Aen.loc. cit., ubi *Aras* Diis *Superis*, ac *Inferis* dedicatas fuisse; *Altaria* vero *Superis* tantum Diis erecta scribit; Lutatius Grammaticus in Statii Thebaidos lib.7, quo loci tria fuisse docet Ethnicis in sacrificando familiaria loca, per quae Expiationem facerent, *Scrobiculo* facto *Inferis*, *Aris* aedificatis *Terrestribus*, *Focis* erectis *Caelestibus*; atque Porphyrius Philosophus apud Gyraldum de Sacrificiis syntagm. 17. Oper. T.I. p.475, ubi Diis Κθόνοις *Chthoniis Caelestibus*, atque *Terrestribus* Βώμους *Aras* constituere solemne Ethnicis fuisse perhibet; Ἡρώεως *Heroibus* Ἐσχάρας *Focos* ponere; Ὑποχθονίοις Diis *Subterraneis* Μέγαρας *Fossas*, Scrobesque statuere; *Mundo* demum, ac *Nymphis*, aliisque hujusmodi *Antra* dedicare: quae omnia apud ipsos *Asyli* jure gaudebant. Conferendus etiam Joh. Philipp. Pfeifferus in Antiq. Graec. Gentil. lib.1. cap.37. p.78. sqq., quo loci fusius de ejusmodi apud Ethnicos sacris Aris agit.

XXV. Sed enim istiusmodi *Asyli* Jure *Templa* insignita erant quammaxime, non utique quaelibet, sed ea dumtaxat, quibus consecrationis lege id privilegii fuisset concessum. Cujusmodi fuere procul dubio Templum Babyloniae primum *Nino* Marito a *Semiramide* aedificatum; a *Cadmo* Thebis *Apollinis Ismenii* apertum; atque Delphis in Phocide *Minervae*, Pausania referente in Boeot., sive lib.9. cap. 12. p. 733. sq.; *Osiridi* in Aegypto Heliopoli, qua de fuse Jablonskius Panth. Aegypt. lib.2. cap.1. p.122. sqq.; *Misericordiae* Canopis in Aegypto ab *Hercule* positum apud Herodotum lib.1. cap.113; alterumque *Clementiae* Athenis ab *Herculis* prognatis institutum, de quo Statius Theb. lib. 12. vers. 497; *Serapidis* Alexandriae, in Saitide *Osiridi*, sive *Soli* dicatum, atque *Veneri* Byblis apud Strabonem lib. 17. p. 551. *Asylo* etiam Sacrum tam jamdiu Arabibus, quam hodiedum Mohammedanis semper est habitum *Meccanum* Templum, quod ab *Adamo* exstructum alii apud Zamchascerium; ab *Abrahamo* alii apud Al-Kodajum jactant; adeo religiose omnibus habitum, ut impio, atrocique pro facinore reputaretur cuipiam injuriam hoc in Templo inferre, uti legitur in Alcorano Sura V. v.10, Surata

3.97, docentque Al-Bocharius in Sonna, & Ebn ol Athir, qua de Pocokius in Specim. Hist. Arab. p. 313. sq., & David Millius in Dissert. Select. dissert. x. de Mohammedismo p. 11. sq. p.318. sqq. Religione, & *Asylo* cunctis etiam habita leguntur Templa *Hermionae* in Peloponneso *Cereri*, ac *Proserpinae* dedicata. In Syria *Apollini*, de quo Strabo lib. ult. *Hebae* Phliasiae, & Corinthi apud Pausaniam in Corinth., sive lib.2. cap.12. p.138. sqq. *Neptuno* Taenari in Laconica, & in Calauria Aegei Maris Insula, referentibus Cornelio Nep. in Pausania cap. 4, Strabone lib. 8. p. 250, & 257, ac Pausania in Corinth., sive lib. 2. cap. 33. p. 189. sq., & in Lacon., sive lib.3. cap.12. p.236; *Apollini*, ac *Phoebe* in Monte Cynthio Insulae Delos Aegei Maris apud Strabonem lib. 10. sub finem; In Insulis Samos, & Coo *Junoni*, & *Aesculapio*, Tacito teste Annal.lib.4. cap.14. *Diis Omnibus* dedicatum Prisci, & *Aesculapio* cognominato *Philolao*, idest *Publicolae* Asopi in Laconica, de quo Pausanias lib.3.cap.22. p.267. Tegeatae *Aleae Minervae*, & *Apollini Agyieo* apud eumdem in Lacon. cap.5. p.216, ac in Arcad., sive lib.8. cap. 53. p.706. sq. *Dianae* in Thracia; in Aphrodisio, & Papho *Veneri*; Stratonicae *Jovi*, ac *Triviae*; in Magnesia *Dianae Leucophrynae*; *Persicae Dianae* Hierocaesareae; *Aesculapio* Pergami; in Cypro *Jovi Salaminio*, ac *Veneri Amathusiae*, referente Tacito Annal. lib.3. cap.63; Gadibus *Herculi* a Phoenicibus; Castani in Chersoneso *Molpadiae*, Rheae, & Partheniae Sorori, ab *Apolline* titulo *Semideae* decoratae; quod a Persis etiam Graecas vastantibus Urbes, atque a Latronibus insuper omnia rapientibus religiose observatum est; *Teni* Coloniae duci in Insula Tenedo, Diodoro testatum faciente lib.5. cap.7, 14, & 17. p.141. sqq.; queis de, aliisque plura Alexander ab Alex. Gen. Dier. lib. 3. cap. 20, Hospinianus de Templ. lib.1. cap.15, Osiander de Asylis Gent. Antiq. Graec. T. VI. p. 2852. sq., Marshamus in Can. Chron. Secul. XIII. p. 354. sq., Rittershusius de Asylorum Jure cap. 2. sqq. Crit. Sacr. edit. Francof. T.VI. p. 220. sqq., ac Potterus Archaeolog. Graec. lib.2. cap.2. Antiq. Graec. T.XII. p.196. sqq. Romae ad haec *Templum* a Romulo aedificatum, *Jovi Capitolino* postea dedicatum a *Numa*, Θεῷ Ἀσύλαιῳ adpellatum, quod per-

perfugis omnibus patere, atque securitatem praebere omnimodam voluit, quòve profecto confestim Latinos, Thuscosque Pastores, Transmarinos quoque Phryges sub *Aenea*, & Arcades sub *Evandro* confluxisse refert Florus lib. 1. p. 5, docent Plutarchus in *Romulo* p.41, Livius lib.1. cap.8, Dionysius Halic. lib.2. p.88, ipsosque pone sequuti Manutius de Civit. Rom. Antiq. Rom. T. I. edit. Ven. p. 34, & 39, Donatus de Urbe Rom. lib.2. cap.10. Antiq. Rom. T. III. p. 66 5. sqq., Pighius Annal. T.I. p.14, & Pitiscus in Lex. Antiq. T.I. p.194. sq. Romae praeterea amplis pro *Asylis* patuisse Templa Dearum, qua *Pandae* tradit Plutarchus Antiq. Rom. T. VII. p.233; qua *Cereris* testatur Varro de Ling. Lat.cap.3; qua *Dianae* in Aventino, alibique alia scribunt Cicero in Agrar., Dionysius Halic. lib. 4, ac Dio lib.41. Ad haec Romae *Soli* ab *Elagabalo* Templum cum *Asylo* aedificatum legitur; in Sicilia vero *Palicorum* Dearum Fanum tutissimum confugientibus *Asylum* praestasse refert Diodorus lib.11.p.270.sq. *Augusto* ipsi in Creta aedificatum Templum pro *Asylo* fuisse tradit Tacitus lib.3.cap.40; atque Spartae in foro Fana duo *Julio* unum, *Augusto* alterum dedicata Immunitatem praebuisse refert Pausanias in Lacon., sive lib. 3. cap. 11. p.232.

XXVI. Regiones at enim integrae Ἀσύλιας Jure ubique insignitae plurefque oppido leguntur passim apud Auctores. Cujusmodi fuere *Tyssagetidis* apud Melam lib. 3. capp. 5, & 21, ac Bonfidium lib.1. Dec. 1; *Arympheidis* apud Plinium lib. 6. cap. 13; *Delos* Insula, qua de Callimachus hymno in Delos v. 3, ac Livius lib.44. cap.29; *Argos* in Graecia apud Aeschylum Suppl. v. 6. 8; *Calmiria* Insula Peloponnesi *Neptuno*; ac ibidem *Elis* dicata *Herculi*, Pausania teste in Eliac. post., sive lib.6. cap.23. p.511, juncto Polybio lib.4. cap. 73; Insula *Cypri Paphiae*, & *Amathunteae Veneri* sacra; *Corinthus*, Isthmo nempe *Neptuno*, Promontorio *Soli* adjudicatis, referente Pausania lib.2. cap. 1. p.112; Insula *Samos Junoni* sacra, qua de Livius lib. 4. cap. 5, atque Pausanias in Achaic., sive lib.7. cap.4. p.530. sq., qui in Eliac. post., sive lib.6. cap.3. p.459. sq. Samios, & Jonios de una fidelia, quod ipsorum fuisse Verbum refert, parietes duos dealbasse adfirmat, quod

 Alci-

Alcibiadi, ac *Lysandro* divinos *Jovis*, ac *Junonis* honores utrinque detulerint; in Creta *Dylopolis*, de qua Solicrates rerum Criticarum Narrat. 1; *Jerodylis*, Servis dicata Civitas apud Alexandrum Gen. dier. lib.3. cap.20; *Dianae Tiphateae* Regiones amplae consecratae, ut *Mylasena* Regio, de quibus Polybius in Excerpt. Legat. cap.36, Vellejus lib.2. cap.25, ac Livius lib.38. cap. 29; *Neptuni* Insula in Macedonia, ibique Regiones aliae in Nummo apud Goltzium Tab.22, in Ponto *Chalceritis*, Graecis *Aria* dicta, *Marti* sacra Plinio teste lib.6. cap.12; in Phocide *Cirrhaei* una cum Urbe Campi Templo *Apollinis* Delphico tributi apud Diodorum lib.16. p. 496, Polyaenum Stratag. lib.3, Justinum lib.8. cap.1, atque Pausaniam in Phocic., sive lib. 10. cap. 37. p. 893. sq.; *Delphus* Urbs integra ob *Apollinis* religionem, veluti legitur in Lapide Delphico apud Sponium Itin. T.III. Par.II. p. 1, ac Whelerum Itin. T.II. p.346; *Poneropolis* in Thracia, in quam a *Philippo* velut in sentinam fuisse collectos Infames quoslibet, atque moribus improbos refert Theopompus in Rerum Philippicarum lib. 13; in Samothraciae Insula *Cabirorum*, quò confugientes Sceleſtos omnes inviolatos praeſtitos fuisse, atque *Augusti* ordinatione totam *Inviolati Soli* factam referunt Livius lib.45. cap.5, atque Suidas V. *Samothracia* T.III. p.280; in Aegypto *Dylopolis*, qua de Olympianicor. lib.8; *Zelitis* in Armenia, ut ibidem eam constituere videntur Dio lib.42. p. 207, & Appianus in Mithr. p.387, verius constituenda in Ponto cum Strabone lib.12. p.385, ac Hirtio de Bello Alex., ab Urbe *Zela* denominata, Regio, ubi olim celebre *Anaitidis* Persis quammaxime sacrum fuisse Delubrum, ejus Pontificem divitiis, potestate, atque Hierodulorum multitudine affluxisse, eique Delubro plurimum agri a *Pompejo* fuisse adjectum refert Strabo loco ante dicto; in Syria *Essenorum* Regio, ad quos usquequaque nocentes fugitare gentes consuevisse memoriae prodidit Plinius lib.5. cap. 17; Regio circa *Hierusalem* Sancta, & inviolabilis habita, una cum Urbe, ac Templo, ex *Demetrii Soteris* indulto in gratiam Judaeorum, ad eorumdem amicitiam, societatemque adversus aemulum *Alexandrum* aucupandam, devinciendamque, *Jonathae* Macchabaeo ultrocitro-

troque oblato, quo etiam indulto comprehensa videri potest *Bethsura* Oppidum, sive Castellum non longe ab Hierosolymis distans, quove de Indulto Scriptor I. Macchab. X. 14, & 43, ac Josephus Antiq. lib.13. cap.5, edit. Lauri cap.3.

XXVII. Insigni sed enim isto *Asyli* Jure, quo de superbirent obtento, obtentoque de conservando sollicitae se praestabant ideo quammaxime, Urbes praesertim ubique oppido pleraeque gavisae, adeoque ut ab ejusdem titulo in Nummis abstinere religioni ducerent, leguntur. Hinc vel ipsarum Urbium Januas, Murosque olim *Asylo* Inviolabiles adpellare non dubitavit Varro apud Plutarchum in Quaest. Rom. p. *665*, & Cassius lib. 8. §§. 2, & 10. ff. *De Divis. Rer.*, & *Qualit.* In Urbibus ipsis vero *Sacrum*, intemeratumque habitum olim fuisse, quidquid *Diis* fuisset dedicatum testis accedit locuples Trebatius de Relig. lib. 1. apud Macrobium Saturn. lib.3.cap.3. Utque de Urbibus in Vet. Test. *Asylo* dicatis, queis de nonnulla supra jam attigi, nihil modo retexam, istiusmodi sane *Asyli* privilegio munitae, decorataeque leguntur vel apud Ethnicos Urbes, eaeque vel in sola Graecia utique longe plures, quam quindecim, aut viginti, quot dumtaxat *Asyli* jure gavisas fuisse Suavis Polanus de Asyl. contendit, *Tutelaribus* dicatae Numinibus. Inter quas *Asylo* insignitae celebriores habitae sunt *Hierosolyma*, *Demetrii Soteris* indulto, ut supra dicebam; ejusdem *Demetrii* beneficio *Tyrus*, ut ipsius ex Nummis adparet, ob *Herculis* honorem, apud De Wilde in Num. Select. p.37, Harduinum in Chron. Vet. Test. p.611, ac Froelichium in Num. Antiq. cap.6. p.119, & Annal. Reg. Syr. p. 103. sqq.; *Ephesus*, ob honorem *Dianae*, indulto *Alexandri* M., teste Strabone lib. 14. p.441; *Smyrna* Decreto *Seleuci* II. *Callinici*, uti legitur in Marm. Oxon. Par. I. p.6, ac in Nummis apud Froelichium Num. Antiq. p. 112; *Laodicea*, beneficio *Antiochi* VIII, uti singulari liquet ex ipsius Nummo e Museo Ducis de Devonshire ab Haymio Thes. Britan. T. I. p. 93. sq. exhibito, duplicique alio Cimelii Reg. Galliar. in V. *Recueil des Medailles des Rois* Paris. 1762, ac ex altero *Trajani Decii* apud Goltzium; *Byblis*, *Caesarea* ad Panium, *Gabala*, *Dora* in Phoenice, *Samosata*, *Antiochia* Syriae, *Damascus*, *Apamea* in Cae-

Caelesyria, *Heraclea*, *Seleucia* Pieriae, *Nicomedia*, *Rhosos* in Syria, *Demetrias*, ita *Sicyon* dicta, *Sebastes* in Cilicia, ibique *Mopsvestia* &c. in Nummis apud Tristanum, Patinum, Harduinum, Vaillantium, Spanhemium, Massacum, Froelichium in Num. Antiq. p.45.sqq.; *Daphnes* prope Antiochiam II. Macchab. IV. 33. sq. Ita & *Asyli* jus *Asiae*, & Graeciae Urbibus a Romanis aut restitutum, aut confirmatum, aut indultum, Templorum *Tutelaribus* dicatorum Numinibus habita ratione, constat, Tacito accedente teste Annal. lib. 3. cap. 63, cui jungendus Spanhemius de Num. Praest., & usu p.778; veluti *Magnesiae* a *Scipione*, & a *Sylla*, Tacito teste lib. 3. cap. 42; *Zelae*, duabusque *Comanis* Urbibus in Ponto, & Cappadocia ob Templum *Bellonae*, cujus Pontifex tanto habebatur in honore, ut majestate, imperio, auctoritateque secundus a Rege reputaretur, teste Strabone lib. 12. p. 383; queis de *Bellonae* Fanis, atque Sacerdotibus plura Monum. Acad. Inscript. Paris. T.VII. p. 203; *Olbae* in Bithynia, ob celebre *Neptuni* Templum Melae lib. 1. cap. 19. memoratum, ab *Augusto*, uti liquet ex Nummo Vaillantio incognito, de quo Abbas Belleyus in Ephemer. Gall. Jun. 1745; *Stratonicae* ob *Jovis*, & *Aphrodisiae Triviae* reverentiam a *Julio*, & ab *Augusto*; *Hierocaesareae* ob religionem *Dianae Persicae*, olim a *Cyro* impetratum, deinde a *Perpenna*, atque *Isaurico* confirmatum, Tacito Annal. lib. 3. cap. 62. teste; *Cypro*, ratione habita *Veneris Paphiae*, & *Amathusiae*, ac *Jovis Salaminii*, prius a *Teucro*; *Sardibus*, ob honorem *Dianae* pridem ab *Alexandro*; ob gratiam *Apollinis Mileto* prius a *Dario*, post a Romanis adprobatum; ob honorem *Aesculapii Pergamo*; Veneris *Stratonicae Smyrnae*; atque *Neptuni Tenos* Aegei Insulae ab *Augusto* restitutum, aut collatum apud Tacitum Annal. lib. 3. capp. 43, & 62.

XXVIII. A Templis itaque ut plurimum, quae *Tutelaribus* dicata Numinibus fuerant, *Asyli* jus provenire in Urbes consuevisse inde patet; unde Persas sub *Xerse* ob Templorum in Graecia *Asyli* jus violatum inter Barbaros habitos fuisse refert Cicero de Legib. lib. 2. Atque ita a Templis *Apis Memphis* in Aegypto *Asylo* insignita est, *Aesculapii Dotium* apud Herodo-

rodotum lib. 3. cap. 29; *Thebis* in Boeotia a Templo *Herculis*, *Apollinis Delos* Insula apud Callimachum hymno in Delos ver. 3, Herodotum lib. 4. cap. 9, ac Livium lib. 44. cap. 29; a Templo *Dianae Leucophrynae Magnesia*, atque *Apollinis Didymei Miletum*, queis de Strabo lib. 14. p. 437, & 445, Plinius lib. 5. cap. 29, ac Mela lib. 1. cap. 17, videndusque Lipsius ad Tacitum lib. 3. §. 121. p. 94; *Dianae Persicae Hierocaesarea*; *Dianae Multimammiae Ephesus*; *Dianae Artemidis Perge* apud Tacitum lib. 3. cap. 62. sq. Ita a Templo *Junonis* in Troade *Asyli* Jus tulisse legitur *Ilium*, de quo Virgilius Aen. 2; *Aesculapii* in Argolide *Epidaurus* apud Plutarchum in Pericle p. 171, Livium lib. 45. cap. 28, & Plinium lib. 4. cap. 5; *Neptuni* in Laconica *Taenarum*, quo de Strabo lib. 8. p. 250, Pausanias lib. 3. cap. 25. p. 275, & Cornelius Nepos in Pausania cap. 4. Ita *Apamea* a Templo *Jovis* Sacrae & Inviolatae nomen tulit; *Metropolis* in Phrygia a *Matris Deorum Magnae* fano Ἱερᾶς titulo insigniri meruit in Nummo apud Holstenium in Not. ad Steph. p. 208; *Aega* in Achaja a *Salutis* Deae Templo celebre, sacrumque obtinuit nomen, quo de Pausanias lib. 7. cap. 24. p. 584. Ita a Templo *Bacchi*, & *Cereris* Ἱερᾶς *Asylo* sacra, inviolataque denominari obtinuit *Tmolus* in Lydia apud Strabonem lib. 13. p. 430; *Herculis* in Phoenicia *Thyrus* in epist. Maximini ad Tyrios, de qua Eusebius Hist. Eccles. lib. 9. cap. 7; quam Urbem a Regibus, & a Romanis ob antiquum ejus splendorem declaratam adfirmat Strabo lib. 16. p. 521; *Jovis Hospitalis* in Cypro *Amathusia* apud Ovidium Metamor. lib. 10; *Minervae Aleae* in Laconica *Tegeata* apud Pausaniam lib. 3. cap. 5. p. 216; *Jovis Atabyrii*, ac *Jovis Labrandaei* Insula *Rhodus*, & *Agrigentum*, queis de Apollodorus lib. 3. cap. 11, Polybius lib. 9. cap. 21, & Lactantius Inst. lib. 1. cap. 22; *Apollinis* Urbes non paucae, quales *Lappa*, *Delphis*, *Zela*, *Seleucia* apud Philostratum in Vitis Sophist. lib. 2. p. 568. Atque in Urbibus hisce quidem, aliisque multo pluribus, sive Fanis amplissimum olim patuisse reis *Asylo* perfugium ex Scriptoribus praecitatis indubium fit. Quamquam *Asyla* istiusmodi postea coarctata fuisse, justosque, atque certos infra fines definita, coercitaque liquet: de *Epheso* intra Stadium comprehensa ab

ab *Alexandro*, paullo amplius extensa a *Mithradate*, plus adhuc ab *Antonio*, intra Templi ambitum demum ab *Augusto* coarctata, ex Strabone lib. 14. p. 427, ac ex Nummis *Neronis*, *Vespasiani*, *Philippi* &c., ubi Templum *Dianae* dumtaxat *Asylo* sacrum dicitur: de *Caesarea* in Palaestina ex *Caligulae* Nummo apud Vaillantium in Num. Graec. Imp. p. 10, ac Relandum Palaest. illust. lib. 3. p. 676. edit. Ultraj., Norimb. p. 503: de *Perge* ex Nummis *Philippi*, & *Tranquillinae*, ubi soli Templo *Asyli* jus tributum legitur. Atque ita amplae *Samos* Insulae, *Hierocaesareae*, Insulae *Delos* &c., *Asyla* justos deinde intra limites definita sunt; non secus atque *Asyla* Templi *Apollinis Delphis*, in Aelide *Pelopis*, *Dianae Scillunte*, *Lechyti Palladis* &c. apud Thucydidem lib. 4. §. 116. *Asylis* demum in Graecia jus praescriptum a *Tiberio* fuisse testes accedunt locupletes Svetonius in Tiberio cap. 37, ac Tacitus Annal. lib. 3. cap. 63: ubi tamen Ubbo Emmius *Asyla* universa a *Tiberio* sublata ex Svetonio, & Strabone apud Gronovium Antiq. Rom. T. IV. edit. Ven. p. 546. arguens, refellitur a Pottero Archaeolog. Graec. lib. 2. cap. 2, Antiq. Graec. T. XII. p. 213, a Donato de Urbe Rom. lib. 2. cap. 10. Antiq. Rom. T. III. p. 665. sq., a Pitisco in Lex. Antiq. Rom. T. I. edit. Ven. p. 194. sq., & a Guasco Rhem. Canon. in dissert. de *Asylis* sect. 5. Oper. T. II. p. 146. sqq., a *Tiberio* ex Senatus Consulto *Asylis* Provinciarum modum dumtaxat fuisse praescriptum ex Tacito ostendentibus: quod ipsum ostendunt Urbium Nummi, quae sub *Tiberio*, tumque adhuc postinde *Asylo* potes in ipsis adparent, veluti *Sicyon* in Achaja sub *Tiberio* apud Goltzium; veluti *Cranion* in Cephalenia sub *Antonino Pio*, aliaeque, queis de modo.

XXIX. Insigni enim vero isto de *Asyli* Jure, tituloque, quo profana velut a conditione ad Sacram elevari, publicisque levari oneribus, Vectigalibus, atque tributis, ac Militaribus quin insuper expeditionibus, hostilibusque impressionibus liberari, in tutoque poni videbantur, adeo sollicitae Urbes semper visae sunt, ut tum de ipso sarto tectoque conservando nullum apud Imperatores loco non moverint lapidem, quomodo apud *Tiberium* certatim viribus contendisse omnibus

bus *Magnesios*, *Sardianos*, *Aphrodisios*, *Stratonicos*, *Hiero-Caesareenses*, *Cyprios*, *Milesios* &c., quo denique fieret, ut integrum suis, intactumque Urbibus maneret *Asyli* jus, constat ex Tacito Annal.lib.3.cap.42.sq., & 62. sq., qui lib.4. cap. 14. similia de conatu vicissim a *Samiis*, ac *Cois*, ab illis pro *Junonis* Templi *Asylo*, ab his pro *Asylo* Templi *Aesculapii* confirmando, interposito tradit, tum ejusdem *Asyli* juris memoriam ad seros usque posteros Nummorum, ac Lapidum, queis illud insculptum adhuc inspicitur, ope transmitterent. Atque ita profecto, ut nonnulla proferam exempla, *Asylo* Sacrae inscriptae adparent Urbes in Judaea *Capitolias*, in Nummo *Severi* Ἱερας dicta apud Holstenium in Not. ad Stephan. p.159, Norisium de Epoch.Syrom.p.337, ac Cellarium Geogr. Antiq. T.II. p.535; in Samaria *Dora*, in *Trajani*, & *Hadriani* Nummis Ἱερας Ασύλ *Sacra*, & *Inviolabilis* nuncupata apud Harduinum p.51, & 751, Norisium loc. cit. p.477.sqq., Spanhemium Orb. Rom. Exerc.2.p.111, ac Relandum Palaest. illust. lib.3. p.741. edit. Ultr., Norim. p.550; in Palaestina *Caesarea*, antea *Paneas*, a Dei nempe *Panis* delubro dicta, in Nummo *M. Antonini Sacra*, & *Inviolabilis* adpellata apud Holstenium p.154, Norisium de Epoch. Syrom. p.467. sqq., ac Cellarium Geogr. T.II. p.526; in Philistaea *Gaza* a Delubris octo *Soli*, & *Veneri*, *Apollini*, & *Proserpinae*, *Hecati* etiam dictae, *Herioni*, & *Fortunae*, Τυχαίον alias denominatae, *Junoni*, & *Marnae* dicatis, queis de Marcus Diaconus in vita S. Porphyrii Gazensis Episcopi cap.9. in Act. SS. T.V. p. 655, in Nummis apud Relandum loc. cit. p.797, sive p.590. Ἱερας Ἄσυλ nominata. Ita in Arabico sinu *Bethsames* in Nummo *Trajani*, ceu *Soli* dicata Urbs, apud Goltzium in Thes. p.210, *Asyli* privilegio decorata aestimari debet; eodemque adaucta honore videtur dubio procul Urbs in Arabia Felice *Atta* in *Trajani*, & *Getae* Nummis apud Tristanum, Patinum p.7, Spanhemium p.896, & Harduinum p.30, ubi tamen Harduinus ad *Ataeam* Phrygiae, Tristanus ad *Ataeam* Laconicae, verius Spanhemius ad *Attam* Arabiae Nummos hosce refert, in quibus cum *Aesculapii* figura inscriptio haec habetur Ιερος Δημος *Sacer Populus*, eidem nempe *Aesculapio* dicatus.

catu. In Arabia Petraea *Moka* Ἱερὰς Ἀσύλου Αὐτονόμου *Sacra*, *Asylo Sacrosancta*, *Libera*, seu *Autonoma* in Nummis legitur *Antonini Pii*, ac *Septimii Severi* apud Patinum p.230, Vaillantium, & Harduinum p.108, cujus alibi scrupulos a Spanhemio, ac Bimardo avulsos vidimus. *Paraetonio* in Inferiori Libya Urbi *Sacrae*, & *Inviolatae* titulus etiam tributus in Nummo *Titi* Goltziani Thesauri p.224. liquet: ita) & *Cyrenes* in *Augusti* Nummo *Sacra*, & *Libera* Civitas apud eumdem p.219. comparet. In Numidia *Admedera* titulum & ipsa *Sacrae*, & *Inviolatae* tulit in Nummo *Domitiani*, quo de Goltzius p.207, & Harduinus p.6. In Africa *Carthago*, quae *Veneri Caelesti* dicata conspicitur in Nummo apud Harduinum p.42, ubi ejusdem *Veneris* Templi effigies inscalpta visitur, eumdem in Sacrarum Urbium censum est referenda.

XXX. Atque istiusmodi sane, quo adeo superbiebant Urbes, aliis caeteroquin illustres, titulus Ἱερᾶς, ϗ Ἀσύλου *Sacrae*, & *Inviolabilis* in Nummis *Syriae* Civitatum frequens, & obvius passim occurrit: ut in *Balaneae* Nummo *Caji* apud Goltzium p.210; ut in *Thapsaci* Nummo *Trajani* ibidem p. 233, & Harduinum p.68; ut in *Gabalae* Nummo *Elagabali* ibid. p.215, ubi & *Gabalae* Tutelaris Genius *Sol* in *Augusti* Nummo, & *Solis* Sacerdos *Elagabalus* legitur, non *Antoninus Pius*, ut Harduinus perperam interpretatur p.61; ut in *Arethusae* Nummo cum *Jovis* effigie, ac Ἱερᾶς Αὐτονόμου epigraphe apud Spanhemium Orbis Rom. Exerc.2. Antiq. Rom. T.XI. edit. Ven. p.111; ut in *Antiochiae* Syriae Nummis Mediceis apud Norisium de Epoch.Syrom.p. 168; ut in *Laodiceae* ad Mare *Antiochi* VIII. *Grypi* Nummo Ἱερᾶς Αὐτονόμου inscripto apud Froelichium in Annal. Reg. Syr. p.93; ut in *Heliopolis* Nummis *Severi*, *Philippi*, & *Valeriani*, queis de Cuperus p.208, Tristanus T.II.p.106, Occo p.441, & Harduinus p.66, ubi *Jovi* dicata Urbs legitur, ac *Jovis* in honorem *Capitolina*, *Iselastica*, & *Oecumenica* celebrata visuntur Certamina. Ita & in Caelesyria, Phoenicia, ac Syrophoenicia eodem *Sacrae*, & *Asylo Intemeratae* titulo illustratae Urbes inspiciuntur *Antiochia* ad Hippum in Nummis M. *Aurelii*, *L.Veri*, *Faustinae Jun.*, & *Commodi* apud Tristanum T.I. p.692, Patinum p.16, & 246,

& 246, Norisium de Epoch. Syrom. p.345. sq., & Harduinum p.18. *Apamea* ad Axium, & *Seleucia* in Mediceis Nummis apud Norisium de Epoch. Syrom. p.84, & 278.sqq., aliisque apud Vaillantium, ac Froelichium Annal. Reg. Syr.p.103.sqq. *Damascus* in Nummis *Caracallae*, *Elagabali*, & *Alexandri Severi* apud Patinum p.308, & 334, Harduinum p.48, ac Norisium loc.cit. p.93. *Tyrus* in Epistola Tyriorum anno Christi 174. scripta, apud Scaligerum Can. Isag. p. 301, Gruterum Thes. Inscript. p.1105, ac in Nummis, queis de Norisius p.406. sqq., Harduinus p.174, Froelichius Annal. Reg. Syr. p. 103. sqq., ac Spanhemius de Praest. Num. p.779, ac Orb. Rom. Exerc.2. p.110. *Byblos* in *Claudii*, *Commodi*, *Severi*, *Caracallae* &c. Nummis apud Norisium de Epoch. Syrom. p.489, & Harduinum p.37. *Aradus* in Nummo, de quo Harduinus in Chron. Vet. Test. p.582, Vaillantius Hist. Reg. Syr. p. 345, & Norisius p. 453, quam videlicet Urbem a *Seleuco* II. *Callinico* insigni *Asyli* jure decoratam refert Strabo lib.16. p.518. *Sidon* in Nummis apud Froelichium Annal. Reg. Syr. p.113. sqq., ubi titulo cum Ἱερᾶς *Sacrae*, tum Θεᾶς *Deae* superbe insignita Urbs visitur. In Commagene item *Samosata* eodem *Asyli* privilegio illustrata comparet in Nummis *Antonini Pii*, & *M. Aurelii* apud Patinum p.227, & 244, ac Norisium p.145. Ita *Samos* Insula *Lunae* dicata, ut ex Nummo apud Patinum p.58. adparet, a *Junonis* Templo celeberrimo, *Heraeo* dicto Straboni lib. 14. p. 438, idest *Junonio*, vetus *Asylejae* Jus obtinuisse, non secus atque Insula *Coos* ab *Aesculapii* delubro auctor est Tacitus Annal. lib.4. cap.14.

XXXI. Atque Graecis quammaxime Civitatibus id curae fuisse, ut qua *Tutelares* erga Genios superstitione fuere semper adfectae, ipsis dicata Fana sacro *Asyli* Jure fruerentur integro, perpetuo, illibatoque; ex Nummis abunde fit manifestum. Ita namque in Jonia *Ephesus*, Plinio lib. 5. cap. 29, *Asiae lumen*, & *Amazonum Opus* dicta, cui splendorem addidit haud modicum *Dianae* Templum toto illustrissimum Orbe inter Portum, & Urbem situm, quale Herodoto lib. 1. cap.26, ac Straboni lib. 14. p. 427. designatur, cuique Templo aedificando operam a tota Asia ducentis annis fuisse impensam, Ro-

mae *Servio* ſub Rege, referunt Plinius lib.36. cap.14, ac Livius lib.1. cap.45, *Epheſus*, inquam, ab eodem *Dianae* Templo Ἱέρας & Αὐτονόμου *Sacrae*, *Inviolabilis*, & *Autonomae*, ſuis ideſt viventis Legibus, & *Aſylo* intemeratae titulo decorata legitur in Nummis *Veſpaſiani*, & *Commodi* apud Goltzium Theſ. p. 214, ac Holſtenium in Not. ad Steph. p. 123. Queis jungendi Nummi *Antonini Pii*, ubi Πειῳ Ναός *Jovi Pio* Templum Epheſi aedificatum adparet apud Seguinum p. 147, & Inſcriptio apud Sponium Itin. Athen., ubi Ἀρτεμιδι Εφεσια πολύμαςῳ *Dianae Epheſiae Multimammiae* Templum aliud longe celebrius dedicatum inſpicitur. Quatuor etiam Templa Epheſi Domui *Auguſtae* fuiſſe aedificata, unde fortaſſe quater Urbs Νεωκόρου retuliſſe titulum videtur, ex *Caracallae* Nummo, ubi ſcalpta conſpiciuntur, diſcere licet. Ad haec Joniae Urbs duplex alia tam *Dios* a Templi religione, ac *Aſylo* Ἱέρας denominata, indeque *Diosjeron*, copulata voce, Stephano de Urbib. p. 100, ac in Nummo *Auguſti* apud Harduinum p. 51, quam *Erythra* ab antiquiſſimo *Herculi* dedicato Fano, quo de Pauſanias in Achaic., ſive lib. 7. cap. 5. p. 210, *Sacrae* loco habita viſitur in *Elagabali* Nummo apud Triſtanum T.II. p. 331. In Pſephiſmate, ſive Decreto de foedere, quo ſe mutuo ad *Seleuci* II. *Callinici* adverſus *Ptolemaeum Evergetem* Aegypti Regem adjuvandas partes Smyrnaei, ac Magneſii obligarunt, tam a *Veneris Stratonicidis* Delubro *Smyrna*, quam a *Dianae Leucophrynis* Fano *Magneſia Sacrae*, & *Inviolatae* titulum retuliſſe leguntur in Lapide Arund. ex Seldeno, & Pridaeo deſcripto a Froelichio in Annal. Reg. Syr. p. 128. ſqq. In Moeſia inferiore *Nicopolis* ad Iſtrum ob *Priapi* Templum Ἱερὰς *Sacrae* nomine, & *Aſylo* illuſtrata legitur in *Caracallae*, & *Plautinae* Nummis apud Patinum p. 310. Quibus adjungendus *Severi* Nummus alter rarus admodum, ubi *Priapo* dicata *Nicopolis* viſitur apud Cuperum in Epiſt. ad Scheuchzerum Amoenit. Hiſt. Schelhornii T.II. p. 853. Idem vero Ἱερὰς *Sacroſanctae* titulus *Apollini* dicatae, *Nicopoli* cognominatae Urbi in Epiro alteri prope *Actium* nobili cum *Apollinis* Templo ab *Auguſto* conditae, Plinio teſte lib. 4. cap. 1, tributus adparet in Nummis *Auguſti* Urbis conditoris, *Aelii Caeſaris*, & *Alexan-*

dri

dri Severi apud Harduinum p. 125. *Anderae* in Aeolide celeberrimum extitisse *Cybeli* Deorum Matri dedicatum, unde *Sacrae* nomen Urbi adhaesit, Delubrum auctor est Strabo lib. 13. p.614. Sed & *Deae Phrygiae* effigiem Nummus *Gordiano Jun. Anderae* cusus refert apud Ligorium, si tamen sincerus est, & Α'νοθευτΘ· apud Holstenium p.35. In Caria *Bargyla* in Nummo *Caji Sacra*, & *Libera* apud Goltzium; in Lydia *Daldis* a Templo *Dianae* Ι'ερὰς *Sacrosancta* item in *Gordiani Jun.* Nummo apud Harduinum p.48. nominatur; atque in Creta Insula *Lappa* quoque cum *Asyli* titulo inscripta legitur in Nummo Reginae *Christinae* apud Spanhemium Orb. Rom. Exerc. 2. §.15. Antiq. Rom. T.XI. edit. Ven. p. 118, ac de Praest. Num. p.342, ac 901.


XXXII. Eodem, quo de summopere fuere sollicitae, decoratae insigni se nobis offerunt Urbes in Graecia pleraeque aliae, inter quas a *Dianae* Templo in Phrygia *Dionysopolis* in Nummo apud Goltzium Tabul.xxviii,ac *Pergamum* a Templo *Aesculapii*, Tacito referente Annal. lib. 3. cap.63. *Asyli* privilegium adeptae sunt. In Pamphylia eodem *Perge* inscripta legitur honore in *Gordiani Jun.*, *Philippi Sen.*, *Gallieni*, & *Saloninae* Nummis apud Spanhemium p. 782, & Harduinum p.134. In Cilicia & ipsa Ι'ερᾶς, & Α'σύλȣ, & Αὐτονόμȣ ΝαυαρχίδΘ· Ε'λευθέρας *Sacra*, *Asylo Sacrosancta*, *Autonoma*, *suis utens Legibus*, *Classica*, & *Eleuthera* gemina legitur Urbs, *Corycus* in Nummis *Alexandri Severi*, *Gordiani Pii*, *Philippi*, & *Valeriani*, ubi & Θεογαμία cum *Bacchi* effigie certamina, idest in Deorum Nuptiis celebrata in *Valeriani* Nummo conspiciuntur; ac *Sebaste* in Nummis *Commodi*, *Crispinae*, ac *Valeriani* apud Occonem p. 419, & Harduinum p.90, & 150. In Mysia ab *Hercule* in *Tranquillinae* Nummo *Germe*, & a *Rhea* Deùm Matre, *Dindymena* Scholiasti Apollonii lib.1. v.985. dicta,*Cyzicus* nobili *Sacrae* nomine donata Urbs legitur utraque. Longe ambitiosiori titulo *Germanicopolis* in Bithynia, olim *Helgas* dicta Plinio lib.5. cap.40, insignita comparet in *Severi*, *Caracallae*, *Getae*, ac *Juliae Domnae* Nummis, ubi cum Cupidine *Veneris* imago exhibetur Ε'ςιὰς Θεῶν videlicet, *Sedes Deorum*. In Cappadocia Ι'ε-

ρὰς

ρᾶς Ἀσύλȣ Ἀυτονόμȣ *Sacrae*, *Inviolatae*, *ac suis utentis legibus* titulo superbjisse legitur tam *Tyana*, in Not. Eccles. p.47, a *Valente Christopolis* deinde nuncupata; sicut a *Justiniano Antiochia* denominata *Theopolis* fuerat, in Nummis *Hadriani*, *M. Aurelii*, *Commodi*, ac *Severi*; quam *Chadisia* in *Titi* Nummo apud Goltzium, Harduinum p. 174, & 182. Religionis intuitu erga *Jovem* in Peloponneso *Elis*, ubi celebres quondam *Olympiades*, Plinio lib.4. cap. 6. *Sacrae* loco habita dicitur. *Delphis* in Phocide, alio nomine *Pythia* olim denominata, & *Parnassia*, testibus Didymo Homeri Scholiaste ad Catalogi v.26, ac Pausania in Phoc., sive lib. 10. cap.6.p.812, a celeberrimo *Apollinis* Templo, & Oraculo *Asylo* Sacra cunctis ubique fuit, uti liquet ex Inscriptione Delphis reperta, quam Muratorius Novi Thes. Veter. Inscript. T.II. p. 589. edidit, novaque e Graeco versione illustravit Froelichius Annal. Syr. p.136. sqq. In Achaja tam *Sicyon* in Nummo *Tiberii*, si tamen sincerus est, quo de dubitat Harduinus p. 156, quam *Hyperaesia* in *Vespasiani* Nummo apud Goltzium p. 236, *Sacrae*, & *Liberae* insignitae privilegio, honoreque comparent.

XXXIII. Ob Templorum adhaec multitudinem quammaxime, atque magnitudinem *Corinthus*, ubi *Jovi*, Latinis *Capitolino*, Graecis *Coryphaeo*, de quo Pausanias lib. 2. p.121, *Veneri*, Strabone teste lib.8. p.378, ac Pausania p.121, *Neptuno* apud Pausaniam p. 113. sq., *Herculi*, & *Mercurio*, queis de idem p.116. sq., *Baccho*, ac *Dianae* apud eumdem p.115. sq. dicata Fana constat, multo *Asylo Sacra* nomine Graecos apud, Latinosque extitit. In Argolide *Aesculapii* a Delubro *Epidaurus*, unde sane *Epidaurii* cognomen *Aesculapio* adhaesit, velut observatum est Straboni lib. 8. p. 374, Pausaniae in Corinth., sive lib.2. cap.26. p. 170. sqq., Livio lib. 45. cap.28, ac Plinio lib. 4. cap. 5, Ἱερὰς *Sacra*, idest *Asylo* inviolabilis Plutarcho dicta est in *Pericle* p.171; cujus etiam Urbis in Nummo apud Goltzium Tab. XVI, & Inscriptione apud Gruterum p.69. p.60. n.8, *Aesculapio* Θεος, ac Σωτῆρος *Dei*, & *Servatoris* cognomen tributum constat. A celebri denique *Apollini* dedicato Fano *Delos* una ex Cycladibus Insula *Sacrae*, & *Asylo* intemeratae titulo insigniri, atque inscribi meruit ab Ho-

Homero Odyſ. θ. verſ. 79, Apollonio Argonaut. lib. 1. v. 308, Strabone lib. 10. ſub finem, ac Plinio lib. 4. cap. 12. *Crotone* quoque in Italia, Achaeorum olim Colonia, ad Sinum Tarentinum Oraculi *Delphici* monitu a *Myſcello* Urbe condita, deque *Herculis* ex Hiſpanico itinere redeuntis Hoſpite *Crotone* denominata, Ovidio teſte Metam. lib. 15. v. 22. ſqq., *Junonis Laciniae* nobiliſſimum olim Templum erectum fuiſſe, indeque Urbem *Aſylo* fuiſſe Sacratam indicat Livius lib. 24. cap. 3: quocum conferendi Cluverius Ital. Antiq. lib. 4. cap. 15, & Goltzius in Magna Graec. Tab. XXIX. Sed de his jam ſatis, ac ſuper, unde colligere liceat, ab utroque quidem iſtiuſmodi tam *Neocoriae* ideſt, quam *Aſylejae*; qui tanto ſemper in pretio eſt habitus, titulo; adeoque ut pro ipſo qua retinendo, qua impetrando, tanquam pro Aris ſociſque, pugnare Urbes plus vice ſimplici viſae ſint, novas velut Epochas ad putandos Annos Urbibus paſſim deductas fuiſſe. Quamquam de Temporis cardine ut plurimum, quo vel *Neocoriae*, vel *Aſylejae* inſigniri honore ceperint Urbes, quum haud conſtet, inde fit, ut certo neque definiri nequeat, unde ſuum demum initium, & caput Epochae illae exordiri queant, ut propterea ad aliarum Provinciarum, Urbiumque, quae ratum, fixumque oſtentent exordium, Epochas noſtram properare orationem oporteat.



DE

DE AERIS, SEU EPOCHIS

Aegyptiorum, *Liby-Aegyptiorum*, *Leuco-Aethiopum*, *Liby-Phoenicum*, *Carthaginensium*, *sive Poenorum*, *Africanorum*, *Numidarum*, *Mauritanorum*, *Cyrenaeorum*, *Libyorum*, *Troglodytarum*, *Pentapolitarum*, *Berenicensium*, *Ptolemaidensium*, *Arsinoitarum &c.*

Articulus I.

I. AD harum porro Gentium Epochas perscrutandas, bonoque, quoad ejus fieri poterit, in lumine collocandas antequam nostra se accingat oratio, 1.° Geographica Regionum hisce Nationibus inhabitatarum notio, unde dicendis lux adfulgebit haud modica, obiter tradenda est; 2.° Gentium harum, queis Regiones hae sunt inhabitatae, investiganda cum breviter Antiquitas, & Origo, tum diversa insectanda, quam diversis sub Aetatibus, diversisque sub Regibus diversam subjere, Regiminis forma; 3.° Vetus mos, variusque Epochas instituendi varias, varieque easdem in Nummis obsignandi, variis hisce Nationibus unde sit enatus, diligenter est ineundus, locoque stabiliendus, ne inani deinde, inutilique laboremus studio in diversarum Epocharum ejusmodi origine inquirenda. Ad primum itaque quod pertinet, ad *Africam* non minus quam totam, qua longe, lateque patet, prout perspectas haberi illic usurpatas hactenus Epochas permissum est, Asiaeque partem haud sane parvam, qua nempe nobis reliquam cum fecit de Hebraeorum, Samaritanorum &c., Chaldaeorum, Assyriorum, Persarum, Arsacidarum &c. Aeris oratio habita, tum faciet de Syrorum, Phoenicum &c., Syro-Macedonum, Graecorum &c. Epochis suo infra loco instituenda tractatio, sermo heic noster de Epochis se extendit. *Africae* igitur acceptione heic ea intelligitur Orbis antiqui pars, quae ab *Europa* Mari Mediterraneo, ab *Asia* vero Arabico

bico finu, indeque ad Mediterraneum iterum Mare ducto Isthmo difterminatur; qua de definitione Strabo lib. 1. p. 24, Agathemerus lib. 2. cap. 2, Ptolemaeus lib. 4. cap. 5, & Plinius lib. 5. cap. 4. fqq. *Africam* porro nonnullis inde dictam, quod immiti apricis, quafi Ἀναφρίκους, ideft fitu frigore fit, refert Servius Aen. 6, quocum facit S. Ifidorus lib. 9. cap. 2, & lib. 14. cap. 5. Ex Alexandro Polyhiftore, & Cleodemo cognomento Malcho refert vice verfa Jofephus Antiq. Jud. lib. 1. cap. 16. *Abrahamo* ex *Ketura* genitum inter alios fuiffe *Madianem*, ex iftoque alios inter *Aphram*, *Surim*, & *Japhram*, atque his Filiis, ac Nepotibus *Abrahamum* deducendi Colonias auctorem fe dediffe. Itaque a *Suri*, eò Colonia ducta, *Affyriam* fuiffe adpellatam; occupata vero Troglodyte, & Libya ab *Aphra*, & *Japhra*, ab eorum pofteris de *Aphrae* nomine *Africam* fuiffe nuncupatam. Jofepho adftipulantur Eufebius Praep. Evang. lib. 9. cap. 4, S. Hieronymus Quaeft. in Gen. cap. 25, & S. Ifidorus loc. cit. Addit Jofephus ex *Aphrae* filia in Uxorem ducta *Herculem* genuiffe filium *Dedorum*; ex iftoque genitum *Sophenem*, a quo *Sophaces* Barbari nomen obtinuere; Coloniae vero ab *Aphrae* filiis in Libyam inductae ducem eumdem fe dediffe *Herculem*. Haud procul hinc abfuit Plutarchus in *Sertorio*, ubi fabulari Tingitanos in *Jubae* Regis gratiam, ut ipfius nempe antiquiffimam facerent genealogiam, refert, *Antaeo* defuncto, ex ipfius conjuge *Tingi* procreatum ab *Hercule* fuiffe *Sophacem*, ab iftoque de Matris nomine *Tingitanam* Regionem fuiffe denominatam; a *Sophace* genitum *Diodorum*, ab eoque Graecorum ope, quos eò Colonos olim duxerat *Hercules*, Africae plerafque alias Regiones fuisfe occupatas. *Herculis* Libys vero filium *Aphrum* facit Solinus cap. 37, ab eoque *Africam* nomen accepisfe; *Lybiam* autem a *Libye Epaphi* filia ex quorumdam opinione refert: quae opinio revera fuit Apollodori Bibl. lib. 2, Hygini Fabul. 149, Placidi in Statii Theb. lib. 4, Paufaniae in Atticis, hoc eft lib. 1. cap. 44. p. 106, & Martiani Capellae de Africa lib. 6, fed hacce de originatione fufius alibi. Afrorum veteri opinione viciffim *Africam* nomen tulisfe ab *Iphrico* Arabiae Felicis Rege, qui loco pulfus ab Afsyriae Rege, (aliis pulfus a Rege Aethiopiae

fertur), Nilo fluvio transmisso, sua cum Gente Africam primus inhabitandam susceperit, referunt Afri Scriptores Ludovicus de Marmol lib. 1. cap. 1, Ibn Alraquique in Arbore Generat. African. apud Bernardum Aldrete Antiq. Hisp. &c. cap. 5. p. 341. sq., & Petrus Leo in Descript. Africae lib. 2. cap. 18, Italice edita, Latineque versa a Joh. Floriano, ubi tamen Africam fortassis etiam ab Arabico verbo فرقا *Faraca*, quod *Dividere* significat, ideo quod Africa separata ab Europa, & Asia sit, suspicatur. Ex Julio Africano vicissim refert Cedrenus in Comp. Hist. Par. I. T. Byzant. edit. Ven. T. VII. p. 15. *Saturno* filium *Afrum* fuisse e *Phillyra* genitum, a quo Afri denominati fuerint; ab *Afro* vero Libyae Rege facto uxore ducta *Astynoma* ex ea genitam *Venerem*, quae Graecis *Aphrodite* dicta est: eadem in sententia est Suidas V. Ἀφροι Lex. T. I. p. 399. Mitto interpretationem tam Symbolicam, qua a *Fertilitatis* symbolo *Spica* Syriace פרוך *Peruch*, Arabice فتريخ *Potrich*, sive *Ferich* adpellata, unde per Πρόσθεσιν Poenis אפריכה *Africa* dicta sit, qua de Reiskius in Not. ad Cluverium Introd. Geog. lib. 6. cap. 1. p. 624; quam Mysticam, qua *Aphricam* ab עפר Hebraeo *Apher*, quod est *Humus*, sive *Pulvis*, dictam ideo, quod *Pulverosa* Regio sit, interpretantur S. Hieronymus de Nom. Hebr., Mathias Bergius in Comment. lib. 4. Oppian. Cyneg. vers. 320, S. Isidorus Orig. lib. 9. cap. 2, & lib. 14. cap. 5, Conradus Rittershusius, & Jo. Ludovicus de la Cerda in Virgil. Eclog. 1, qua de Bernardus Aldrete in *Varias Antiquedades de España*, *Africa* &c. lib. 3. cap. 3. p. 322. sqq., qui cap. 4. p. 335. sqq. ab *Abrahami* filiis, ac Nepotibus ex *Agar*, & *Ketura* Africam tam occupatam, quam fuisse denominatam suadere multis studet. Utraque sententia isthaec vero ita componi posse videtur, ut qui *Adad* Gen. xxxvi. 35. ex posteris *Esau* dictus, ac percusso *Madian*, ejus Regionem occupasse legitur, is *Hercules Meleck*, sive *Melicertes* Graecis dictus, fuerit; a quo *Antaeo* profligato, Africae pars occupata fertur: ita nempe, ut prior ab *Abrahami* ex *Ketura* filio *Madiane* progenito Nepote *Aphra* deducta in Africam Colonia, inditumque Regioni nomen fuerit; postea vero ab

Esau

Esau posteris genito *Adado* pulsis ex Africae parte *Madianis* posteris occupata Regio *Moabitica* fuerit.

II. Partes jam vero *Africae* praecipuae habentur I. *Africa* propria, quae sub se Provincias *Byzacenam*, *Zeugitanam*, *Numidiam*, *Mauritaniam*, tum *Caesariensem*, cum *Tingitanam*, Insulasque *Canarias*, aliasque, atque *Libyam* complectitur. II. Regio *Syrtica* tam Major, quae ad *Cyrenaicam*, quam Minor, quae ad *Byzacenam* attingit, tumque Mediterranea, atque Maritima, *Syrtici* Maris Insulas comprehendens. III. *Cyrenaica* Pentapolis ad Occasum *Marmaricae*, quae a Magna *Chersoneso* patet usque ad *Syrtis* Magnae sinum, atque in Maritimam discinditur, ac Mediterraneam. IV. *Marmarica*, quae ab Ortu *Aegyptum* contingit, atque ultra Chersonesum extensa in Maritimam, ac Mediterraneam dispescitur: ubi celebre *Ammonis* Fanum olim, ac fons. V. *Aegyptus*, Hebraeis cum singulari מָצוֹר *Mazor* IV. Reg. XIX. 24, Isajae XIX. 6, & Mich. VII. 12, juncto R. Davide Kimchio in Isaj. loc. cit., tum duali nomine, ac numero מִצְרַיִם *Mizraim* denominata a *Noachi* Gen. X. 1. 6. Nepote, *Chami* filio, cujus etiam de vocabulo Χημία, sive *Chamia* dicta Aegyptus est Plutarcho teste de Isid., & Osirid. p.302, observatque Vossius de Idolol. lib.1. cap.27, qui eam primus incoluit, de quo Eusebius in Chron. vers. S. Hieron. T. VIII. p. 43, Syncellus in Chronog. p.47, & 91. edit. Paris., Ven. p.37, & 72, Auctor Chron. Alex., sive Pasch. p. 28, & 32. edit. Paris. Du Cangii, Ven. p.24, & 27, &c., jungendusque Bochartus in *Phaleg*, sive Geogr. Sacr. Par.I. lib. 4. cap. 24. sq. Oper. T. II. p. 258. sqq.; quae prius *Aeria* nuncupata, teste Apollonio Rhodio lib. 4. vers.267, quove de nomine videndi Seldenus de Diis Syr. Syntag. 1. cap.4, & Holstenius in Not. ad Stephanum de Urb. p.14. sq., postmodum a Rege *Aegypto* cognominato, qui alio nomine *Ramesses* dictus est, quique regnasse fertur *Abrahami* anno 540, a *Moysis* obitu anno 1, denominata *Aegyptus* traditur Eusebio in Chron. Oper. S. Hieron. T.VIII. p. 205, hodie Aegyptiis *Chibili*, sive *Chibel*, Coptis *Chemi*, Arabibus *Bardamasser* dicitur; quaeque a Septentrione Mari Aegyptio suo, ab Ortu Palaestina, Arabia Petraea, & Sinu Arabico, a Meridie

Aethiopia, & ab Occasu Cyrenaica Regione terminatur; atque tres in partes olim dividi solebat, in Aegyptum *Inferiorem*, Arabice *Errif*, in *Sahid*, sive Aegyptum *Superiorem*, inque *Mediam* Aegyptum, sive *Bechria*, sive *Demesor*; commodius hodie tamen in duas partes dumtaxat partiri solet in *Inferiorem* Aegyptum, atque *Superiorem*. In Aegypto porro *Inferiori* comprehenduntur *Delta*, a triquetra figura Regio denominata, Hebraeis *Rehab* etiam, *Rib* Aegyptiis adpellata, uti Bocharto Geogr. Sacr. Par.I. lib. 1. cap. 15. p. 58. sq., & lib. 4. cap.24. p. 258. observatum est, inter Nili alveos duos, & septem Ostia sita, cui ad Occasum *Alexandria* Metropolis adjacet; *Mareotis*, quae altero frequentiori vocabulo *Libya*, Plinio lib.5. cap.6. teste, dicitur, Regio ab Ortu Deltae ad Palaestinam usque, & Arabiam Petraeam, sive ad latus Arabicum exporrecta; *Nomi*, sive *Praefecturae*, quae diversis Herodoto lib.2. cap.165, Straboni lib. 17. p.551. sqq., Plinio lib. 5. cap.9, & Ptolemaeo lib.4. cap. 5. diversae, numeroque plures, aut pauciores recensentur; quibusque diversae pauciores, aut plures obnoxiae Urbes olim erant. De *Nomis* porro tam apud Aegyptios, quam apud Graecos, atque Persas, a quibus Asia qua *Minor*, qua *Major* in *Nomos* descripta fertur apud Herodotum lib.3. cap.90. sqq., adeo ut *Nomus* quisque Nationibus diversis, multisque constaret, atque primus ex *Jonibus*, *Magnetibus*, *Aeolibus*, *Caribus*, *Lyciis*, & *Myliensibus* coalesceret, conferendi sane Bochartus in Geogr. Sacr. Par.I. lib.4. cap.24. Oper. T.II. p.258. sqq., Cellarius in Geogr. Antiq. T.II. lib.4. cap. 1. p. 765. sq., & 794. sqq., ac Schuvartzius ibid. in Not. In *Superiori* vero Aegypto, quae a vertice *Deltae* incipiens adsurgit ad utramque Nili ripam usque in Aethiopiam, juxta Strabonem lib. 17. p. 555. sqq., Plinium lib.5. cap.9, & Ptolemaeum lib.4. cap. 5, comprehenduntur *Heptanomis*, ita a Praefecturis septem pars media Aegypti denominata, quae *Heptanomia* postea ab *Arcadio* Imp. proprio de nomine *Arcadia* nuncupata dicitur Eustathio in Schol. ad Dionysium Periegetem vers. 247; *Thebais*, quae ad utramque Nili ripam patens ab *Heptanomide* ad Aethiopiam usque procurrit; Regio ad oram Sinus Arabici versus Aethiopiam excur-

currens; *Troglodytice*, quae a quibusdam Aethiopiae, a pluribus Aegypto adcensetur, a *Tropico* in Austrum ad Fretum, & Sinum Avalitem extensa, quaeque a Τρώγλαις *Specubus* ab Incolis ad inhabitandum delectis nomen accepit; queis de fuse Cellarius Geogr. Antiq. T.II. lib.4. cap.1. p.762. sqq., Cluverius Introd. Geogr. lib. 6. cap. 2, ibique Buno, & Reiskius in Not. p.625. sqq. VI. Supra Aegyptum, & Marmaricam *Aethiopia*, ad Marmaricae, & Aegypti nempe Meridiem, jacet, ad Orientem Sinum habens Arabicum, *Aetheria* olim, Hesychio, Strabone lib.2. p. 82, ac Plinio lib. 6. cap. 30. testibus dicta; *Atlantia* deinde, deque *Vulcani* filio *Aethiope* demum *Aethiopia* denominata. Cujusce Reges sua adhuc aetate quinque supra quadraginta fuisse refert Plinius lib 6. cap.29; Urbs Metropolis in Insula *Meroe* collocatur Herodoto lib.2. cap.29, Plinio lib.2. cap.73, & Josepho Antiq. lib. 2. cap.5; qui subdit *Sabam* eam olim dictam fuisse, deindeque de Sororis suae nomine *Meroem* a *Cambyse* nuncupatam. Verum e *Chami* filio *Chus* profectos *Aethiopes* veri tam potest, quam haberi debet similior opinio, quam fide confirmant sua LXX. Graeci Interpretes, quibus Hebraea vox כוש *Chus* Gen. 11. 13, Isaj. xi. 11, xviii. 1, & xx. 3. sqq., Ezech. xxix. 10, xxx. 4. sq., & Sophon. 11. 12, 111. 10. &c., *Aethiopia* perpetuo vertitur; non secus atque Latino Interpreti; Josephus Antiq. Jud. lib. 1. cap. 7, S. Hieronymus Quaest. in Gen. cap. 10; Eusebius in Chron. vers. S. Hieron. T. VIII. p. 43, Syncellus in Chronog. p. 47. edit. Paris., Ven. p.37, Auctor Chron. Alex. p. 28. edit. Paris., Ven. p.24, aliique passim, a quibus haud facile recedendum; neque Bocharto in Phaleg lib.4. cap.2. *Chusaeos* in Arabia quaerendos; neque Harduino in Chron. Vet. Test. p.536, & 558. *Aethiopiam* esse Arabiam opinantibus accedendum, veluti recte censet, ac monet Cellarius in Geogr. Antiq. T. II. lib.4. cap. 8. p. 951. sq., apud quem videas momenta in partem utramque disputata, non secus atque apud ipsius Adnotatorem Schvvartzium ibid., nobis enim aliò ut properemus, tempus instat, urgetque, atque propositi deposcit operis ratio, sollicitatque.

III. Quod jam ergo ad Gentium harumce diversam, quam

quam diversis subire sub aetatibus Regiminis formam visae sunt, modo spectat, quae res in obscuro admodum latens quam multa indigeret discussione, cui mihi aliud serio agenti tantum, ut me totum impendam, atque numeris absolvere adnitar omnibus, non suppetit otii, eò vel maxime, quod muneri huic T.II. Art.I. satis, opinor, abundeque fecerim; id satius idcirco habebo indicare in Aegypto, nobilissima prae reliquis Africae parte, cui primum ideo locum heic facimus, in quave una, regnante *Amosi* Christi ante natalem anno 570. circiter, Urbes extitisse viginti mille refert Herodotus in Euterpe, sive lib. 2. cap. 177, duo vero de viginti mille, sub *Ptolemaeo* vero *Lagi* filio, post tot idest a Persis excidia perpessa, tres adhuc supra mille, ampliusque perhibet Diodorus lib. 1. cap. 3. p. 15: quo loci tam Herodoti, quam Diodori testimonia isthaec vindicare, bonoque in lumine collocare fategit Eques de Origny de Aegypto Veteri T.I. cap.3. p.56. sqq.; atque praetermissis *Deorum*, ac *Semideorum* duabus, aut tribus fabulosis omnino primis Dynastiis, in quarum prima cum *Vulcano*, ac *Sole* Vulcani filio Deos alios 12. imperasse annis 3984; in secunda Dynastia *Semideorum* hos octo numero annis 217. Regnum tenuisse; queis in Dynastiis tertia *Heroum* quindecim omnino, quas *Cynici* Circuli familias nuncupat, successisse, annisque 443. regnasse subjungit, ex Manethone, Veterique Chronico Aegyptio tradit Syncellus in Chronog. p. 18. sq., & 51. sq. edit. Parif., Ven. p.14. sq., & 40. sq., plurimas olim *Regum hominum*, qui Aegyptiis *Piromes*, hoc est *Boni*, & *Honesti* denominari antiquitus solebant, Dynastias Imperium in Aegypto tenuisse. Atque in *Superiori* quidem Aegypto, quae Nili Cataractis ab Aethiopia, ab Aegypto vero *Inferiori* Nili directione separatur, tot olim imperasse feruntur Reges, quot ferme Regionum Urbes Metropoles recensentur, *Thebae*, *This*, *Elephantines*, *Memphis*; unde ex Manethone, & Veteri Chronographo Aegyptio, Julio Africano, & Eusebio, magna tamen, ac stupenda Dynastiarum, annorumque confusione, *Tanitarum* Regum, sive *Graecorum Pastorum* Dynastiae XVI. annis 190. regnasse referuntur; *Memphitarum* Familiae IV. per annos 103; Familiae aliae XIV. annis 348; *Tanitarum*

tarum iterum Dynastiae VI. per annos 121; Familiaeque aliae III. annis 48; *Elephantinarum* Dynastiae II. per annos 348; *Memphitarum* rursus Familiae VII. annis 177; quas excepere deinde *Persarum* Reges V. per annos 124; *Tanitarum* denique Familia I. annis 18, referuntur, inquam, Syncello p.51. sq., 54. sqq., 57. sqq., & 70. sqq. edit. Paris., Ven. p.40. sq., 43. sqq., 46. sqq., & 56. sqq. Quae subinde Regna in unum demum coaluisse, unique deinceps Regi, mox *Thebis*, mox *Memphis* Regni sedem tenenti, obnoxia evasisse certum fit, & constans ex Herodoto lib.2. cap.9, Diodoro lib.1.p.42. sqq., Strabone lib.17. p.805. sqq., Ptolemaeo de Africa p.106. sqq., Stephano Byzant. de Urbib. p.305, 395, & 398, Syncello p.54.sqq. edit. Paris., Ven.p.43.sqq. &c. In Aegypto quoque *Inferiori*, quot ferme Regionum frusta, tot in partes divisae Regum Dynastiae imperitasse feruntur, Reges idest *Heliopolis*, *Mendis*, *Tanis*, *Diospolis*, *Xois*, *Heracleopolis*, *Sais*, *Pastorum Phoenicum* Regia, sive *Avaris*, postea *Pelusii*, *Bubastis*, *Sebennytis*; unde cit. ex Manethone, Veteri Chronico, Julio Afric., ac Eusebio, pari cum permixtione Regnorum, atque temporum perturbatione, tradit cit. loc. Syncellus *Diospolitarum* Regum Dynastias V. Regnum obtinuisse per annos 228; *Heracleotarum* Familias III. annis 694, alteramque per annos 185; *Xoitarum* Dynastiam I. annis 184; perindeque *Diospolitarum* aliam Familiam geminam per annos 19; post quam *Saitarum* Regum, sive *Pastorum Phoenicum* Dynastias III. per annos 284, sive juxta Africanum Dynastias II. annis 671, rerum in Aegypto fuisse potitas refert.

IV. Quo profecto loci *Pastores* hosce potius, quam *Phoenices*, fuisse *Hebraeos*, qui olim cum *Abrahamo* in Aegyptum descenderant, cum Josepho contra Appion. lib.1.p.1039, & Antiq. lib.1.cap.3. opinatus Eusebius in Chron.Oper.S.Hieron. T.VIII. ad annum 103. *Abrahami* p.125. derelictus est a Nevvtono Chron. Vet. Reg Emend. cap.4. edit. Ven. p. 150. sqq., a Marshamo in Chron. p.37, a Bocharto Geogr. Sacr. Par.II. lib.1. cap.4. p.357. sq., ab Usserio Annal.Vet.Test.p.5, a Scaligero in Not. Eus. b. loc. cit., & Can. Isag. lib.3. p.310, a Pezronio Antiq. Temp., a Joh. Clerico Comment. in Exod. cap.1.

cap. 1. v. 8, a Bannierio Monum. Acad. Parif. T. III. p. 350, a Tourneminio Differt. 5. de Epocha Sefoftris Oper. Menochii T. II. p. 414. fqq., aliifque, quibus adftipulatur Freretus Obfervat. Gener., ac Nov. contra Nevvtoni Chron. Par. II. Arabes eos fuiffe Paftores arbitratus. Contra tamen Eufebio adftipulari non dubitarunt Perizonius in Orig. Aegypt. cap. 19. fq. p. 309. fqq., Boivinius in Differt. Monum. Acad. Parif. T. III. p. 23. fqq. inferta, Nicolaus Abrahamus in *Pharo* Vet. Teft. lib. 8. cap. 3, Hermannus Witfius in Aegyptiacis lib. 3. cap. 3. p. 163. fqq., Vallarfius in Not. ad Eufeb. loc. cit., aliique, Manethonis *Aegyptiacorum* lib. 2. apud Jofephum loc. cit., & Hecathei apud Photium Cod. 244. p. 1151. fq. quammaxime teftimonio moti, qui *Paftores* illos ex plaga Orientali Aegyptum pervafiffe fcripfere; & vero ad Orientem Aegypti fiti erant Ifraelitae; generis eos fuiffe obfcuros homines fubjunxere; & certe filii *Jacobi* peregrini fuerant, & inquilini in Aegypto; quodque magis, proximeque rem conficit, illos denique, Aegypto derelicta, in eam adveniffe Regionem adfirmarunt, quae *Judaea* adpellatur, ibique Urbem *Hierofolymam* aedificaffe: quo profecto nihil pro Jofephi, Eufebiique opinione proferri apertius poterat: cui paria, quin adhuc explicatiora ex Hecathaeo Abderita profert Diodorus Siculus in Fragm. libri 40, apud Photium loc. cit., videlicet ex Peregrinis ab Aegypto pulfis aliquos *Danao*, & *Cadmo* ducibus in Graeciam illapfos fuiffe, reliquos duce *Moyfe* in Judaeam profugiffe, ibique plerafque, atque prae aliis *Hierofolymam* aedificaffe perhibet: queis jungi Polemon *Stolocopas*, *Ptolemaeo Epiphani* fynchronus, poteft, qui in Hift. Univ. apud Eufebium Praep. Evang. lib. 10. cap. 10. fcribit fub *Api* Phoronaei fucceffore ex Aegypto plerofque transfugas in Palaeftinam fe recepiffe: quos tamen haud Judaeos fuiffe, fed Chananaeos, Jebuzaeos, Philiftaeos, Hethaeos, Amorrhaeos &c. putat Freretus Defenf. Vet. Chron. Par. II fect. 2. p. 272. fq. Pergit Syncellus, atque Paftoribus hifce poftea *Aethiopum* familias 111. per annos 44. fuiffe fuffectas; hifce vero *Bubaftitarum* Dynaftias 11. annis 169, alteramque demum ignotam per annos 39, e Scriptorum magis, quam fua, Aegyptiorum fententia tradit: adeoque ut Dyna-
ftia-

stiarum XXX. harum Regni summa ad annos 36525. attigerit: quae summa quinquies, & vigesies resoluta in annos 1461, decantatam Periodum *Aegyptiacam* expleant, qua expleta, *Zodiaci* Ἀποκατάστασιν totius fieri persuasum Aegyptiis jamdiu fuerat. Quae perinde Regiones omnes in *Diospolis* Regis inter Deltam, Isthmumque Sues imperantis potestatem transductae uni deinceps Regno nomen fecere; donec tandem ab *Amosi* I. dicto Julio Africano, Eusebioque, *Tethmosi* nuncupato Josepho, Diodoro &c., *Asethi* filio, in Dynastia XVI. *Diospolitarum* in Aegypto *Inferiori* regnantium primo Rege, in Regum *Inferioris* Aegypti serie trigesimo tertio, (ante cujus *Amosis* Regni annos 4, aut sub ejusdem Regno anno 1. *Moysem* in lucem prodiisse, anno Mundi idest 3732, profugisse vero ex Aegypto sub *Amosi* II. filio *Misphragmutosis* anno M. 3812. scribit Syncellus p.69, & 121., edit. Paris., Ven. p.55, & 96.), *Superiori* Aegypto occupata, una confecta totius Aegypti Monarchia est, quae deinde ab ipsius filio *Ammeneme*, sive *Ammone* roborata magis, cui ideo sub *Jovis Ammonis* nomine Templa aedificata, Araeque ubique in Aegypto erectae fuere, magisque praeter modum amplificata a *Sesostri* *Ammonis* filio, *Amosis* nepote, facta Arabiae, Troglodyticae, Libyae, Aethiopiae, &c. accessione, ad summum, quo nunquam ante, neque post fuit, fastigium ascendit; quibus de Herodotus lib.2.cap.3.sqq., & capp.102, 111, & 124.sqq., Diodorus lib.1. p.48, 52.sqq., Strabo lib.17. p.802, Ptolemaeus in Afric. p.103. sqq., Stephanus de Urbib. p.235, 381, 600, & 692, Plinius lib.5. cap.9, Josephus contra Appion. lib.1. cap.14, Syncellus p.59, 61, & 73, & post ipsos Cellarius loc. cit., Goarus in Canone Chorogr., & in Not.ad Syncellum edit. Ven. p.352, 22, & 37, ubi secum egregie Syncellum pugnare adnotat, ut qui postea p.126. edit.Paris., Ven. p.101. *Moysis* natalem anno Mundi 3736, aut imo 3737, ejusdem vero ab Aegypto fugam anno M. 3816, aetatis anno 80. consignat; adeundique praeter Marshamum, Perizonium, Sevinum, Tourneminium &c., de queis infra, Nevvtonus in Chron. Vet. Regn. Emend. cap.2. edit. Ven. p.144. sqq., Rollinus Histor. Veter. Aegypt. &c. T.I. Par.III. cap.1. p.117.

ſqq., De Origny in Aegypto Vet.T.I.cap.6.p.194.ſqq., De Vignolius in Chron.Sacr., & Prof.T.II.lib.6.cap.4.p.649.ſqq.&c.

V. Juxta haec itaque duo potiſſimum, juxta duplicem praecipuam Aegypti diviſionem in *Inferiorem*, atque *Superiorem*, Regum Dynaſtiae Regnum tenuiſſe, altera *Heliopolitarum* in Aegypto *Inferiori*, *Thebaeorum* altera in *Superiori* referuntur e Sacerdotum Aegyptiorum fide ab Herodoto lib.2. capp 99, & 142, qui anno M. 3516, juxta Chronologiam Uſſerii in lucem ortus eſt, a *Mene* ad ſuam uſque aetatem in Aegypto regnaſſe *Generationes* 341, totidemque Reges, ac Pontifices per annos 11340. perhibente: quod fabulis deputandum nemo non percipit; a Diodoro lib.1. Par. II. cap.1. p.21. ſqq., qui *Generationes*, ſive Dynaſtias 33. a *Mene* uſque ad *Amoſim* recenſet, adeo confuſe tamen, ut nihil inde lucis in Chronotaxim, adeo obſcuram alioquin, adfulgeat: praeterquam quod illud cum Herodoto commune fuit Diodoro fabulis Aegyptiorum Dynaſtias plerique conſpurcare, ad multas annorum myriades veterum Aegypti Regum aetates utroque retrotrahente, ac Diodoro quidem modo ad annos 9500, modo ad 4700; ut proinde utrique in hac parte fidem detrahere tutior viſa res Eruditis viris ſit, qua de re videndi Stillingfleetus Orig. Sacr. lib.1. cap.5. p.46.ſqq., & Freretus Defenſ. Vet. Chron. Par.II. p.225. ſqq; ab Eratoſthene, qui ſub Olympiade 141. in vivis agebat, in Catalogo Regum *Thebaeorum*, quem ex Apollodori Annalibus Aegyptiacis confeciſſe refert Syncellus, apud ipſum Syncellum a *Mene* uſque ad *Amyrthaeum* Reges 38. dumtaxat regerente, quos *Thebis* in Aegypto *Superiori*, (non vero *Dioſpolis* in Aegypto *Inferiori*, uti perperam ſcripſit Fourmontius Reflex. Critic. in Hiſt. Vet. Popul. T.II. lib.3. cap.6. p.45.), per annos 1055. regnaſſe perhibet: quod magnam plane veri habet ſpeciem, ſed imperfecta ſupputatio locum haud facit reliquos, qui deſiderantur, Reges, eorumdemque aetatem adſequendi; ex Veteri Chronico Aegyptio viciſſim, ex Manethone Aegyptiac. lib.2, ex Joſepho lib.1. contra Appion., ex Julioque Africano demum ab Euſebio in Chron. verſ. cit. S. Hieron. p.71.ſqq., & 90. ſqq; a Syncello denique, qui tamen Regum Aegypti *Superioris* ſeriem, a Dy-

a Dynastia XVI, Regum vero *Inferioris* Aegypti a Dynastia XVIII. exorsus, ex eisdemque fontibus exhibens, videlicet Manethone, Eratosthene, Julio Africano, Josepho, Eusebioque ipso, cui tamen passim contradicere delectatur, eumque frequenter errasse adfirmare non desinit, a Syncello, inquam, in Chronog. edit. Paris. p.53. sqq., 91.sq., 96. sq., 101.sqq.,123. sqq., 147.sqq., 160.sq., 177.sqq., 191.sq., & 210, edit.Ven. p.42.sqq., 72.sq., 76.sqq., 81 sqq., 98.sqq., 117.sqq., 127. sq., 141.sqq., 153.sq., & 168. Qui primo quidem p.51. edit. Paris., Ven. p.40. tradit ex Veteri Chronico Aegyptio tribus principio Gentibus Aegyptum fuisse inhabitatam, ex hisque trifarias in Aegypto imperasse Dynastias, nempe *Auritas*, *Mestraeos*, & *Aegyptios*; queis de haud modica inter Doctos controversia. Namque *Auritas* Gentes fuisse ab *Abari* Urbe, sive *Avari*, deinde *Pelusio* dicta, profectas censent Goarus in Not. p.15, & Marshamus in Chron. p.105.sqq.; fuisse *Deos* a Manethone primo confictos; atque *Mestraeos* perinde fuisse *Semideos* ab eodem Scriptore *Deorum* primae Dynastiae suffectos, persuasum habuit Pezronius in Antiq. Temp. restituta. *Auritas* vicissim pro Aegyptiis *Antediluvianis*, ipsosque *Deos* Aegyptiis vocatos; *Mestraeos* vero pro *Postdiluvianis*, ipsisque Aegyptiis *Semideos* adpellatos; ac demum *Aegyptios* pro Regibus ipsis a *Mizraimo*, ac deinceps rerum in Aegypto potitis accipiendos aestimat Perizonius Orig. Aegypt. cap. 2. p.23. sqq. Cum Goaro, & Marshamo facit Fourmontius Reflex.Crit. in Hist. Vet. Popul. T.II. lib.3. cap.7. p.104. sqq., neque *Auritas* utique primos fuisse Populos, qui ex Arabia, aut Phoenicia advenae *Setroithem* inhabitarint, deindeque *Tanim* etiam, *Memphim*, atque *Deltam* occupaverint: *Mestraeos* autem eos ipsos esse, qui a *Mizraimo* progeniti *Inferiorem* primi Aegyptum, atque *Deltam* incoluerint: *Aegyptios* denique, a Nigro denominatos colore, Gentes fuisse prope Aethiopiam, queis postmodum repleta fuerit Aegyptus, persuasum habuit, aliisque persuadere adnixus est. Postquam subinde ex tribus, aut quatuor duo in Aegypto conflata Regna sunt, amborum Dynastias recensere pergens Syncellus, in *Superiori* quidem Aegypto *Thebis* regnasse primum *Menem* scribit anno a Dis-

 per-

persione Gentium 124, Mundi 2900, ac post ipsum durasse *Thebaeorum* Regnum in Regibus 38, (quibus adjunctos Reges alios Nγ.' 53. ab Apollodoro se praetermittere, ceu rem nullius boni accessioni futuram, subjungit), per annos 1076, desiisseque in *Amuthantaeo* Rege anno Mundi 3976; in Aegypto vero *Inferiori* regnasse primum *Heliopolis Mizraimum*, sive *Menem* anno M. 2776, durasseque Regnum istud in Regibus 86. per Dynastias X. annis 2365. usque ad *Nectanebum*, atque desiisse anno M. 5141, annis 15. circiter ante *Alexandri* M. imperium, juxta Manethonem; juxta Ptolemaeum vero in Canone Reg. Astron., qui nobis est Theon, durasse annos 2168. dumtaxat usque ad *Amosim*, qui Regno a *Cambyse* Persarum Rege anno M. 4944. exspoliatus est.

VI. Verumtamen jamdiu ante ipsum Syncellum Julius Africanus apud Eusebium, & S. Augustinus de Civit. lib. 18. cap. 40, quos pone sequendos sibi proposuere Chevreau in Hist. Mundi T.I. lib. 2. cap. 4. p. 201. sq., Coquaeus in Schol. ad S. August. loc. cit., & Martianaeus in Defens. Text. Hebr., & Vulgat. T.I. cap. 6. §. 2. p. 432. sqq., satius habuere, consultiusque, ea omnia, quae Origines tangunt Aegyptiacas, in obscuro, ubi jacent, relinquere, veluti res fabulis refertissimas, quam incerto se committere, erroribusque oppido multis se implicare. Juxta diversos attamen, quos sibi proxime sequendos proposuere, veteres Scriptores alios, diversas Aegyptiaco Imperio tam originem, quam durationem, atque finem diversi Scriptores recentiores adscribere tentarunt. In quibus Zacuthus in *Jachazin* ex Historia veterum Arabiae Regum a *Mizraimo* Reges XIV. enumerat usque ad *Cophtum*, a quo Dynastia II. cepisse fertur; inde usque ad *Abrahamum* Reges IX., indeque usque ad *Josephum* Reges V, usque ad *Moysem* Reges II: quam tamen Zacuthi Chronotaxim nimio contractam esse nemo non videt. A Kirchero vicissim Oedip. Aegypt. T.I. syntag. 1. p. 81. sqq. a *Busiri* filio *Chami*, Patreque *Mizraimi* ad *Abrahamum* Reges XII. enumerantur, quorum ultimus *Thoth*, sive *Mercurius* ponitur, ad *Josephum* Reges VII, ad *Moysem* Rex I, ad *Isajam* Reges XII; parum accurate tamen, velut ex sqq. adparebit. Herodoto, velut

lut homine in Aegyptiaca historia peregrino, & advena repudiato, ex solo Manethone, Julio Africano juncto, Scaliger Canon. Isagog. lib.2. p.122, 274, & lib.3.p.300.sqq. octo Dynastias, veluti fabulosas, ante *Moysem* omittendas censet omnino, atque a *Moysis* aetate, a Genesi anno 108. veras Aegyptiorum Regum demum auspicandas esse Dynastias existimat, ita ut incertus, dubiusque haereat, quo Aegyptiacum Imperium exordiatur, quove finiat. Contra Manethoni, tanquam qui fabulas potius nobis propinavit, quam legitimas Aegyptiorum veterum origines, Regumque Dynastias proposuerit, dicam conscribere non dubitarunt Capellus, Stillingfleetus, & Conringius, illum *Mendaciorum loquacissimum*, *Nugivendulum*, *Canopi vernam* nuncupare non veriti. In Eratosthene desiderandum, ut tam *Superioris* Aegypti reliquos, qui post *Amyrthaeum* imperarunt, quibusve ab Apollodoro Nγ. Reges 53. alii referuntur adjecti apud Syncellum, nobis enumerasset, quam Aegypti *Inferioris* Dynastias, queis de ne γρῦ quidem, leveque reliquit indicium, in censum retexuisset, Eruditi viderunt omnes. A Diodoro Regum Aegypti tradita, fragmenta potius, consuta pessime, consarcinataque, atque Dynastiae adeo confuse retextae fuere, ut ex ipso parum in Aegyptiaca historia, antiquitateque proficere quis speret, ac queat. Ex Diodoro nihilo secius lib.1. cap.2. p.7.sq., & Hermippo apud Athenaeum lib.1. arguit Newtonus in Chron. Vet. Regn. Emend. cap.2. p.144.sqq. a *Baccho* Aegyptiaci Regni historiam, verumque cardinem ineundum esse; *Bacchum*, sive *Dionysium* non differre utique ab *Osiride*; hunc eumdem cum *Sirio*, ac *Serapide* esse; esseque cum *Sesostri*, ut etiam Pridaeo visum; a *Sesostri* vero non differre *Sesacum*, ut etiam Marshamus existimavit; ideoque Regni demum Aegyptiaci exordium non ultra Belli Trojani aetatem fore extendendum. Ad haec Chron. p.19. sqq. & p.180. sqq. *Menem*, qui post *Deos*, atque *Semideos* Aegypto primus Regum praefuisse fertur, haud fuisse *Mizraimum* adfirmat, sed *Amenophim*, Graecis *Memnonem* nuncupatum; a quo *Memphis*, Aegyptiis eo de nomine dicta *Amenoph*, *Moph*, *Menuph*, fuerit condita, atque *Thoth* aetate supparem, ante *Nabonassari* Aeram an-
no

no 200. vixisse; quove regnante celebris apud Graecos *Argonautarum* Expeditio anno haud procul ab obitu *Salomonis* 43, ante Christi natalem 937. contigerit. Haud procul hinc absuit Marshamus in Can. Chron. Seculo I. edit. Franeq. p.30. sq., qui recte quidem ex *Chamo*, mutata K in X, *Chamo* terram inhabitatam, Aegyptum idest *Xemiam* fecit, in ה *He* mutata ח. *Che*, ex Chamo fecit *Hamon*, & Π. mutata in Θ, *Thamuz* fecit, unde qui *Chamus*, idem *Hammon*, & *Thamuz*, quod ante ipsum adfirmavit Socrates cum Phoedro differens apud Platonem p.1240; atque siquidem is, qui Aegyptiis, quin & Hebraeis *Thamuz* Ezech.VIII. 14, Phoenicibus *Adon* fuit, S. Hieronymo notante in Ezech.loc. cit., Aegyptiis, atque Cypriis *Osiris* apud Stephanum V. Αμαθος, recte inde *Chamo* indistinctum *Hammonem*, *Thamum*, *Adonidem*, & *Osiridem* infert. Quia vero qui Hebraeis *Cham*, sive *Ham*, idem Aegyptiis *Hammon*, Graecis fuit Διος, Latinis *Jupiter*, testibus Herodoto lib.2. cap.42, Hesychio in Lex. V. Αμμον, Plutarcho de Isid. p.354; *Menes* autem Eratostheni apud Syncellum in Chron. p.91. edit. Paris., Ven. p.73. Διόνιος *Dionius* exponitur, inde *Menem* facit *Jovium*, sive cum *Jove* confundit, cum *Hammone*, cum *Thamo* &c. Pessime vero facit Marshamus cum filio idest Patrem confundendo, eique non erat, cur ex communi *Dionii*, non *Dei*; *Jovii*, non *Jovis*, adjectivo nempe, non substantivo nomine, e duobus Patre, ac filio, *Chamo*, & *Mene* unum faceret, eumdemque *Hammonem*, ac *Thamum*; minus vero, cur ex *Thamo* deinde *Thoth*, sive *Tabautum* conflaret.

VII. Ast enim valde displicet Viris eruditis facta a Nevvtono feriorem nimis in aetatem Dynastiarum Aegyptiacarum detrusio; multoque displicet magis, quod cum Marshamo praepostere quoque p.187.sq.Aegyptiacas Dynastiaslonge Assyriorum Imperio, quod non ante *Amenophim*, filiumque *Rhamessem* fundatum contendit, antiquiores opinetur. Eoque vel maxime Nevvtoni ea displicet opinio, quod eodem in Chron. Vet. Regn. Emend. Introd. edit. Ven. p.19. sqq., 23, & cap. I. p.50. sqq., 55.sqq., 104.sqq., 122.sqq., & 180 sqq. tam *Argonautarum*, & *Heraclidarum* Expeditionem tardius ad annum

937.

937. ante Christi natalem, post obitum *Salomonis* 43. differat, quam *Trojae* Excidium serius in annum a *Salomonis* obitu 76, ante Christum 904. conferat; ac in U. Romae fundatione enormiter a vero etiam aberrarit: quae longe prius omnia consignanda fore probatum dedere post Usserium, Petavium, Ricciolium Viri doctiss., qui exerto praesertim calamo Nevvtoni Chronologiam explodendam suscepere, duoque praecipua, queis tota superstruitur, fundamenta subvertenda, Soucietus in Epist., sive Differt. 5, Arthurus Bedfordius Animad. in Chronolog. Nevvtoni, Wisthonus in Observat. Astron., Rinaldus Carlius in Epocha Argonaut. lib. 2, Cumberlandus in Hist. Sanchoniatonis lib. 2. sect. 4, Faber in Differt. Hist. Crit. in Adpend. ad Musantii Tabulas Chron. §. v. p. 16. sq., Freretus in Defens. Vet. Chron. adv. Nevvtoni systema Chronol. &c. quo de argumento fusius suis infra locis agendum nobis erit, atque de *Sesostris* aetate, quum de Aethiopum Epocha sermo fiet; de *Argonautarum*, & *Heraclidarum* Expeditione, atque de *Trojae* Excidio, quum de Graecorum Epochis tractatio instituetur; de *Aegyptiacis* vero Epochis paullo post, atque recolenda interea, si placet, quae de Aegyptiaci Anni forma contra Nevvtonum super. Volum. II. Art. I. de Mens., & An. Aegypt. &c. disputata sunt. Manethoni jam vero, Nevvtono adeo inviso, despectuique habito, non esse profecto, cur adeo obtrectetur, atque fides detrahatur omnimoda, multis ostendere Freretus adgressus est in Defens. Vet. Chron. Par. II. de Chronolog. Hist. Orient. sect. 2. p. 249. sqq. Virum eum nempe fuisse Aegyptiacis Sacris initiatum, sacrisque Archivis praefectum, unde tres Historiae Aegyptiorum libros describere licuit. Occupata quidem ab *Artaxerse Ocho* Aegypto sub Olympiade 108, Libros ex Archivis in Persidem asportatos fuisse, sed a *Bagoa* Eunucho, Persae Regi acceptissimo, ingenti auri pondo eosdem a Sacerdotibus Aegyptiis fuisse redemptos, teste Diodoro lib. 16. p. 508. sq., idque anno circiter 340, aut 350, aut 360. ante Manethonem contigisse. Caetera cum S. Scriptura probe concordare Manethonis historiam observare pergit; ex *Moyse* namque Gen. XLI., XLII, & L, exque Manethone constare satis de Aegyptiacis Antiquitatibus, Regni forma, Religiosis Caeremoniis, Ritibus &c. *Sesostri* accepta referri

ferri Opera publica, atque ſtupenda in Aegypto *Inferiori* facta ab Herodoto lib. I. cap. 108, 137. &c., a Strabone lib. 17. p. 790, 804. &c., a Diodoro lib. I. cap. 2. p. 29. ſqq. &c. Jam vero *Seſoſtrim Moyſi* ſynchronum fieri a Manethone; atque *Seſoſtri* approbe quadrare, quae Moyſes refert Exod. I. II. ſqq., Num. I. 48, & III. 39, ac Deuter. XI. 10. &c. Sub *Amenophe* Patre *Seſoſtris* in *Hykſos*, Paſtores ideſt, (quos Arabes ipſe putat Freretus, & cum ipſis pulſos inde Philiſtaeos e *Caphtor*, ideſt ex Aegypto *Inferiori*, velut interpretatur), inque Judaeos motam perſecutionem fuiſse, eoſque omnes a *Seſoſtri* poſtea Aegypto pulſos omnino fuiſse anno 1571. ante Chriſtianam Aeram. Sub ipſo *Seſoſtri* proinde contigiſse, quae de Moyſe leguntur Exod. II. 10. 25, Actor. VII. 21, & ad Hebr. XI. 24. *Seſoſtri* defuncto ante Chriſti natalem anno 1511, ante Exodum 2, ſub ejus filio, Herodoto dicto *Pherone*, Moyſi *Pharaone*, mira in Aegypto facta referri a Manethone, ab Herodoto lib. 2. cap. 3, a Diodoro lib. I. cap. 2. p. 29. ſqq. &c., quae a Moyſe patrata nemo non percipit. Sed de *Seſoſtre* fuſius infra.

VIII. In tanta itaque, tam incerta, tantiſque pluſquam Cimeriis involuta tenebris Aegyptiacarum Dynaſtiarum Hiſtoria, veluti nobis tradita eſt a Veteri Aegyptio Chronographo, a Manethone, ab Herodoto, a Diodoro, ab Eratoſthene &c.; indeque a Joſepho Hebraeo, a Julio Africano, ab Euſebio, a Syncello &c., ut ingenti locum fecerit pugnae inter Criticos, & Chronologos inſigniores Scaligerum, Marshamum, Petavium, Uſſerium, Ricciolium, Nevvtonum, Vitringam, Pezronium, Cumberlandum, Tourneminium, Perizonium, Freretum, DeVignolium, Fourmontium, Soucietum, Vallarſium &c., ita ut in tanta Veterum, Recentiorumque diſcordia vix ſit, ubi tuto pedem defigere quis poſſit, ingeniique vires experiri velle periculi, aleaeque res plena ſit, ubi dux, quem pone tutoque ſequare, nullus altero profecto melior ſuppetit, ſatius id nobis viſum eſt, quae aliis inſedit, quam quae noſtra ſit, opinionem magis exponere. Atque haec omnia quidem praenoſſe operae pretium noſtrae ante fuerat, quam ad Aegyptiacas perluſtrandas Epochas gradus fieret. Quippe ſcite Dod-

vvello

vvello Viro doctiss. in Dissert. de Tempore, quo scripsit *Agatarchides* Geogr. Minor. T.I. p.72. observatum est, varias fuisse Regum Aegyptiorum Epochas, juxta varias Regni numerandi rationes in Aegypto usurpatas: Aegyptiis siquidem cum antiquissimis, tum nuperrimis Regum aetatibus mox a Regum excessu, mox a Regnorum exordio, nunc ab insigni Regum re quapiam gesta, nunc ab illustri Religioso aliquo in Regnum inducto ritu tempora definire in more positum fuerit. Quam ob rem inde factum haud aegre puto, ut ex Manethone Julius Afric. Aegypti Reges 352, Regnorum durationem per annos 5339. collegerit; ex eodem vicissim Manethone Eusebius Reges dumtaxat 341, durationem Regnorum per annos 4257. tantum expresserit, viceque versa eodem ex Manethone Reges tantummodo 113, ac Regnorum durationem annos 3555. non ultra Syncellus confecerit. Quae pari ratione, proportione servata, Eratostheni, Chronographo Aegyptio, Herodoto, Diodoro &c. aptari tam debent, quam utique possunt. Atque sequiori sub aetate sane, qua sub *Lagidis*, qua sub *Romanis*, ubi Graecis Urbibus Epochas suas aut ab *Urbium* fundatione, aut ab *Eleutheria* Urbibus conlata, aut a *Pontificibus*, aut a *Magistratibus* auspicare solemne fuit; Aegyptiis non ita, sed ab eorum, qui dominium in ipsos nacti fuissent, Imperii annis Epochas exordiri, ac Nummos eisdem obsignare magis adlibuit, veluti rite observatum est Joberto Scient. Num. Instruct. 5. edit. Ven. T.I. p.85. sq., ac Philippo a Turre in Dissert. Apolog. ad Num. *Anniae Faustinae* cap.3. p.28. Qua de re conferendi, si placet, etiam Pagius ad an.69. n.3, Vaillantius de Num. Aur., & Argent. p.53, Norisius de Epochis SyroMaced. dissert. 4. cap. 1. Oper. T.II. p. 382. sq., & Bimardus de la Bastie in Adnot. ad Jobertum Scient. Num. Inst. 5. T.II. p.74: ubi in Nummis Urbium Graecarum Epochas quidem absque litteris E, aut Λ, sive L, Annum indicantibus, sed solis Numericis notis obsignatas conspici observant: Nummos attamen in Aegypto percussos, atque quammaxime Imperatorum Epochis insignitos, cum notis Numericis Annos denotantibus, litteras etiam fere semper E, Ετους, ac praesertim Λ, aut L Λυκάβαντος, An-

num ideſt ſignificantes praeferre. Atque haec obiter, incidenterque dicta ſunto.

IX. Juxta haec itaque diligenter, ſi meus haud me fallit amor, hactenus adnotata, ad varias modo ab Aegyptiis variis ſub aetatibus uſurpatas Epochas accedendo, miſſiſque, veluti dubiae ſaltem admodum fidei, monumentis, queis de alioqui ſup. Volum. Art.I. de Menſ., & Ann. Aegypt. &c. abunde diſputatum, & affatim eſt, quae nempe de *Mythicis* Aegyptiorum temporibus circumferri ſolent, atque ad tempus *Hiſtoricum* appropinquando, quae veritate magis niti nobis videntur, magis quam noſtras, Virorum hac in re Doctiſs. conjecturas exponendas, agedum, adgredimur. Uſſerius igitur Annal.Vet. Teſt. p.5. ex Conſtantino Manaſſe in Annal. Aegyptiorum Regnum annis 1663. a *Mizraimo* uſque ad *Cambyſem*, a quo demum Aegyptus Perſarum Imperio ſubjugata eſt, conſtitiſſe ſcribente, atque perduraſſe ideſt uſque ad Periodi Julianae annum 3478, ante Chriſtianam Aeram 526, Aegyptiaci Regni exordium confert in annum Mundi 1816, Periodi Jul. 2526, ante Chriſti natalem 2188. Uſſerio adſtipulati ſunt vero Rollinus Hiſt. Antiq. Aegypt., Carthag., Aſſyr. &c. T.I. lib.1. Par.III. p.120. ſq., & T. XIII. in Tabula Chron. p.13, D' Origny in Aegypto Antiq. T.I. cap. 1. p. 16. ſqq. &c. Petavius viciſſim Doct. Temp. lib.9. cap.15. fabulis eas omnes Dynaſtias deputat; in Ration. Temp. vero T.II. Par.II. lib.2. cap. 3. eaſdem prorſus fabuloſas haud reputat p. 88. ſq., ac T.III. in Chronolog. edit. Ven. p.393.ſqq. Aegyptiaci Regni exordium ab anno Periodi Jul. 2371, ante Chriſti natalem 2343. repetit, concluditque cum Periodi Jul. anno 4190, ante Chriſtum 524, quo a *Cambyſe* everſum eſt: atque Petavianae huicce pone ſupputationi adhaerere non dubitavit Boſſuetius Diſcurſ. in Hiſt.univ. edit. Ven. p.12. ſq. Epocha II, & p.49. Epocha VIII. Marshamus, cui in Can. Chron. p. 445. *Menes* eſt *Chamus*, & ante *Seſoſtrim*, annos ideſt 1400, ſub Regibus 52, nihil in Aegyptiaca hiſtoria certum habetur, & conſtans, Aegyptiacaeque Dynaſtiae pro libitu, ingenioque rejiciuntur, aut decurtantur ita, ut Dynaſtiae XXX. omnes annos 140. duraſse non amplius

plius visae sint, multis ideo vapulanti a Viro doctiss. Fourmontio Reflex. Critic. in Hist. Vet. Popul. T. II. lib. 3. cap. 6. p. 63. sqq., Marshamus, inquam, in Chron. p. 12. sqq. Aegyptiacam omnium primam Aeram cum prima Regum Aegypti Dynastia a Periodi Julianae anno 2371, ante Christi natalem 2343. exorsus est. Ast enim Pezronius Antiq. temp. p. 81. sqq. Marshami Aegyptiacam Chronotaxim longius producere cupiens, primo a *Mene* Aegyptio Imperio auspicium factum statuit, annis facile centum post *Nimbrodum*, Linguarumque Confusionem, quam anno Mundi 2904, post Diluvium 648, post natalem *Phaleg* 117. adstringit, juxta Chronologiam idest LXX. Interpretum. Quam & ipse proxime Marshami supputationem sequutus Langlet du Fresnoy in Tabul. Chron. Epocha II. edit. Ven. T. I. p. 7. Aegyptiaci Regni primordia longius adhuc retrotrahenda arbitratus, ab ipso *Chamo*, aut ab ipsius filio *Mizraimo*, idest anno 60. ante *Salis* natalem, Christi D. 2965. repetenda non dubitat. Praetermissis vero prioribus Dynastiis XVII, tanquam illis, quibus neque certum quid inhaeret, neque quaepiam cum Historia Sacra connexio inest, ac societas; in quibus alioqui Reges XXXI. per annos 1003. in *Inferiori* Aegypto imperasse Pezronius ipse consentit, a Dynastia XVIII, in eaque a Rege I. *Amosi*, quem *Moysi* aetate supparem facit, Aegyptiaci Regni Epocham auspicandam duxit, ideoque postinde, a Dynastia XVIII. idest usque ad Dynastiam XXX. Reges alios LXXXIII. per annos 1350, juxta Africanum, vel Reges alios LXIX. per annos 1322, juxta Eusebium, in Aegypto imperasse concludit, omnes simul a *Mene*, sive ab anno Mundi 2800, per annos 1003, ac 1350, aut 1322, idest simul 2353, aut 2325. Sed enim in Pezronii supputatione multa reprehendenda in Dynastiarum, Regumque serie, numero, aetate deprehendit Fourmontius Reflex. Critic. T. II. lib. 3. cap. 6. p. 67. sqq. apud ipsum legenda, queis & Langleti non uno suffoditur Chronotaxis modo.

X. Jam vero Perizonius Origin. Aegypt. cap. 2. sqq. p. 27. sqq. Aegyptiorum Dynastias hostili adgressus manu, animoque, Regum illorum, atque *Menis* imprimis antiquitatem deprimere, Antiquis Scriptoribus fidem detrahere, Dynastias

omni prorsus auctoritatis loco deturbare satagit; atque contra Manethonem Dynastias ab eodem ex odio contra Judaeos fuisse, deque industria confictas, Mosaycis videlicet Antiquitatibus Aegyptiacas objiciendi gratia, contendit; contra Eusebium priores Dynastias xv. Manethoni memoratas ante *Abrahamum* nequaquam fuisse collocandas; contra Usserium ante eumdem *Abrahamum* priores Reges Pastores in Aegyptum haud fuisse introducendos; contra Marshamum *Chamum* non esse *Menem*; contra Sevinum *Menem* non esse *Mizraimum*; contra Pezronium ex Dynastiis pessime ab eo contextis, pejus Chronotaxim fuisse consarcinatam; contra Capellum *Salmanasarem* Assyrium non esse *Sesacum* Aegyptium; contra Conringium *Sesacum* S.Scripturae non esse *Sesostrim* Diodori; contra Stillingfleetum, & Capellum perperam eos interpretatos fuisse Herodotum, quasi Menses pro Annis ab ipso accepti fuerint; contra Tourneminium in Ephemerid. Trevolt. Septemb. 1702. Philistaeos in Colchidem a *Sesostri* ex Aegypto fuisse abductos scribentem, falsum id pugnat, quod inde fieret, ut ante *Abrahamum* vixisset *Sesostris*; contra Blanchinium *Sesostrim* non fuisse *Memnonem* Aethiopem; atque *Sesostrim Josue* recentiorem, Trojano vero bello seculo minus antiquiorem fuisse contendit; & cum Pezronio *Mizraimi* aetatem ad annum 200. post Diluvium fore deprimendam statuit. Vice sed enim versa Fourmontius Reflex.Critic. in Hist. Vet. Popul. T.II. lib.3. cap.7. sq. p.97. sqq. Aegyptiacas origines non ex Herodoto, non ex Diodoro, sed ex Manethone exhauriendas, velut auctore indigena, ideoque ex Julii Afric., & Eusebii excerptis, ducens, principio ex Dynastiis xxx. veram, ac primam a decimaquinta incipere censet, in eaque comprehendi Reges xxxii, qui in Dynastia xvi. recensentur, adeo ut ex Dynastiis xv, & xvi. una, eademque conflata Dynastia fuerit, fueritque *Pastorum* Avaris, Tanis, Bubastis, Sethrois, Thinis, Diospolis, aut Heracleopolis in *Inferiori* Aegypto imperantium. *Pastorum* fuisse perinde Dynastiam xvii. Regibus xxxiii. constantem, usque ad *Sesostrim* ex ipsis unum, reliquos inter Aegypti Reges expeditionibus celeberrimum. *Sesostris* vero Epocha stabilita, de qua nos fusius infra, quum de *Aethiopum* Aeris

ris sermo fiet, atque cum *Jairi* Hebraeorum Judicis anno 4. copulata, (quam tamen pro ingenio contingi in tanta veterum Scriptorum inter se discordia inferius ostendemus), idest cum anno 264. ab Exitu ex Aegypto, Epocham *Nitocoris* Thebaeorum, sive Elephantinorum, sive Memphitarum in Aegypto *Superiori* Reginae, quae in Dynastia VI. Regum XXXVIII. locum 22. occupasse in Catalogo Eratosthenis legitur apud Syncellum in Chron. p.104. edit. Paris., Ven. p.83, in annum 49. ab Exodo, *Othonielis* Hebraeorum Judicis annum 3. confert Reflex. Crit. T.II. lib.3. cap.11. p. 208.sqq. Nempe illud, atque recte mea quidem sententia, generatim observat Vir doctiss. Aegyptiacas Dynastias apud Julium Afric., Josephum, Eusebium, Syncellum &c. fuisse confusas, indeque ex hac confusione ingentem inter Eruditos contentionem enatam. Quod pridem Marshamo fuerat utique observatum, Regum videlicet Aegyptiorum Dynastias non omnes recta descendere linea, sed veluti collaterales habendas plerasque esse. Distinguendas itaque Dynastias aestimat Fourmontius in duas partes, idest in Dynastias Regum, qui in Aegypto *Inferiori* regnarunt, cujusmodi sunt Dynastiae Regum *Heliopolis*, *Tanis*, *Diospolis*, *Xois*, *Heracleopolis*, *Avaris*, sive *Sais*, *Mendis*, *Bubastis*, *Sithroit*, *Sebennytis*; inque Dynastias Regum, qui *Superiori* in Aegypto rerum summa potiti sunt, cujusmodi fuere Dynastiae Regum *Thebis*, *Memphis*, *Thinis*, *Elephantinae* &c. Itaque Dynastias 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 16. 17. ad Reges *Superioris* Aegypti spectare, Dynastias 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 26. 28. 29. 30. ad Reges Aegypti *Inferioris*, (Dynastiae namque XXV. *Aethiopum*, ac XXVII. *Persarum*, cum tribus aliis Persis Regibus in Dynastiam XXXI. rejectis, fuere), referendas fore, atque ita quidem ut persaepe Regum, qui in una Dynastia haud nominantur, quaerenda in alia Dynastia eorum sint nomina; quò fit, ut Dynastiae invicem permixtae fuerint, ideoque earumdem supputatio, non ex Dynastiarum numero, sed ex Regum in Dynastiis nominatorum annis ineunda sit. Jam vero a *Sesostri* Rege III. in Dynastia XII. *Diospolitarum* Regum ascendendo usque ad *Nitocorim* Reginam VI. in Dynastia VI. *Memphitarum*, in serie Regum

XXXVIII.

XXXVIII. *Thebaeorum* XXII, annos reperit 215: ab Exodo vero ad *Sesostrim* annos intercessisse 264; itaque *Nictocorim* anno 49. ab Exodo imperasse concludit. Sed enim labili superstructa fundamento siquidem fuerit *Sesostris* Epocha, ut infra ostendetur, magis firma *Nictocoris* supra *Sesostris* Epocham fundata Epocha esse nequit.

XI. Ex his itaque nihil hactenus, quod ad Veterum Aegyptiorum expiscandam Aeram tuto nos conferat, satis aptum adparet. Cum Nicolao proinde Abrahamo in *Pharo* lib. 8. id Tourneminius in Ephemer. Trevolt. Septemb. 1702. Art. 2, & in Adpend. ad Opera Menochii T. II. dissert. 5. de *Sesostris* Epocha edit. Ven. p. 414. sqq. consilii suscepit, & induit, ut *Sesostrim* Israelis ex Aegypto exitu priorem fuisse statueret, eum *Moysi* nascenti coaetaneum faciens, fuisseque *Pharaonem* haud ambigeret, a quo deinde primum Israelitae fuerint afflicti, atque *Meni* post annos 1400. successerit: ideoque Aegyptiacas origines a *Mizraimo* annis 1400. ante *Sesostrim* incepisse conficeret. Nempe ex Gen. x. arguit *Chasluinos* indistinctos fuisse a *Caphtorinis*, eosque Coloniam fuisse Aegyptiam in Colchidem a *Sesostri* ductam; Bocharto etiam adnuente in *Phaleg* lib. 4. cap. 30. Jam vero Philistaeam, Hevaeis expulsis, a *Caphtorinis* fuisse occupatam, priusquam ab Israelitis e Palaestina expulsi *Chananaei* fuissent, ex Deuter. II. adparere dicit: itaque *Sesostrim* Exodo priorem fuisse inde patere, anteque *Moysis* natalem floruisse; atque *Pharaonem*, sub quo ex Aegypto profecti Israelitae sunt, inde plerisque confirmare studet cum Manethonis testimonio apud Josephum sub *Amenophi Sesostris* nepote ex Aegypto Hebraeos egressos adfirmantis; tum eo praesertim momento, quod a *Sesostri* cum Aethiopia, Troglodytica, Arabia, Syria &c. occupata etiam Judaea haud legatur alicubi: quod argumento esse non ambigit tum adhuc Palaestinam Israelitis haud fuisse inhabitatam. A *Mene* vero, sive a *Mizraimo* ad *Sesostrim* annos 1400. effluxisse ita statuit. Ex Eratosthenis Canone *Thebis* Reges 38. imperasse colligit per annos 1050. usque ad *Themosim*, a quo novum *Diospolis* Regnum institutum est. Inde vero ad *Sesostrim* Reges per annos 332. regnasse ex Manethone constare adfir-

adfirmat: ideoque a *Mene* usque ad *Sesostrim* annos 1400. plus minus effluxisse. Jam demum *Menis*, sive *Mizraimi* exordium in annum Mundi 1830, post Diluvium 173, Periodi Jul. 2538, ante Christi natalem 2176. conferendum haud dubitat, ideoque *Sesostris* annum 1. anno M. 2230, Periodi Jul. 3940, ante Christum 774. adstringendum fore subinfert. A *Sesostri* usque ad *Sesonchim*, qui *Sesac* ipsi videtur, *Roboamo* synchronus, annos 684. enumerat: a *Sesonchi*, sive a *Sesaco* usque ad *Tharacum* Aethiopum in Aegypto imperantium postremum, *Ezechiae* coaevum, annos 271: a *Tharaco* usque ad *Nechaum*, a quo Israelitae sub *Josia* in Aegyptum Captivi abducti fuere, annos 92. At a *Nechao* usque ad *Psammethicum*, qui a *Cambyse* Persa Regno exspoliatus est, anni 63. juxta Africanum, 67. juxta Eusebium, 84. juxta Syncellum interfluxere: inde usque ad *Nectanebum* 11, sub quo ab *Artaxerse Ocho* Aegyptium Regnum eversum est, anni intercesere 58. juxta Africanum, 40. juxta Eusebium, 41. juxta Syncellum, qui collecti, ac superiori adjuncti summae efficient annos 2568: quot Aegyptium durasse Regnum hac in hypothesi oportet. Verum Tourneminii Systema, praeter Perizonium, multis exagitandum, parum, opinor, solide tamen, efficaciterque suscepit Fourmontius loco supra cit., qua de re infra. Quo tamen in Systemate illud haud satis firmum est profecto, constansque, quod pro fundamento supponit, a *Sesostri* nempe primum in Colchidem Philistaeos ex Aegypto fuisse abductos. Etsi enim *Colchos* Aegyptiorum Coloniam fuisse passim adfirmare legantur Apollonius lib.4. vers. 277, Dionysius Periegetes p. 689, Herodotus lib.2. cap.102, Diodorus lib.1. cap.2. p. 14, aliique pone illos sequuti; haud tamen abductos a *Sesostri* ex Plinio lib.33. cap.3. suadetur, quo loci ante *Sesostrim* in Colchide regnasse *Salaucem*, & *Esubopem*, a quibus argenti, aurique plurimum erutum fuerit, atque *Sesostrim* in Colchide victum, profligatumque tradit; adeoque tantum abest, ut in Colchidem ipse Coloniam ducere voluerit, aut potuerit: qua de Colonia tamen fusius, ubi de Epochis sermo fiet.

XII. Propius jam vero ad rem, qua de agimus, Chronologicam Alphonsus de Vignoles in Tract. de Annis Aegyptiacis

cis §.6. sqq. Miscell. Berolin. T. IV. p.3. sqq., conferendus etiam Chronolog. Hist. Sac. T. II. lib.6. cap.4. p.669. sqq., ubi prolixe, eruditeque quidem de Periodo *Sothiaca* agit, ab anno Periodi Julianae 2429, Christianam ante Vulgarem Aeram 2285, annis idest 58. tardius, quam Marshamus, annis 109. citius, quam Tourneminius, Aegyptiacam omnium primam ineundam Epocham fore dubio procul omni duxit. Eo videlicet anno, ex calculo inito a Christfrido Kirchio Regio Berolinensi Astronomo, die 20. Julii mane *Sirium* ortum Cairi in Aegypto hora 3. min. 57.', *Sole* in *Cancri* gradu 6. min. 38.' 30." existente, ac sub *Horizonte* depresso gradibus 2. min. 6, observat. Ex quo infert recte in hanc utique diem ortum *Caniculae* heliacum locari: quibus apprime concordant Theo Smyrnaeus in Schol. ad Aratum edit. Oxon. p.22, & Porphyrius de Antro Nympharum edit. Aldi p.77. a *Sothis*, sive *Cancri*, *Isidi* sacri, exortu apud Aegyptios Anni exordium iniri scribentes. Itaque ab hoc initio quatuor Aegyptiorum ineunda Regna *Diospolitanum*, sive *Heliopolitanum*, *Thebanum*, *Thinitanum*, & *Memphitanum* videri possint; quorum primum in Aegypto *Inferiori Heliopolitarum*, sive *Diospolitarum*, ubi jam tum egregie Philosophiae, Astronomiaeque studium excultum testes accedunt locupletes Eudoxus, Plato &c., a *Mizraimo* Hebraeis, Aegyptiis *Mestre*, *Chami* filio, primo Rege incepisse auctores prae aliis sunt liquidi [Strabo lib. 17. p.806, ac Syncellus p.91. edit. Paris., Ven. p.72. sq., qua de re Marshamus etiam p.24: a quo primum *Soli* erectos, sacratosque Obeliscos, aliosque perinde a *Ramesse*, quo regnante captum *Ilium* subdit, temporibus sane ex *Solis* umbra supputandis, refert Plinius lib. 36. cap. 8. sq. Queis profecto supputandis deinde Pyramides etiam jam sub Judaeorum in Aegypto detentione, Josepho teste Antiq. Jud. lib.1. cap.5, juncto, qui probat id multis, Perizonio Orig. Aegypt. p.378. sq., fuere constructae. Et Pyramides eas sane ad Observationes Astronomicas peragendas fuisse constructas, (praeterquam quod abunde liquet ex Plinio lib.36. cap.12, quo loci cum antiquissimas illas antiquis ex Herodoto, Euhemero, Duri Samio, Aristagora, Dionysio, Artemidoro, Alexandro Polyhistore,

Buto-

Butoride, Antisthene, Demetrio, Demotele, Appione, tum Astronomiae studio aptatas ex Thalete Milesio, a quo illarum altitudinem ex Umbra mensuratam fuisse, deprehensamque memorat, Plinius fidem indubiam facit), affatim probant Joh. Matthaeus de Chazelles apud Duhamelium in Hist. Acad. Scient. edit. Lips. p.420. sq., Fontenelle in Hist. Acad. Paris. an.1710. edit. Paris. p.149, Amstelod. p.194, ac De Vignolius de An. Aegypt. cit. Miscell. Berol. T. IV. p. 9. sq. Siquidem vero longas, repetitasque post observationes deprehendissent Aegyptii demum Annum *Caniculo-Solarem* diebus constare 365. $\frac{1}{4}$ proxime, ideoque nonnisi post singula quadriennia *Juliana*, sive *Solaria*, sive post dies 1461. elapsos, *Sirium* heliace oriri; neque nisi post vulgares Aegyptiacos annos 487, sive *Julianos*; aut *Solares* 480, *Sirii* ortum in eumdem denuo anni tam *Aegyptiaci*, quam *Juliani* diem incidere, ad hancce proinde Aeram, sive annorum 480. Periodum, seu Anni *Sacri*, & Vulgaris cum *Sirii* ortu heliaco concurrentis initium, Astronomicos computos suos dirigere, suorumque Regum Annales deinceps redintegrare Sacerdotibus curae cessisse De Vignolio visum est. Quod sane factum cum ab Heliopolitanis Sacerdotibus, tum etiam a Thebanis, seu Elephantinis, sive Memphitanis in Aegypto *Superiori*, ex Eratosthenis Catalogo, de quo dictum supra, credidit Vir doctiss. Perstante tamen veteris Aegyptiaci Vagi Anni forma, juxta quam Annus diebus 365, neglectis horis 6. ferme, dumtaxat constare credebatur, inde fiebat, ut *Caniculae* ortus singulis quadrienniis diem unum anteverteret, ac omnes per anni tempestates Festa libere, nullo perstricta fraeno, pervagarentur; neque nisi post annos 1461. *Aegyptiacos*, aut post 1460. *Julianos*, tam *Caniculae* ortus heliacus ad eamdem cum anno *Solari*, & *Aegyptiaco* diem regrederetur, quam Festa in orbem restituerentur. Atque isthaec celebris fuit Aegyptiorum Periodus *Major* annorum 1461; ex qua per Cyclum 19. *Lunarem* 25. multiplicata, (namque in annis 25. vagis eadem est *Lunae* ratio, quae in annis 19. fixis), conflata est Periodus *Maxima* annorum 36525: qua persoluta, *Zodiaci* fieri tandem Ἀποκατάςασιν Aegyptiis arcte persuasum erat; quae Periodus apud Aegyptios *Ve-*

tus Chronicon adpellatur Syncello p.51. edit. Parif., Ven. p.40. fq.; atque inde falfam emanaffe plurimorum credulitatem puto de jactata apud Aegyptios tot millium annorum antiquitate.

XIII. Aegyptiis itaque antiquiffimis ad aetates, Regumque res geftas putandas Aeram illam, five Periodum, (ut de *Minori* annorum 480, atque *Majori* ex ifta duplicata annorum 960. conflata nihil modo retexam, utraque de fiquidem adverfus De Vignolium, atque Jablonskium me difputare Super. Volum. II. de Menf., & Annis Aegyptiorum &c. Artic. I. §§. xxxv, & xli. fq. p. 296. fqq., & 308. fqq. memini), Periodum, inquam, aut *Majorem* ann. 1460, aut *Maximam* ann. 36525. ufu primum veniffe nullus ego quidem dubito. Utque non dubitem, efficit utique Manetho apud Syncellum, atque Syncellus ipfe Chronog. p. 103. edit. Parif., Ven. p. 82, ubi de *Conchari* Rege Dynaftiae xvi. in ferie Regum *Inferioris* Aegypti xxv, qui Regnum injiffe dicitur Aerae Sacerdotum *Aegyptiacae* anno 696, agens, adnotat hujufce Regis *Concharis* anno 5. completos fuiffe annos 700. Cycli *Sothiaci*, five *Canicularis*, five *Cynici*, in Dynaftia xvi. videlicet, Regum xxv, ab Orbe condito anno 2776, five a *Mizraimo*, five *Meſtre* Incola, primoque Aegypti Rege. Quo fane nihil defiderari luculentius poteft, ut oftendatur, qualis olim Aegyptiis ad putandos annos Epocha adhiberi ceperit. Agens vero idem Syncellus p. 123. edit. Parif., Ven. p. 98. de *Afetho* ultimo in Dynaftia Africano xv, Eufebio xvii, Rege xxxii. Heliopolitano in Aegypto *Inferiori*, qui anno Aerae *Aegyptiacae* 941. Regnum aufpicatus, Mundi 3716. dicitur, ab eodem anno *Aegyptiaco* antiquo, diebus 360. dumtaxat conftanti, dies Ἐπαγομένας *Adfcititios* primum additos fuiffe, atque ita veteri reformato Kalendario *Aegyptiacum* annum ad *Solarem* proxime fuiffe exaequatum, Feftaque deinceps fuis defixa diebus anni. Sub *Afetho* itaque, qui annis 24. regnaffe eo loci Syncello traditur, circa annum Regni 20, Aerae *Aegyptiacae* 960. abolitam fuiffe tam Veteris Anni formam, quam annos fupputandi Periodum annorum 480. *Minorem*, inductamque Periodum *Sothiacam* annorum 1460. *Majorem* auguratur De Vignolius, juxta quam cum anni ipfi, tum res geftae memoratu

ratu dignae supputari deinceps, regerique in Annales exinde ceperint. Nempe ea dierum 5. adjectione necdum *Solari* exaequatus plene fuerat *Aegyptiacus* annus, qui a *Solari*, sive *Juliano* horis 6. circiter adhuc superabatur; indeque fiebat, ut quatuor anni *Solares*, sive *Juliani* die uno annos quatuor *Aegyptiacos* superarent; adeo ut nonnisi post annos 1461. *Aegyptiacos*, sive *Julianos*, aut *Solares* 1460, (namque anni tam *Juliani* 1460, singuli diebus $365\frac{1}{4}$ constantes, quam *Aegyptiaci* 1461, singuli e diebus 365. dumtaxat conflati dies 533265. complectuntur), tum Festa in orbem redirent, tum *Caniculae* ortus ad Anni caput restitueretur. Jam vero, uti scite De Vignolius de Annis Aegyptiacis §.23. cit Miscell. Berol. T. IV. p. 14. sq. advertit, *Aegyptiacae* Aerae, cum anno Periodi Jul. 2429, ante Christi natalem 2285. concurrenti, adjecti *Solares* anni 960. Cycli *Sothiaci*, sive *Cynici*, sive *Canicularis*, quot nempe 960. a *Mizraimo*, sive a *Mestre*, sive a *Mene* usque ad *Asethum* effluxisse ex Syncello paullo superius observavimus, indicabunt in Periodo Jul. annum 3389, ante Christianam Aeram 1325: quo anno ex supputatione *Kirchii* die 20. Julii, Cairi sub latitudine graduum 30. min. 2. *Sirius* ortus est Astronomice mane hora 4. min. 0, *Sole* in ♋ *Cancri* gradu 14. min. 3.' existente, sub Horizonte depresso gradibus 11. min. 52,' ideoque ortus est hor. 5. min. 4.' Errasse ergo Petavium in Uranolog. dissert. 5. cap. 6. annis quatuor concludit De Vignolius, dum ortum *Caniculae* heliace anno Periodi Jul. 3393. diei 20. Julii ineunti, *Sole* in *Cancri* gradu 14. min. 5.' existente, adstrinxit; quo anno, non secus atque tribus insequentibus Annus *Aegyptiacus* Julii die 19. incipere debuit, ideoque novus *Aegyptiacus* Annus quadriennio ante, Periodi Jul. scilicet anno 3389. die 20. Julii inceperat. Verum perturbatas, susque deque perversas apud Syncellum Regum Aegyptiorum Dynastias esse, atque ex uno, eodemque Rege plures quandoque ab ipso factos perperam fuisse pridem acutissimae Viri aciei viderunt Marshamus, Fourmontius &c. Quare *Asethum* ad Dynastiam I. *Memphitarum* Regum magis referendum fore, eumdemque cum *Athote* filio *Menis* fuisse, quem Patri anno 62. in Regno successisse, Regnumque annis

57. tenuisse refert, quem imo ab ipso *Setho Adami* filio haud fore distinguendum suspicari fas est. Et certe Syncello, uti videtur, suffultus Nevvtonus multo peccavit errore in Chron. Vet. Regni Emend. edit. Ven. cap. 1. p. 60. sqq., & cap. 2. p. 144. sqq. putans ante *Asethum* Patrem juxta ipsum *Sesostris*, juxta Syncellum Avum, quem posteriorem unum eumdemque cum *Sesaco* facit, Anni formam apud Aegyptios fuisse dierum 360. dumtaxat, atque primam apud eosdem Periodum *Sothiacam* cum anno dumtaxat 884. ante Christianam Aeram incepisse. Incepisse namque cum Anni forma diebus 365. constantis Periodum *Sothiacam* ante Christum anno 1322; neque primam hancce Periodum fuisse probatum dedit Freretus, quo de infra. Nevvtono peccavit longe pejus Jablonskius in Pantheo Aegypt. lib. 2. cap. 1. §. 16. p. 156, & lib. 4. cap. 2. §. 15. p. 209, qui De Vignolii in Chronolog. Sacr. T. I. p. 571. sqq., & T. II. p. 668. sqq. calculos pone sequutus insignem hanc Anni *Aegyptiaci* ab *Asetho* factam reformationem contigisse scribit anno Periodi Jul. 3389, Christi ante natalem 1325, ab Israelitarum exitu ex Aegypto 320. Siquidem *Asethum Sesostris* Avum longe ante floruisse, idest ante Exodum anno 66, Christianam ante Aeram 1620, De Vignolii, & Jablonskii computum ideo annis 300. circiter aberrare, veriori ex computo de *Sesostris* aetate a Viro Cl. Frereto instituto mox palam fiet. Quamquam idipsum abunde planum jam factum fuerit super Volum. II. de Mens., & Annis Aegypt. &c. Art. I. §. xxxv. sqq. p. 296. sqq.; ubi satis haud stabili a De Vignolio Periodos Aegyptiorum tam *Minorem* an. 480, quam *Majorem* an. 960. loco positas fuisse ostendimus. Sed & errasse Syncellum ipsum, secumque met pugnasse inde patet, quod Periodi *Sothiacae* Epocham in *Menis* aetatem confert, in annum idest 968. refert, ante quam Anni forma dierum 365. recepta fuisset: quandoquidem cum hac ipsa forma Anni Periodum incepisse *Sothiacam* indubium haberi debeat. Ad haec anni 960. Cycli *Sothiaci* a *Mizraimo* ad *Asethum* supputati, juxta Syncellum diebus 360. dumtaxat constantes, exacte cum anno 1325, uti censet De Vignolius, ante Christi natalem concurrere nequeunt; ideoque Syncellus ipse ex Censorino potius est emendandus. *Caniculae* denique ortus supputa-

putatus ad diverſos Meridianos Aegypti vel *Inferioris*, vel *Superioris*, queis de tamen ne γρῦ quidem veteres apud Scriptores, diverſos procul dubio in dies incidere debuit, uti multis demonſtratum Freretus dedit, qui & multis diverſas olim ab Aegyptiis ſupputandi rationes iniri, nec multum accuratas, conſuevisse demonſtrat.

XIV. Hac ipſa in re itaque, qui De Vignolio praeivit; remque ipſam contra Nevvtonum optima in luce poſuit, Freretus in Defenſ. Vet. Chron. adv. Syſtema Chron. Nevvtoni Par.I. Novar., & general. Obſervat. ſect. 1. p.23. ſqq., & Par. II. de Chron. Hiſt. Orient. ſect. 1. p.246. ſq., poſtquam contra Nevvtonum, ac Marshamum *Seſoſtrim* longo a *Seſaco* anteriori diſtaſſe intervallo late demonſtraſſet, quo de argumento nos infra, ubi de *Aethiopum* Aera, deque veteri apud Aegyptios Anni forma diſputaſſet, qua de nos Volum.II. Art.I. de Menſ., & Annis Aegypt. &c., cum *Aegyptiaci* Anni dierum 365. forma Periodum quoque *Sothiacam* annorum 1460. incepiſſe ſic oſtendere adgreditur. Atque Nevvtonus quidem, ut innui, Periodum *Sothiacam* anno 884. dumtaxat ante Chriſti natalem cepiſſe opinatus ideo eſt, quod eo anno primus Anni *Aegyptiaci* dies una cum *Aequinoctio* Verno concurrerit, quem ideo diem Religioſo quodam Aegyptiis cultum ritu adnotat ex Origene contra Celſum lib. 5, quod eodem die Mundus, *Coſmica* finita revolutione, ſeu Orbium facta Apocataſtaſi, Igne abſumptus ferebatur. Cujuſmodi traditionis apud Aegyptios mentio fit a Murtady in Deſcript. Mirab. Aegyp. p.35. verſ. Gall. Vattieri, ubi e duobus Aegyptiacis libris antiquiſſimis Albounmaſſaro memoratis conſtare refert Univerſale *Diluvium Sole* in gradu 1. *Arietis*, & *Regulo* in Coluro *Solſtitii* exiſtentibus contigiſſe. Aſt enim obſervat Freretus p.391. ſq., quod *Reguli* locus anno 1689. quum fuerit in *Leonis* gradu 25. min.31.′ 20.″, differentia proinde eſt graduum 55. min.31.′ 20.″, quae ſpatium infert, juxta quantitatem motus Syderum in Aegyptiaco Syſtemate, integri Seculi pro quolibet gradu, ſpatium, inquam, annorum 5552, e quibus detracti anni 1689. relinquunt annos 3463. ante Chriſti natalem pro anno *Diluvii*, annos ideſt 575. ante *Menem*: quae ſumma annis 157. dumtaxat a ſupputatio-

ne

ne LXX. Interpretum differt. Ad haec vero recte Vir doctiss. advertit Par.II. p.246. sq., & Par.III. p.392. sqq., *Aegyptiaci* Anni *Civilis* exordium, non a Verno *Aequinoctio*, uti Nevvtono visum est, sed ab ortu *Sothiaco* duci consuevisse, qua de re fuse nobis T.II. Art. I. de Mens., & Annis Aegypt. &c. disputatum est; qui ortus *Sothiacus* post *Diluvium* contigisse observat die 45. post *Solstitium* Aestivum, *Sole* in *Leonis* gradu 15. existente, qua die Orbis restauratio consignata a duobus Aegyptiis Astronomis Petorisi, & Neckpso in Sphaera *Barbarica* refertur ex libro *Myriogenesi*, sive Astrologico Codice a Julio Firmico lib. 3. cap. 1; quique *Sothiacus* ortus post Christum anno 138. incidit in diem 27. post idem *Solstitium*, & anno 1322. ante Christi natalem die 8. in Aegypto *Superiori*, & die 14. in *Inferiori* post *Solstitium* illud contigit; adeo ut nonnisi post annos 1460. ad eumdem regredi diem possit. Jam vero auctor est Censorinus de Die Natali cap. 21. eum ipsum, quo scribebat, annum Christi scilicet 238, U. C. 991. in Aera *Caniculari* Aegyptiaca fuisse 100. a die 25. Junii, a *Thoth* idest die 1. inchoatum; inde vero retro annis 100, *Antonino Pio* II, & *Brutio Praesente* Coss., idest Christi anno 139, U. C. 892. *Canicularis* Aerae cardinem inivisse die 21. Julii, quo *Caniculae* ortum contigisse scribit. Atque errasse quidem Censorinum in die 21. Julii, quo in anno Christi 139. diem 1. *Thoth*, sive *Caniculae* ortum consignat, consignandum certe Julii die 20, *Sole* in *Cancri* gradu 26. existente, (ideoque pro XII. reponendum XIII. Kalend. Augusti; siquidem annorum 100. spatio dies 25. intercalares numerandi erant, qui a die 25. Junii numerati in diem Julii 20, non 21. incidunt), observarunt Scaliger de Emend. Temp. lib.3. p.201, Petavius Uranolog. lib. 5. cap. 6, Norisius in Cenotaph. Pisanis dissert. 2. cap.17. Oper. T.II. edit. Veron. p.545, Dodvvellus ad dissert. Cyprian. Adpend. §.10. p.143, ac De Vignolius de Annis Aegypt. §.32. sq. p.20. sq.; qui postremus, (Syncelli computum haud alioqui recte sequutus, juxta quem *Asethi* Regni annus 20. cum anno Aerae *Aegyptiacae* 960. componitur, a De Vignolio autem idem annus 960. cum Periodi Jul. anno 3389, ante Christum 1325. copulatur, ideoque Periodi *Sothiacae* caput

caput in annum Periodi Jul. 2429, ante Christi natalem 2285. confertur), De Vignolius, inquam, subinfert ab anno 2285. ante Christum, quo Aeram *Canicularem* juxta Syncelli computum incepisse putat, quove *Caniculae* ortus Cairi in Aegypto die 20. Julii contigit, usque ad annum Aerae Christianae 1732, quo ipse scribebat, quove anno *Caniculae* ortus Christferdio Kirchio observatus est Julii die 24, quatuor nempe millium annorum spatio *Caniculae* ortum diebus 4. dumtaxat retrocessisse.

XV. Censorini jam vero, juxtaque veriori inhaerendo computo, cui approbe conformes fuisse Clementem Alex., & Manethonem paullo post videbimus, ab anno Christi 138, quo Periodus *Sothiaca* finita est, retroducti anni 1460. pro *Sothiacae* Periodi cardine indicant annum 1323. ante Christianam Aeram. Atque hunc ipsum utique annum 1323. pro initio novae Periodi *Sothiacae* Clementi Alex. Strom. lib. 1. p. 145. edit. Sylburgi, Potteri p. 401. observatum fuisse, post Bainbrigium Anglum Astronomum de Anno Canic. p. 35, advertit Freretus p. 397. sq. Nempe Clemens *Exodum* anno 345. ante novi Cycli *Aegyptiaci* exordium contigisse docet; at juxta ipsum *Exodus* ante Christianam Aeram anno 1668. contigit, ideoque novus *Aegyptiacus* Cyclus anno 1323. ante Christum injit: quo anno ortum *Sothiacum* die 20. Julii, *Sole* in *Cancri* gradu 14. existente, factum observat cum Gravio p. 37. Veri praeterea valdequam simile putat Vir doctiss. annum hunc 1323. haud fuisse primum Periodi primae *Sothiacae*, sed potius secundae, ante quam ideo prima ab anno 2783. ante Christi natalem inceperit. Argumento esse Manethonem apud Josephum adv. Appionem lib. 1, ac Syncellum p. 82. edit. Ven., a quo annus 5. Regni *Concharis* in Dynastia XVI. Regis XXV. cum anno 700. Periodi *Sothiacae* concurrisse notatur; qui Annus a Vocatione *Abrahae* est 43. Qui rursus Manetho auctor est locuples a *Sesostri* postremam ex Aegypto Pastorum expulsionem factam fuisse anno 511. post primam invasionem, quam factam a *Pastoribus* anno 700. Periodi *Sothiacae* adfirmat. Inde fit itaque, quod *Pastorum* haec postrema expulsio, ac *Sesostris* initium Regni cum anno 1211. Periodi *Aegyptiacae* concurrerit: qui an-

annus 1211. si fuisset Periodi inceptae cum anno 1323. ante Christum, in annum 112. ante Christi natalem, 211. ab *Alexandri M.* obitu incidisset: quod nullo stare cum *Sesostris* aetate modo posse infra planum fiet, ubi de *Sesostris* Epocha. Igitur annus iste 1211. debuit esse Periodi anterioris, quae anno 1460. ceperit ante 1323, idest cum anno 2783. ante Christianam Aeram; qua in Periodo annus 1211. fuerit ante Christum 1570, ante Exodum 16, eoque *Sesostris* Regnum obtinuerit, atque *Pastores* Aegypto pepulerit. Posthaec *Mizraimi*, sive *Menis*, & cum ipso Monarchiae Aegyptiacae ante Christianam Aeram anno 2888. exordium a Chronographo Aegyptio, *Alexandro M.* saltem aetate suppari, consignari observat Freretus, atque ita Periodum isthanc primam *Sothiacam* anno 106. post *Menem* incepisse, cum anno 44. videlicet *Athothis*, qui *Menem* excepit. Sub *Athothe* porro latere *Thothum*, Latinis *Mercurium*, Graecis *Hermetem*, Aegyptiis *Anubim* etiam denominatum, facile quisque videt. Hunc apud Aegyptios cum *Canis* capite depingi consuevisse ignorat nemo. Igitur *Thotho*, cui Arithmeticae, Geometriae, Astronomiae, Calligraphiae &c. inventio a Sanchoniathone apud Eusebium Praep. Evang. lib. 1, a Socrate apud Platonem in *Phoedone*, ab Aegyptiis apud Jamblicum de Myst. Aegypt. sub initio tribui solet, accepta referenda Viro doctiss., cum nova Anni *Aegyptiaci* dierum 365. forma Periodus etiam prima *Sothiaca* videtur. Sed enim *Thoth* huncce *Sethum* vocari Petosiri veteri Aegyptio Scriptori perhibet Vettius Valens apud Scaligerum Isag. Can. lib. 3. p. 275; ex *Athothe* factum *Thoth* aspiratum modo audivimus: igitur ex aspirato *Seth* factum *Asethum* arguere fas est. Stat itaque suo integra Syncelli loco sententia de Periodo *Sothiaca*, Annique forma ab *Asetho* primum inducta; sed *Asethus* Syncello distinguendus ab *Athothe*, longoque post intervallo Aegyptiacas in Dynastias recensendus non fuerat, neque hic a *Thoth*, neque a *Setho* discernendus. Cum hacce porro *Aegyptiacae* Periodi Epocha S. Scripturae juxta LXX. Interpretes Chronologiam approbe congruere statuere pergit Freretus p. 409. sq. Juxta quam *Abrahae* Vocatio cum anno 2155. ante Christi natalem concurrit, idest cum anno 733. post *Menem*, quo Aegyptiaca jam ubique florebat Monarchia. A *Diluvio* ad

Abra-

Abrahamum, juxta LXX. Interpretes, quos pone sequutus est Josephus, anni 1251. interfluxere, ideoque *Menis* initium in annum 518. post *Diluvium* incidit, in *Phalegh* idest aetatem, sub quo Gentium dispersio facta est. Verum nihil obstat, quominus Hebraei Textus, ac Vulgatae nostrae brevior hac etiam in re stet Chronologia, juxta quam a *Diluvio* ad *Abrahamum* anni 352. intercessere, ideoque *Menis*, sive *Mizraimi* initium retrotrahendum erit ad annum 160. post *Diluvium*, 192. ante vocationem *Abrahami*. Quò fiet, ut Periodi *Sothiacae* primae cardo in annum 434. ante *Diluvium* referendus sit, quod ante *Diluvium* Anni formam dierum 365. obtinuisse Art. I. de Mens., & Annis Hebr. &c. ostendimus; ideoque Periodum *Aegyptiacam* haud incepisse *Diluvii* ipsomet anno oportet, ut Aegyptii perperam jactant, neque Periodi primum auctorem fuisse *Menem*, sive *Mizraimum*, sed eam hunc potius a *Chamo* patre, qui a patre *Noacho* vicissim eamdem didicerit, atque a *Lamecho* illum, istumque a *Setho* accepisse, qui Periodi *Sothiacae* primus auctor fuerit, ineundamque primam anno Mundi 1222, ante *Diluvium* 434, ipsius post obitum 180, quo a *Cainane* primum adhiberi cepisse putanda est, Periodi, inquam, *Sothiacae* primus inventor fuerit ipse *Sethus*, Petosiri Aegyptio ita dictus, ipseque met fuerit *Asethus* Syncello, *Athothis* Chronographo Aegyptio, ac *Thoth* Phoenicibus, sive *Sioth* Coptis hodiedum denominatus,

XVI. Diu autem post etiam, quam Alexandrinis quammaxime, Aegyptiisque plerisque aliis, praesertim Astronomis, Aera qua *Alexandraea*, qua *Lagida*, qua imo *Augustaea* usurpari cepit, eadem *Canicularis* Epocha, una cum *Nabonassari* Aera, Aegyptiisque Annis *Sacris*, atque *Vagis* adhiberi non destitit. Idque profecto inter alios ex Ptolemaeo, Theone, Proclo, Alfagrano &c. perspicuum fit, probatumque dedere Viri doctiss. Golius in Not. ad Alfrag. p.45. sq., Dodwellus ad Dissert. Cyprian. Adpend. §.4, Bonjourius Adpend. ad Dissert. p.52, &c. Quin imo, quum in Aera *Nabonassari* Anni Vagi *Aegyptiaci* usurpari eisdem Astronomis non destiterint, eosdem nec etiam destitisse ab usurpanda Epocha *Sothiaca* opinari fas est. Quam plane opinionem confirmant qua Syncellus

in Chron. p. 103. edit. Parif., Ven. p. 82, qua Clemens Alex. Strom. lib. 1. p. 335, qua Cenforinus de Die Nat. cap. 18, quibus Aerae cum *Nabonaffareae*, tum *Sothiacae*, rei veluti fua adhuc fub aetate Aegyptiis frequentatae, mentio facta legitur. Atque Cenforinus quidem anno Chrifti 238. fcribens, annos *Nabonaffari* a die 1. *Thoth* inchoari cap. 21. adfirmat, eumque, quo fcribebat, annum *Nabonaffaraeum* a die 25. Junii, inde vero retro annis 100, ideft Chrifti annum 139. incepiffe die 20, (non 21, ut fupra notatum eft), Julii, quo *Caniculae* ortus contigit. Et certe anno Chrifti 238, *Nabonaffari* annum 986. die 25. Junii cepiffe Petavio Doct. Temp. T. II. lib. 9. cap. 45. edit. Ven. 1757. p. 53. fq., Bucherio in Canon. Victorii p. 233, & Calvifio Ifag. Chron. p. 494. demonftratum eft, ficut & anno Chrifti 139. annum 1. Cycli *Sothiaci* a Julii die 20. incepiffe a Petavio, Norifio, Dodvvello, De Vignolio &c. oftenfum fupra vidimus. Quo loci demum turpem, in quem lapfus Ricciolius eft, errorem Norifius in Cenotaphiis Pifan. Differt. 2. cap. 17. Oper. T. III. p. 545. emendare non deftitit. Is nempe Cenforini locum cit. cap. 21, ubi diem 25. Junii, qua *Nabonaffaraeus* annus 986. incepiffe, U. C. 991, Chrifti 238. fcripfit, formula veteribus Latinis frequentata *Ante diem 7. Kalendas Julias* defignat, corrigendum vult, ac legendum *Ante diem 6. Kal. Jul.*, Chronolog. Par. I. lib. 5. cap. 5. n. 2; pofteriorem vero locum, qui vere in mendo cubat, uti diximus *Ante 12. Kalend. Augufti*, qua formula Cenforino defignatur dies 21. Julii, qua *Nabonaffaraeus* annus incepiffe anno U. C. 892, Chrifti 139. adfirmat, emendatione non indigere putat, ea perfuafione deceptus, quod ea formula *Ante diem* idem fignificetur, ac *Pridie diei*. Verum, uti Volum. I. Proleg. II. de Menf., & Annis Orient., & Occid. §. IX. p. 317. fqq. copiofe, opinor, dilucideque oftenfum eft, veteribus qua Graecis, qua Latinis Scriptoribus in more pofitum erat eadem formula *Ad diem*, vel *Ante diem*, ac *Die 7. Kalend. Jul.*, aut *Die 12. Kalend. Augufti* eamdem diem 25. Junii, aut 20. Julii defignare, ideoque priorem Cenforini locum emendatione non indigere, bene vero pofteriorem emendandum fuiffe, modo obfervatum eft.

XVII. Atque cum hac utique Anni forma perftitit apud Aegy-

Aegyptios integra per duo circiter, & amplius annorum millia Periodus haec *Major Sothiaca*, sive *Canicularis* ex annis 1461. *Aegyptiacis*, sive *Julianis* 1460. constans, atque pro Aera supputandis annis Aegyptiacis inservivit. Donec eadem integra manente Anni dierum 365. forma, tum a Renovatione Imperii Babylonici sub *Nabonassaro*, indeque a *Nabonassaraea* Epocha, una cum Aera *Caniculari*, annos putare Aegyptiis etiam qua Astronomis, qua Chronologis solemne evasit, qua de *Nabonassaraea* Aera dictum jam est; tum deinde ab Imperii *Asiatici* dissolutione post *Alexandri* M. fata, sive a *Ptolemaei Lagi* dominatione in Aegyptios suscepta, annos dinumerare in more positum Aegyptiis deinceps est; tum demum ab *Alexandria* capta, Aegyptoque ab *Augusto* subacta annos deducere Aegyptii delectati sunt. Ast enim post veterem *Aegyptiacam* prima nobis ea se offert, quae *Aethiopica* videri potest, quae usu aliquando Aegyptiis etiam venerit, aestimari posset. Namque ab Aethiopibus, Aegypto pervasa, Regno ibi potitos ab anno Mundi 4732. regnasse *Sabbaconem*, *Sevechum*, & *Tarachum* in Dynastia xxv. recensitos annis 40. juxta Africanum, aut 44. juxta Eusebium refert Syncellus in Chronog. p. 74. sq., 184. sq., & 191. edit. Paris., Ven. p. 59. sq., 147., & 153. Sed enim suo infra loco Aethiopes suas potius ab Aegyptios mutuatos fuisse Epochas palam faciemus. Ad haec praeterea ex Aethiopibus, imperante in Aegypto *Taracho*, postquam idest Aethiopum Reges Aegypto per annos 44, aut juxta alios 80. circiter praefuissent, ab *Assarhadone* Rege Asyriae Aethiopia, Aegyptoque capta, inque captivitatem Aegyptiis, Aethiopibusque abductis, Isajae VII. 18, XIX. 23, & XX. 3. sq., ac Nahum III. 8. sqq., *Nabonassaraea* in Aegypto firmata potius, quam inducta primum Aera videri potest. Verum post *Assarhadonis* Regni in Aegyptios annos 3, *Nabonassari* 81, ab Asyriis defectione facta Aegyptii, sed Aegypto quoque in frusta divisa, Reges duodecim in Regni totidem Regionibus annis 12, aut 15. regnarunt: donec a *Psammitico*, undecim aliis Regibus subactis, in unum rursus Aegyptus Monarchiam coaluit, duravitque ad *Nabonassari* annum 178, quo Aegyptus iterum sub Asyriorum jugum missa a *Na-*
 bu-

buchodonozore mansit annis 40, Hieremiae XLIV. 13, & Ezech. XXIX. 2. sqq.; donec a *Cyro* subjugata Aegypto una cum Asſyria in Persarum denominationem transducta est. Quamquam *Cyro* defuncto, Aegyptii rursus in libertatem semet adseruere; qua tamen perfrui brevi licuit: namque quadriennio post, aut quinquennio, *Nabonassari* anno 223, aut 224, Persarum jugum subire iterum a *Cambyse* compulsi sunt. Quo tempore, quum nempe vastata a *Cambyse* fuisset Aegyptus, ad Bubasticum flumen *Babylonem* conditam tradunt Josephus Antiq. lib. 2. cap. 5, & Ptolemaeus lib. 4. cap. 5, quae deinde *Φόσατης Fostata*, voce barbara, qua *Castra* significantur, ab *Amro*, qui Castra eum prope locum posuerat, dirutamque pene Urbem instauravit, denominata est; ac demum *Cahira* dicta a *Gieubaro* Fatimitarum Exercitus duce, qui castramentatus eam prope Urbem fuerat Hegirae anno 309: qua de re Elmacinus Hist. Sarac. p. 24, Abilfeda in Annal. Moslemicis edit. Reiskii p. 73, Golius in Not. ad Alfrag., Du Cangius V. *Fostata* T. III. edit. Ven. p. 677. sq., & Renaudotius Liturg. Orient. T. I. de Patr. Alex. §. 10. p. 370. sq.

XVIII. Quò fit, ut prima, quae apud Aegyptios novo cum Imperio venire in censum posse videtur, *Persarum* est Epocha, queis in Annis putandis, victorum more Populorum, se deinceps Aegyptii aptare debuerint. Nempe ex Africano, & Eusebio tradit Syncellus p. 75. sq., & 78. edit. Paris., Ven. p. 60. sqq. *Psammeticho* Aegypti Rege in Regum Aegypti Dynastia XXVI. postremo, devicto a *Cambyse*, a quò deinceps Aegypti Regum Dynastia XXVII. *Persarum* dicta est, anno Regni 5, Mundi 3479, anta Christi natalem 525, juxta Eusebium in Chron. vers. S. Hieronymi T. VIII. p. 485, *Abrahami* 149, Olympiadis 64. anno 2, a *Cambyse*, inquam, Aegyptum obtentam sub Persarum imperio permansisse usque ad Persici Regni finem, idest usque ad *Darii Codomanni* annum 6, quo ab *Alexandro M.* Persarum Imperium eversum est, per annos 134. juxta Africanum, sive 132. juxta Eusebium. Quamquam Persis haud altera siquidem tum adhuc temporis, quam *Nabonassaraea* usu fuerit Aera; qua imo sub *Alexandro*, sub *Lagidis*, sub *Augustis* usos aliquando, ac frequenter Aegyptios supra vidimus,

dimus, diu ideo, ſubque Perſis ipſis, *Nabonaſſaraeam* uſu Aegyptiis adhuc veniſſe ſit veri valdequam ſimile. Eòque quammaxime, quod non multo poſt ad gentiles Aegyptios Reges Aegyptus ipſa rediit. Namque a *Xerſe* deficientes Aegyptii, ab eoque ſecundo etſi anno Regni 18. ſubacti; a *Dario Notho* iterum anno 2. Regni, *Abrahami* 1600, Olymp. 91. anno 3. ſeceſſione facta; tertio ab *Artaxerſe Ocho* anno Regni ſui 17, Perſarum 195, *Abrahami* 1670, Olymp. 107. anno 4, vel Olymp. 108. anno 1. ſub jugum miſſi, proprios attamen habere interea Reges haud deſtitere tum *Sais*, tum *Mendis*, tum *Sebennyti*, Urbibus Regni viritim Metropolibus, unde Regum Aegypti Dynaſtiis tribus aliis, nempe XXVIII, XXIX, & XXX. locus a Manethone apud Julium Africanum, Euſebium, atque Syncellum datus legitur. Queis ſane poteſtas haud exigua permanſiſſe inde adparet, quod a *Nechao* Aegypti Rege capta Jeruſalem, ac *Joachaz* Rex Judae captivus in Aegyptum abductus legitur IV. Reg. XXIII. 33. 35, & II. Paralip. XXXVI. 1. ſqq., permanſitque uſque ad *Nectanebum* II. Dynaſtiae III. Regem poſtremum *Sebennytarum*, qui ab *Artaxerſe Ocho* praelio ſuperatus fugere, juxta quoſdam in Aethiopiam, juxta alios in Macedoniam, (ubi Olympiadi praeſtigiis deluſae commixtus *Alexandrum*, qui *Jovis Ammonis* filius inde reputatus eſt, genuiſſe fertur), compulſus Aegyptiaco Regno finem feciſse legitur apud Euſebium in Chron. p. 485, 497, 515. ſq., & 529. ſq., atque Syncellum in Chronog. p. 250. ſq., & 255. ſq. edit. Pariſ., Ven. p. 200, & 203. ſq. Paullo ſed enim poſt una cum Perſarum Regno in *Alexandri* M. poteſtatem tranſducta Aegyptus inſignem ab Urbe *Alexandria* ab eodem Regni anno 7. Olymp. 112. anno 3, ante Chriſti natalem 330. condita, ſuoque de nomine adpellata, veteri Aegyptiaco nomine *Racot* dicta, Epocham alteram exordiri viſa eſt: qua de tamen infra, quum de ſingularibus Aegypti Urbium Epochis ſermo inſtituetur.

XIX. Inſignis tertia itaque, quae univerſa in Aegypto praeſertim obtinuit, *Philippica*, quae & paſſim *Alexandraea* dicta eſt, atque ab obitu *Alexandri* M. incepit, uſu deinceps Aſtronomis quammaxime frequentata; quae tamen Aera, non a die

a die *Alexandri* emortuali, ſed a Neomenia *Thoth* Ægyptiaci Anni, quo *Alexander* vivendi finem fecit, initium duxit, Cenſorino teſte de Die Nat. cap.21, qua de Aera fuſius ſuo infra loco, quum de *Syromacedonum* Epochis tractatio ſuſcipietur. Inſignis quarta Aegyptiis proprie, reliquis etiam Afris, Libycis, atque Cyrenaeis, quin etiam Arabibus Aegypto propinquis facta communis, Epocha fuit *Lagida*, quae a *Ptolemaeo Lagi* filio, in Nummis *Sotere* dicto, eo ipſo *Alexandri* M. obitus anno rerum in Aegypto, Libya, atque Cyrenaica potito, una cum omni Arabiae parte illa, quae Aegypto adjacet, denominata, quadruplex diſtingui ſolet, pro ut aliis uſurpata paſſim aliter legitur, juxta quadruplex ideſt, quod eidem ſtatui Epochae initium ſolet. Namque prima ab exordio Regni in Aſia, ſive Babylone ab *Alexandro M.* inito, quod Menſe 9. poſt celebrem ad *Arbelam* de *Dario Codomanno* victoriam reportatam, cujus pars haud exigua *Ptolemaeus* ipſe *Lagus* fuit, ab ejuſdem *Darii* obitu ducitur, annis ideſt quinque, antequam *Ptolemaeus* in Aegypto Regnum auſpicaretur, videlicet ab anno 3. Olympiadis 112, ante Chriſti natalem 330. exeunte, ſeu 329. ineunte, quo ab anno celebri ſuae Periodo annorum 76. auſpicium ideo feciſſe *Calippus* ex Ptolemaei Aſtronomicis Obſervationibus in Almageſto ad eamdem Periodum accommodatis intelligi facile datur: qua de re Strabo lib.16. p.373, Plutarcus in *Alexandro*, Juſtinus lib.11. cap.14, Arrianus lib.3. p.63, & lib.6. p.130. ſq., Q. Curtius lib.4. cap.32. ſqq., videndique Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. p.166, & 173, ac Longuerue de Var. Epoch. cap.2. p.46. ſqq. Verum Harduinus in Chron. Vet. Teſt. Oper. Select. p. 574. ſq., ſicut in pluribus aliis ſolet, ſic in hac quoque, ac ſequenti Epocha, tam *Lagidarum*, quam *Seleucidarum*, ſtabilienda a communi, receptaque Chronologorum ſententia recedere non dubitavit. Nempe victoriam ab *Alexandro M.* ad *Gaugamelam*, ſeu *Arbelam* de *Dario* relatam in annum U.C. 430, ante Chriſtianam Aeram 324. conferendam, annis ideſt 5. retardandam eſſe vidiſſe certo ſibi viſus eſt in Plinio videlicet, qui lib.5 cap.72. edit. Gelen. Aſtronomia hacce nota Victoriam illam adfuiſſe legitur: *Apud Arbelam M. Alexandri Victoria, Luna defeciſſe noctis hora*

bora secunda prodita est; *eademque in Sicilia exoriens*. Eo porro anno 324. Parisiis, inquit Vir doctiss., *Plenilunium Verum* fuit Maji die 8. sero hora 6. min. 55.′ 34.″, Defectionis initium hora 5. m.27.′ 33.″; differentia Meridiani Parisiensis ab Arbelis, ubi ex Ricciolio altitudo Poli est graduum 35, est hor.3. m.12.′ 48.″; ideoque Defectionis initium fuit Arbelis hor.8. m.40.′ 21.″, idest noctis hora 2. Differentia Meridiani Parisiensis a Messana in Sicilia est hor.0. min.57.′ 44.″; ideoque Defectionis initium fuit Messanae hor.6.m.25.′ 17.″, idest *Lunae* exortus hora 6. m.50.′; *Plenilunium Medium* fuit Parisiis hor.7. m.0.′ 51.″; Arbelis hor.10. m.13.′ 39.″, Messanae hor.7. m.57.′ 44.″; *Eclipsis* finis Parisiis fuit hor.8. m.34.′ 9.″; Arbelis hor.11. m.46.′ 57.″, Messanae hor.9. m.31.′ 53.″; duratio *Eclipsis* hor.3. m.6.′ 30.″; *Eclipsis* digitorum 11. Ab hoc itaque anno U. C. 430, ante Christi natalem 324. Maji die 8, Regni ab *Alexandro M.* in Asia initi ducendum exordium docet, Regnum istud durasse annis 12, ideoque *Alexandri M.* annum emortualem fuisse U.C. annum 442, ante Christi natalem 312, atque ita ab *Alexandri* obitu proxime, idest ante Christum anno 312. ducendam *Seleucidarum* Epocham, annis vero 12. retro, idest ab anno 324. ante Christianam Aeram, *Lagidarum* deducendam Epocham existimat.

XX. Verum *Eclipsis* haec utique ab Harduino notata, eodem Die, Mense, & Anno notari conspicitur in Tabulis Astron. Cassini, non ab hac attamen *Eclipsi* pugnae ad Arbelam Epocha repetenda est, sed ab altera *Eclipsi*, quae juxta Tabulas ejusdem Cassini, Scaligeri de Emend. lib.5. p.420, Petavii Doct. Temp. T.I. lib.8.cap.13, & Ration.Temp.Par.II. lib.3. cap.12, ac Ricciolii Almag. lib.5. cap.9, quos frustra sollicitat Harduinus, anno 2.Olymp.112, ante Christi natalem 331. U.C. 423, die 21. Septembris contigit, & Arbelis hora 8. m.45. post Meridiem, Messanae vero in Sicilia hora 5. m. 29.′ 41.″ visa est. *Eclipsis* illa etenim Harduini verae, ac insignis *Eclipsis* haud characteres habuit, namque totalis non fuit, sed digitorum 11. tantum; quae vero anno 331. ante Christum, U.C. 423. contigit, integra fuit, insignisque. Adhaec *Eclipsis* Harduino notata die 8. Maji accidit: ast vero Plutarcho teste in *Ale-*

Alexandro Menſe *Boedromione*, circa *Eleuſiniorum* initium *Lunae* defectio contigit, dieque 11. a defectione ad Arbelam pugnatum eſt; ideſt Arriano quoque perhibente, in Autumno Septembris die 31, ſeu verius die 2. Octobris pugna ad Arbelam facta eſt. Quò fit perinde, ut Nevvtoni quoque Chronologiam in Synopſi Chron. praemiſsa Chronolog. Veter. Regn. emendatae edit. Ven. p.35, qua Victoria ad Arbelam de *Dario* ab *Alexandro* relata, ideoque *Alexandraei* Imperii exordium anno Chriſti ante natalem 332, biennio ideſt citius conſignatur, concidere prorſus oporteat. Fit denique, ut Imperii in Aſia initi ab *Alexandro* caput ad annum 330. Chriſti ante natalem reſtituendum ſit; indeque prima *Lagidarum* Epocha ſit repoſcenda; *Alexandri* emortualis annus cum anno 323. ante Chriſtianam Aeram copulandus ſit; atque poſtinde annis 12, ideſt ante Chriſtum anno 312. Aerae *Seleucidarum* cardo ſit repetendus. Conferendus etiam, qui de *Eclipſi* hacce dilucide agit, Anonymus Soc. J. in Auctario Chronologico ad Sigonii librum de Athen., & Lacedaem. temporibus Operum Sigonii T. V. edit. Mediol. 1736. p. LXXXIV. ſq., ubi *Eclipſim* illam Periodi Jul. anno 4383. Septembris die 20.hor.22. a media nocte 11. Arbelis terrae umbram ſubiiſse *Lunam* digitos 14. m.17.', in Sicilia vero a *Solis* occaſu obſervat.

XXI. De Secunda, eaque frequentatiori *Lagidarum* Epocha nunc loquendo, exordium iſthaec ab eodem, quo *Alexander M.* vivendi finem fecit, anno 1. Olymp. 14, *Ptolemaei Lagi* 1, ante Chriſti natalem 323, *Seleucidarum* ante Aeram anno 11, (non anno 1, velut inſigni ſcribit errore Syncellus p.271, & 274. edit. Pariſ., Ven. p.216, & 218, ubi ab anno 1. emortuali *Alexandri M.*, Mundi 5171. tam *Lagidarum* in Aegypto, quam *Seleucidarum* in Syria Epochae exordium ducit, ita cum *Lagida*, ac *Seleucida* Aeram *Alexandraeam*, ſive *Philippicam*, qua de nos infra, confundens, emendatus idcirco a Goaro in Canone Chronogr. p.401.ſqq.); quo ipſo anno in Africa quidquid *Alexander* obtinuerat, una cum Libya, Cyrenaica, Arabiaeque parte, quae Aegypto proxime adjacet, eidem in Regni diviſione obtigerat, *Ptolemaeus Lagus* Imperium auſpicatus eſt, perque annos 40. tenuit,

unit, ac post inde sua alii ex stirpe usque ad *Cleopatrae* videlicet obitum, annum idest ab obitu *Alexandri* 281, ante Christi natalem 31, quo *Actiaca* Victoria Aegyptus universa imperio *Augusti* cessit: qua de re Lucianus in *Macrobiis*, Dexippus in Graecis Euseb. Scaligeri p. 49, Porphyrius ibid. p. 225, Eratosthenes apud Clementem Alex. Strom. lib. 1, Josephus Antiq. lib. 12. cap. 2, Diodorus lib. 17. sub fin., Memnon in Excerptis apud Photium Cod. 224. cap. 5. p. 707. sq., Justinus lib. 13. cap. 4. sq., Appianus in Syr., Arrianus in Excerpt. apud Photium Cod. 92. p. 215. sqq. edit. Schotti, Eusebius in Chron. edit. S. Hieron. Veron. T. VIII. p. 533. sqq., S. Epiphanius de Pond. & Mens. Oper. T. II. p. 168. sq., videndique Usserius in Annal. Vet. Test. p. 213, ac Pagius in Appar. Chron. n. 25. edit. Lucen. T. I. p. 335. sq. Tertia Aerae *Lagidarum* species ab eo cardinem ducit anno, non quo *Ptolemaeus Lagi* filius statim post *Alexandri M.* obitum Aegypti Regnum occupavit, qua de modo dictum est, sed ab eo, quo post *Alexandri* obitum anno 17, Olymp. 118. anno 3, *Seleucidarum* 7, U. C. 448, ante Christum 306. Regio cum Diadomate Regis adsumpsit nomen; quo nempe *Demetrius Poliorcetes* cum *Antigono* Patre in Asia Rex est salutatus; eodemque alii exemplo *Alexandri* olim Duces alibi, in Macedonia, Syria &c., uti fidem indubiam faciunt Diodorus lib. 20. Olymp. cit., Appianus in *Syriacis* p. 122, Justinus lib. 15. cap. 2, Plutarchus in *Demetrio*, quò spectat etiam Scriptor Macchab. lib. 1. cap. 9. v. 9, docentque Nummi *Antigoni*, *Demetrii*, & *Ptolemaei* apud Goltzium, Vaillantium, Begerum, Harduinum p. 578, & 581, ac Froelichium in Annal. Reg. Syr. p. 10. sq. Quartae demum Aerae *Lagidae* caput ab anno *Ptolemaei Lagi* 40, sive Regni postremo, ipsiusque filii *Ptolemaei Philadelphi* anno primo, Aerae *Seleucidarum* 28, ante Christi natalem 285, U. C. 469, Olymp. 123. anno 4. ducitur. Atque Aera ista quidem usus fertur Dionysius Astronomus celebris apud Ptolemaeum Almag. lib. 9. cap. 7, adeundique Petavius in Animadv. ad S. Epiphanium de Mens., & Pond. T. II. p. 382, ac Froelichius in Annal. Reg. Syr. p. 18. sq. Sed & *Seleucidarum* aliquando Aera usurpata Aegyptiis videri facile potest, sub *Antiocho* IV.

videlicet *Epiphane*, a quo, ut habet Eusebius in Chron.Oper. S.Hieron. T. VIII. p. 569, (non vero ab *Antiocho* V. *Eupatore*, veluti Syncellus in Chronog. p. 286. edit. Parif., Ven. p. 228. scribit, ab isto Expeditionem in Aegyptum contra *Ptolemaeum Philometorem* adornatam fuisse, percussamque Aegyptum perhibens), Aegyptum Syriae Regum jugo subactam ostendunt Nummi apud Favvkenerum, Haymium, Vaillantium, Begerum, Froelichium &c., in quibus *Antiochi* IV. caput corona radiata redimitum comparet cum *Aquila* fulmini insistente, aut cum *Iside* spicis, & loto ornata, aut *Temone*, sive gubernaculo expresso. *Aquila* namque fulmini inhaerens symbolum fere perpetuum est in Nummis Regum Aegyptiacis. *Isis* quoque Aegyptiis quammaxime sacra dubitare non sinit, quin in Aegypto percussi Nummi fuerint: quod ipsum confirmat *Temo*, qualem in Nummis *M. Antonio*, & *Cleopatrae* Aegypti symbolum fuisse nemo vel leviter ambigit.

XXII. Ad alias jam vero Aegyptiis usurpatas progrediendo Aeras, postquam Romanorum in potestatem Aegyptus ipsa devenit, post idest quam sub *Lagidarum* imperio ab anno 1. Olymp. 114, quo post *Alexandrum* Aegyptiis imperare *Ptolemaeus Lagi* filius cepit, initio ducto usque ad Olympiadis 187. annum 4, quo ab *Augusto Cleopatra*, & *M. Antonio* devictis, in Provinciam Romanam Aegyptus redacta est, annisque 306, minus attamen vere juxta S. Epiphanium, aut 298. juxta Africanum, aut 295. juxta Eusebium, aut 296. juxta Auctorem Chron. Alex., qua de re videndi Petavius Animad. in S. Epiphan. de Mens. & Pond. T. II. p. 382, & Vallarsius in Not. ad Eusebium p. 622; verius ab *Alexandri M.* obitu annis 281. juxta Chronologiam alibi a nobis stabilitam usque ad Olymp. 187. annum 2, Christi ante natalem 31, sive ad Victoriam *Actiacam*, *M. Antonii*, & *Cleopatrae* obitu anno 1. anteriorem, durasset, quinta altera usurpari in Aegypto Aera visa est, a Victoria hoc est *Actiaca* initio, & *Alexandria* Urbe capta inito. Quo sane loci diligenter quinque distinguenda sunt: 1.° quonam anno Victoria ad *Actium* contigerit: 2.° quo *Alexandria* capta fuerit: 3.° quo ab anno ceperint Anni *Actiaci* numerari: 4.° a quo *Augustaei* item Anni exordium

dium sumpserint: 5.° quo ab anno demum *Actiaci* fixi Anni computandi sint. Pugna itaque prope *Actium* Promontorium, quo non procul in rei memoriam ab *Augusto* conditam deinde *Nicopolim* tradunt Strabo lib. 17. p. 547, & Dio Cassius lib. 51. p. 456, commissa de *M. Antonio* Victoriam ab *Augusto* relatam die 2. Septembris anno Juliano 15, Augusti 14, Periodi Jul. 4683, U. C. 723, ante Christi natalem 31; annoque sequenti *Alexandria* potitum *Augustum* scribit Dio lib. 51. p. 457. Atque quidem captam *Alexandriam* die 27. Martii opinatus Baronius in Appar. n. 104, Macrobii Saturn. lib. 1. cap. 12. refellitur testimonio, liquide adfirmantis Mense *Sextili Augustum* Victorem *Alexandriam* intrasse; die 29. Augusti suspicati, sive a Josepho id adfirmante Antiq. lib. 15. cap. 10. decepti Longuerue de Var. Epochis Veter. cap. 3. §. 11. p. 117, Corsinius in Fast. Attic. Par. II. T. II. ad Olymp. 187. an. 2. p. 128, aliique refelluntur *Antiatino* Kalendario, (reperto videlicet inter Veteris Antii rudera, quod in Aedibus modo Capitolinis extat, aerique incisum primus anno 1723. evulgavit Blanchinius in Prolegom. ad Anastasii Bibliot T. II. p. 222.), ubi Kalendis Augusti habetur: *Augustus Alexandriam recepit*. Subdit Macrobius *Sextilem* deinceps *Augusti* de nomine *Augustum* S.C. adpellandum fuisse decretum. Subjungit & Dio diem, quo capta fuerat *Alexandria*, decreto Senatus pro Festo deinceps habendam fore; indeque putandis annis faciendum initium. Scribit & Censorinus de Die Nat. cap. 21. ab eodem die, quo in ipsos *Augustorum* imperium obtinuit, annos computare Aegyptios cepisse. Quae nova *Augustaea* apud Aegyptios Aera ut bono in lumine collocetur, advertere illud in antecessum oportet, Caesaris *Octaviani Augusti*, qui 9. Kalend. Octobris anno U. C. 691, ante vulgarem Christi natalem 63. in lucem editus fertur, Svetonio in *Augusto* cap. 5. teste, annos numerari solere, vel a *Julii Caesaris* obitu die 15. Martii, anno idest U. C. 710, Juliano 2, ante Christum 44, annos videlicet *Augusti* 57, Menses 5, dies 4, quot a Martii die 15. anni 44. ante Christianam Aeram, quo Romae *Julius* obiit, ad annum Christi 14. diem 19. Augusti, quo Nolae *Augustus* e vivis excessit, intercessere. Atque hacce quidem numeran-

 di

di *Augusti* annos ratione usi leguntur Josephus Antiq. lib. 18. cap. 3, uno tamen Mense, ac diebus 3. minus; Eusebius in Hist. Eccl. lib. 1. cap. 9, neglectis Mensibus 7, & diebus 5, ubi emendasse, quod in Chronico p. 612. scripserat *Augustum* regnasse annis 56, ac Mensibus 6, aestimandus est; (quo loci emendandum Eusebium, & *Augustum* aetatis anno, non 76, ut Codices Eusebiani omnes habent, scribuntque Dio lib. 56, Svetonius, & Paterculus lib. 2. cap. 123, sed anno 77. contendens Scaliger, viden ut vapulet a Viris doctiss. Schurzfleischio, Pontaco, & Vallarsio in Not. p. 641, & 235; atque quidem Eusebium ab hoc anno, Juliano 2. nempe, *Julii* emortuali, non vero ab anno insequenti Juliano 3, uti Scaligero in Not. ad Euseb. n. 1988, & Petavio Animad. in S. Epiphanium T. II. p. 130. visum est, *Augusti* annos numerasse ostendunt Baronius in Appar. n. 103. sq., & Pagius in App. n. 69. sq.; qui S. Epiphanio etiam Haer. LI. ab eodem Juliano 2. annos supputatos *Augusti* fuisse, contra Petavium in Juliano 3. *Augusti* initium a S. Epiphanio statutum opinantem, post Baronium demonstrare pergit); S. Joh. Chrysostomus in Homil. Graeca de Indict. scripta, Orosius lib. 1. capp. 1, & 7, V. Beda de Sex Aetat., Albinus Flaccus de Divin. Offic., Martyrologium Rom. die 25. Decembris, aliique Christi D. natalem diem in annum 41, aut 42, aut 43. *Augusti* conferentes. Vel ab anno 2. post *Julii* obitum, Juliano 3, U. C. 711, ante Christi natalem 43, quo *Augusto* Imperium *Extraordinarium* a Senatu decretum est, Consulatus I. ab eodem die 19. Augusti, ac Triumviratus cum *Lepido*, & *Antonio* initus est, de quo Cicero Philip. 5, & lib. ad Brutum epist. 15, Livius lib. 118, Vellejus lib. 2. cap. 81, Svetonius in *Octavio* cap. 10, Appianus lib. 3. p. 559. sq., Plutarchus in *Antonio*, & Dio lib. 46. p. 310: quo sane modo annos *Augusti* supputasse intelligendi sunt, qui *Augusti* anno 41, *Lentulo*, & *Messalino* Coss. natum *Christum* D. scripsere, S. Irenaeus adv. Haer. lib. 3. cap. 25, Tertullianus adv. Jud. cap. 8. edit. Ven. p. 190, S. Hieronymus in Isaj. cap. 2, & Dan. cap. 9. &c.

XXIII. Augusti annos aliis multis, uti Judaeis in Gemara *Avodah Zarah* cap. 2. fol. 8. apud Ligtfoot in Luc. II. T. II. p. 495,

p. 495, auſpicari magis adlibuit ab *Actiaca* Victoria, anno ideſt *Auguſti*, non 12, uti Tacitus lib. 1, Epitomator Livii, & Julius Afric. apud Euſebium Demonſt. Evang. lib. 8. cap. 2; nec 13, ut Eutropius, Dionyſius Halic. lib. 1, & Svetonius viſi ſunt, ſed anno 14, Juliano 15, U. C. 723, ante Chriſti natalem 31, die 2. Septembris, uti dictum ſuperius eſt, docentque Joſephus Antiq. lib. 15. cap. 5, & lib. 18. cap. 4, Dio lib. 51. p. 457, Euſebius in Chron. p. 624, Clemens Alex. Strom. lib. 1. p. 146. ſq. edit. Sylburg. Ven. p. 405. ſq.; quo ab anno deinceps *Auguſtum* per annos 44. Imperium tenuiſſe perhibent Dio lib. 56, Svetonius cap. 8, Victor in Epitome, Eutropius lib. 7. &c.; videnduſque Pontacus in Not. ad Euſebium in Chron. Oper. S. Hieronymi edit. Veron. T. VIII. p. 219. ſq. Receptiſſimam attamen contra opinionem hancce de Pugna *Actiaca* in U. C. annum 723, ante Chriſtum 31. referenda inſurrexit ſuo pro more Harduinus in Chron. Vet. Teſt. p. 616, & in Num. Auguſt. p. 698. pugnans *Actiacam* Victoriam ad annum U. C. 728, ante Chriſtianam Aeram 26, ac Menſem Junium, quinquennio ideſt, fore retardandam: quod ex duplici Nummo cum *M. Antonii*, & *Cleopatrae* Capitibus in uno, in altero cum duobus *Caſtoris*, & *Pollucis* Capitibus abſque Inſcriptione Tripolis cuſo cum Nota numerali ΓΚ. anni 23. ſuadere nititur. Eam nempe in Nummo utroque obſignatam Epocham ineundam eſſe a foedere *Aſiae* Urbium cum *Julio* Caeſare Dictatore, & *M. Antonio* percuſſo anno U. C. 705, ante Chriſtum 49: quo ab anno ducti anni 23. incident in U. C. annum 727. quo adhuc ſuperſtes *Antonius* in honore Aegyptiis habebatur; ideoque poſt inde, aut ipſo anno Pugna *Actiaca*, expugnatioque perinde *Alexandriae* ut contingeret, oportuiſſe concludit. Verum ut modo nihil de Nummis dicam *M. Antonio*, ſicut & aliis multis, a Joh. Jacobo Bonſagna Parmenſi, & a Johanne Cavino Patavino ſuppoſitis, qualis apud Oiſelium Tab. 78. n. 6. ſuperba cum Inſcriptione: *Salus Gen. Humani*: quae ante *Galbam* ſane in ſinceris Nummis nullibi occurrit; qualiſque apud Spanhemium de Num. Uſu, & Praeſt. diſſert. 10. §. 3. T. II. cum effigie *Dianae Epheſiae*, & Inſcriptione ΑΡΧΙΕΡ., quo nomine *M. Antonium Dianae* Flaminem

nem adsumptum ille credidit: quos profecto Nummos suppositios ostendit, atque posteriorem quidem, non ad *M. Antonium*, sed ad *Glauconem Eutychratem* Pontificem Ephesium, ex integra Nummi Inscriptione apud Vaillantium Num. Imp. Graec. p.2, Morellium in Specim. Rei Num. Tab. 24, Haymium in Thes. Britan. T. II. p.168, Havercampium in Thes. Reg. Sveciae Tab. 43, in Museo Museliano T. I. Imp. Tab. 2. pertinere ostendit Vir doctiss. Paciaudus Animad. Philolog. ad Nummos Consul. *M. Antonii* Sect. 6. p.39. sq., & 42. sq.; ac praeterquam quod similem prorsus absque Inscriptione Nummum cum Capite nudo jugato Capiti Muliebri radiato ex parte antica, in postica cum duobus *Dioscuris* in Equis Tripoli cusum cum Nota MP. anni 147, quam *Antiocho* IV. *Epiphani* tribuendum existimat, Froelichius profert in Annal. Reg. Syr. p.53, illud ex Nummis indubium effecit Norisius de Epochis Syromaced. dissert. 2. cap. 2. §. 4. Oper. T. II. p. 102. sqq., ex quo *Ptolemaeo Epiphani* cum Phoenicia *Tripolis* erepta ab *Antiocho* III. *Magno* in Syriae Regum potestatem a Regibus Aegypti pertransiit, unam deinceps *Seleucidarum* Aeram frequentatam Tripolitis fuisse, in Nummis etiam *Augustorum*: cujusmodi in *Augusti*, *Tiberii*, *Trajani*, *Hadriani*, *Antonini Pii*, *M. Aurelii*, *Septimii Severi*, *Antonini Caracallae*, & *Elagabali* Tripoli cusis adparet Nummis apud Harduinum p.172. sq., & Norisium loc. cit., qua de Aera nobis quoque suo infra loco sermo fiet. Sed enim *Augusti* Nummo Harduini opinio funditus evertitur ab ipsomet in Hist. Augus. prolato ex Museo D. Foucaltii p.698. Oper. Select. In eo namque Caput *Octaviani* Caesaris cum lituo Augurali, ac Nota *Coss. VI.* in antica conspicitur, in postica vero *Crocodilus* cum Inscriptione *Aegypto Capta*. Jam vero *Augusti* Consulatus VI. cum U. C. anno 726, ante Christianam Aeram 28. concurrit: ante igitur annum U. C. 728, & annum Christi ante natalem 26. capta *Alexandria* est, & *Actiaca* Victoria contigit. Ad haec U. C. anno 721, ante Christum 33. cum Triumviris *Lepido*, *M. Antonio*, & *Octaviano* Caesare novum ab Aegyptiis foedus initum fuisse idem ultrocitroque fatetur Harduinus in Chron. Vet. Test. p.615. sqq., quo loci Nummum *Antonii* cum

Nota

Nota L. A. anno 1. in Aegypto cusum, tresque alios profert Nummos *Augusti*, duos in Aegypto percussos cum Notis L.B. anno 2, & L.ς. anno 6, tertium vero Tripoli scalptum cum *Dioscuris* ex una parte, ex alteraque cum Nota L. ΠΣ. anno 280: quia sane Aeram *Seleucidarum* indicari non dubitat. Itaque neque dubium est, quin in Nummo *Antonii* Nota anni 1. designetur annus U. C. 713, ante Christum 41, quo cum *Cleopatra* Alexandriam primum *Antonius* ingressus est; aut U. C. annus 711, ante Christum 43, quo Triumviratus injit, uti late probat Panvinius Comm. in lib. 2. Fast.; quinque vero in Nummis *Augusti* Aera *Aegyptiaca* ab *Alexandria* capta denotetur.

XXIV. Ita suo *Augusti* a Victoria *Actiaca* Epocha loco restituta, exinde *Augusti* numeratis annis, Christum D. natum *Augusti* anno 28. scripsisse Clemens Alex. Strom. lib. 1. p. 146, & Eusebius Hist. Eccles. lib. 1. cap. 5. Baronio in Appar. n. 105. visi sunt. Sed eum refellit Basnagius in Annal. Polit. Eccles. p. 46; eo namque loci Clemens Alex. *Augusto* Regni annos 43. tribuit; quo patet illum non ab *Actiaca* pugna, sed a capta *Alexandria* Imperii *Augustaei* annos numerasse; Eusebius vero *Augusti* ab interitu *Antonii*, & *Cleopatrae* annos 28. ante Christi natalem enumerat; non itaque a Victoria *Actiaca*, quae *Alexandriae* expugnationem uno praevertit anno. Videndi etiam Potterus in Not. ad Clementem Alex., edit. Sylburgi p. 147, Ven. T.I. p. 406. sq., ubi cum anno 28. *Augusti* eo in loco Clementis annum 42. relinquendum; quin & Hesychio apud Anastasium in quaest. 92. restituendum Τὸν Μβ' ἔτον annum 42. contendit: frustra tamen, quippe cum Eusebio Hesychius *Augusti* annos 42, a Juliano 2, ante Christum 44, U.C. 710, dinumerandos censuit; contra vero Clemens annos 43. *Augusti* ab Aegypto occupata computasse videtur, atque Valesius in Not. ad Eusebium loc. cit. edit. Taurin. T.I. p. 18, ubi contra Scaligerum ex sententia Eusebii Christi annum 1. cum anno 43. *Augusti* componendum esse contendentem ostendit ex antiquissimis Cod. Mss. Eusebiani Chronici Acutiano, Lipsii, & Ortelii, nec non vetustissima Editione Mediolanensi neque Scaligero, neque Pontaco visa, cum anno 42. *Augusti* con-

jungi

jungi ab Eusebio Christi annum 1; atque 1. *Augusti* ab Eusebio duci a Consulatu *Pansae*, & *Hirtii*, U. C. 711, ante Christi natalem 43; ideoque *Augusti* annum 42. cum ejusdem *Augusti* Consulatu XIII, U. C. 752, ante Christum 2. concurrisse. At enim aliis longe pluribus *Augusti* annos putare magis placuit a Capta *Alexandria*, proxime idest sequente anno a Pugna *Actiaca*, U. C. 724, ante Christianam Aeram 30, Juliano 16, *Augusti* 15, die 1. Augusti, non die 29, veluti Viris doctiss. olim visum est, uti superius est adnotatum: quo ab anno Aegyptios *Augustorum* deinceps annos dinumerare cepisse auctor est Censorinus de Die Nat. cap.21. Vel ab *Augusti* nomine, quod Senatus decreto, atque *L. Munatii Planci* sententia *Octavianus* Caesar adeptus est die 16. Januarii anno U. C. 727, ante Christi natalem 27, Juliano 19, *Augusti* 18, quo septimo Consul idem Caesar processit, unoque *Augusti* nomine deinceps audivit; quove ab anno omne prorsus Senatus, Populique Romani Imperium in *Augustum* translatum est, atque a Kalendis Januariis ejusdem anni *Augustorum* deinceps Epocha, *Augustaea* dicta, a Romanis deduci cepit, velut habent Vellejus lib.2. cap.91, Svetonius cap.7, Florus lib.4. in fine, Censorinus de Die Nat. cap.21, ac Dio lib.53. p.497, 503. sqq. *Augustaeam* porro Epocham hanc anno uno antevertendam, conferendamque in annum Periodi Jul. 4686, U. C. 726, ante Christi natalem 28. arbitratus est Scaliger de Emend. Temp. lib.5. p.456; indeque annos *Deorum Augustorum* de *Augusti* nomine dici cepisse arguit. Ast oppido eum falli disertis ex Censorini, ac Dionis locis citatis ostendit Basnagius in Annal. Polit. Eccl. T.I. p.56. Constat enim, ut ostendimus, Caesari *Octaviano Augusti* nomen inditum fuisse Periodi Julianae anno 4687, U. C. 727, ante Christianam Aeram 27, docetque liquido Inscriptio Narbonensis apud Gruterum p.229; qua de re adeundi Usserius in Annal. Vet. Test. p.549, ac Pagius in Appar. Chron. n.117. edit. Luc. T. I. p.360. Eodem vero Dione teste lib.53. p.507, *Augusti*, Graecis Σέβαςοι dici cepere, quasi *Venerandi*, ideoque inde, non *Deorum Venerandorum*, bene vero *Venerandorum Augustorum* deduci, atque dici Annos deinceps incepisse putandum est, velut etiam probe notatum est Victo-

Victori in Epitome, & Floro lib.4. cap.12. *Augustaeam* vicissim hanc Epocham ab aestate, sive a Julio anni U. C. 724. duxerat olim Norisius in Cenotaph. Pisan. dissert. 2. cap. 16. §§. 8, & 13. Oper. T. III. edit. Veron. p. 458. sq., & 518. sqq., qui postea sententiae poenitens de Epochis Syromaced. dissert. 3. cap. 7. T. II. p. 257. sqq. ab Autumno, sive a die 2. Septembris anni U. C. 723. ducendam statuit, paullo idest post *Actiacam* Pugnam, postquam rerum in Aegypto potitum *Augustum* tradit Dio lib. 51. p. 442, & ante quam Syria *Augusti* partes secuta fuerat, Dionis nempe hocce loco motus, Nummorumque insuper Inscriptionibus suffultus, quorum ope & Chronologiam *Praesidum* Syriae reformare, & *Antiochenam* confirmare Aeram satagit. Verumtamen Vir doctiss. Ludovicus du Four Longuerue de Var. Epochis Veter. cap. 3. §. 11. p. 115. sqq. contra Norisium ex Dione ipso lib. 52. sub initio scribente Romanos anno U. C. 725. ab uno regi coepisse, arguit inde quoque Epocham *Augustaeam* exordiri fas esse. Quin verius ex eodem Dione lib. 53. p. 750. subjungente anno U. C. 727. divisis *Augustum* inter, & Senatum Provinciis, inde Monarchiae initium apud Romanos auspicandum esse, potiori jure licere ab eodem anno U. C. 727. *Augustae ae* Epochae exordium capere. Minus vero roboris inesse Nummis a Norisio laudatis idem Longuerue suadere pergit, queis de nobis infra disputandi locus redibit. Verum lis ista de solo versari nomine, uti vocant, videtur, a Norisio namque in Cenotaph. Pisan. *Augustaea* Epocha confusa cum Epocha Captae *Alexandriae* fuerat, de qua una disputat Longuerue; neque litem intendit, quin ab ea *Antiochena* revera ceperit Aera; de Epochis Syromaced. vero ab Epocha *Captae Alexandriae* distincta fuit, atque ab *Asiae Receptae*-Aera *Antiochena* deducta, qua de suo infra loco.

XXV. Hisce ut par erat, proutque praestitutae ferebat pretium operae, praestabilitis, ut ad Aegyptios, unde paullisper deflexerat, nostra modo regrediatur oratio, Georgius porro Syncellus in Chronog. p. 307. sq., & 312. sq. edit. Paris., Ven. p. 244. sq., & 248. sq., postquam ex Julii Africani, & Clementis Alex. sententia *Actiacam* Victoriam anno Mundi 5472, Olympiadis 187. anno 4, *Augusti* 15. consignasset, subjungit

P.I.T.V. P. ab

ab hoc ipso anno, dieque 29. Augusti, quo Periodum *Canicularem* annorum 1460. absolutam fuisse adfirmat, novam apud Aegyptios Periodum incepisse: a Panodoro tamen novam hancce Periodum ab anno *Augusti* 22. fuisse auspicatam refert, ut pote qui *Alexandriam* captam *Augusti* anno 16. supposuit. Qua in re primo erravit Censorinus eodem ab anno, quo capta *Alexandria* fuit, Epocham apud Aegyptios incepisse novam existimans; erravit & Pagius in Appar. Chron. n. 96. a Ptolemaeo *Augusti* annos ab anno captae *Alexandriae* computatos opinatus, ut mox ostendo. Pejus vero peccavit Syncellus, primo quidem non advertens Julio Africano biennio Olympiades vulgares anticipari. Namque Christi D. obitum consignat Aerae Christianae anno 29, duobus *Geminis* Coss., Olymp. 202. anno 2, quo Phlegontis *Eclipsim* etiam consignat: quo tamen anno Dionysiano 29. Olymp. 201. annus 4. currebat. Post captam etiam *Alexandriam* scribit Africanus Olympiadem 188. cum anno Juliano 16. incepisse; quum tamen Olymp. 188. annus 4. cum Juliano anno 18. exierit. Africani praeterea mentem haud assequutus videtur Syncellus; ille quippe post *Actiacam* pugnam Aegypto domita, Romanisque legibus, institutisque subjugata, Vagi tum primum apud Aegyptios Anni legem abrogatam fuisse, Julianique fixi, ratique formam suffectam scribit. Verum Juliani anni vitiosa dispositione, ex adjectis quibusdam diebus intercalaribus superfluis, *Aegyptium* a mendoso Juliano exorbitare cogente, deprehensa, eodem Juliano postmodum castigato, Aegyptioque *Thoth* ad diem 29. Augusti, quo, subacta Aegypto, primum *Thoth* steterat, revocato, atque demum recepto ad accuratioris Astronomiae regulas intercalari die, fixam deinceps, immotamque primum Mensem Aegyptium *Thoth* in die 29. Augusti sedem obtinuisse: quam porro utriusque Anni *Agyptiaci*, & *Juliani* reparationem institutam, perfectamque Olymp. 189. anno 1. Τὴν Ὀλυμπίας ΡΠΘ' perhibet; quo reapse nova Aegyptiorum Epocha consignanda mox ostendetur. Parum inde Panodorus abscedit, qui Aera *Antiochena* ex annis 5493. a Mundi exordio ad Christi natalem constante, & cum Juliano anno 45. conjuncta, usus, uti operose infra, quum hacce de

de Aera sermo fiet, ostensum dabimus, atque subactam *Alexandriam* supponens anno M. 5466, juxta ipsius computum, Periodi Jul. 4686, *Augusti* 16, sexque postmodum annis ab Urbe *Alexandria* Caesaris armis devicta intercalarem diem inductum fuisse putans, *Aegyptium* prius Vagum ad *Juliani* fixi redactum formam; indeque nova cum Epocha Periodum novam *Canicularem* annorum 1460. apud Aegyptios incepisse arbitratus; atque ideo anno M. 5472, qui revera ipsius juxta computum fuit U. C. annus 733, ante Christum 21, Julianus 25, *Augusti* 24, factum id *Augusti* anno 22. referens, annis 2. a vero aberrat computo; computato tamen anno 16. *Augusti*, quo *Alexandria* capta est, anno 1. a vero annorum *Augusti* calculo abhorret. Atqui Syncellus Aera usus *Alexandrina* annis 5500. constante, septem *Antiochena* minore, apud Aegyptios novo cum Anno fixo instauratam fuisse Periodum *Canicularem* anno Mundi juxta ipsius calculum 5472, qui fuit ante Christi natalem 29, U. C. 725, adfirmans, falso eum fuisse *Augusti* annum 15. subjungit, utpote qui fuit *Augusti* ab obitu *Julii* 16, Julianus 17, Olymp. 187. annus 4. Qua tamen in re Panodorus utique in annis *Augusti*, aeque atque Syncellus, anno 1. fallitur; at in nova Epocha Anni fixi *Actiaci* apud Aegyptios recepti anno U. C. 729, ante Christum 25, Juliano 21, *Augusti* 20, cui adfigenda mox ostendetur, Panodorus biennio peccavit; eamdem cum anno *Augusti* 22. copulando Epocham; quin imo anno 1. dumtaxat, utpote qui *Augusti* annos anticipasse anno 1. videtur; Syncellus autem quinquennio errasse deprehenditur, novae illius Epochae cardinem, sive novae Periodi *Canicularis* exordium in *Augusti* annum 15. conferens. Conferendus etiam Goarius in Annot. ad Syncellum p. 75. sq., & 77. edit. Paris., Ven. p. 68. sq., & 70.

XXVI. Annos itaque *Actiacos* simplices, ut verbo dicta complectar, dicendaque persequar deinde, non ab anno Victoriae ad *Actium* U. C. 723, ante Christi natalem 31, sed ab anno Captae *Alexandriae* U. C. 724, ante Christum 30. inchoandos; *Augustaeos* vero Romanos a Kalendis Januariis anni U. C. 727., Christi ante natalem 27. ineundos ex Censorino loc.

P 2 cit.

cit. deducunt Petavius Doct. Temp. lib. 10. cap. 71. sqq., & Ration. Temp. edit. Ven. T.II. Par. II. lib. 3. cap. 15. p. 206. sqq., Dodvvellus in Adpend. ad Differt. Cyprian. §. 8. p. 142. sq., Corsinius in Fast. Attic. T.II. differt. 14. §. 4. p. 394. sqq., & T.IV. ad Olymp. 187. p. 128. sqq. *Actiacum* tamen Annum fixum ad *Juliani* formam redactum ab Aegyptiis, novamque inde *Aegyptiacam* Epocham, non nisi ab anno U. C. 729, ante Christi natalem 25. apud Aegyptios fuisse inchoatum, multis ostendere pergunt contra Scaligerum de Emend. Temp. lib. 4. p. 236. sq. in annum receptae ab *Augusto Alexandriae*, idest U. C. 724, ante Christum 30, conferendum censentem Petavius, Dodvvellus, Corsinius loc. cit., Usserius in Annal. Vet. Test. p. 552, La Croze in Not. ad Longuerue de Epochis Vet. p. 187., & De Vignolius de Annis Aegypt. §. 31. Miscell. Berolin. T.IV. p. 19. sq. Nempe nonnisi eo anno U. C. 729, ante Christum 25. effraenis antea, & absque jugo incedens Aegyptiorum Annus fixum, immotumque diem, in quo desineret, inciperetque denuo, in Juliano demum assequutus est die 29. Augusti: (qua pariter Augusti die 29. *Alexandria* potitum *Augustum* fuisse perperam, falsoque persuasum ipsis fuit.) Quam in Augusti diem 29. nonnisi eo anno Neomenia *Thoth* Anni tam Vagi, quam fixi Aegyptiaci incidit. Arguunt id autem ex Theone in Canone Regum Astron., ubi ab initio *Nabonassari* usque ad obitum *Alexandri* M., *Thoth* idest, quo ille obiit, annos 424. Aegyptios vagos computat; inde vero, ab Aera *Philippica* idest, seu ab *Alexandri* obitu usque ad *Ἀποκατάστασιν*, seu Epocham Anni fixi novam, idest a capta *Alexandria* annum 5, annos 299. enumerat; quot etiam Ptolemaeo supputati sunt: queis adjuncti 424. efficiunt annos 723., qui cum anno Juliano 21, *Augusti* 20, U. C. 729, ante Christum 25. concurrit. Subjungit in Fragmento apud Dodvvellum in Adpend. ad Differt. Cyprian. edit. Felli p. 170. Theon *Γέγονε δὲ ἡ εἰρημένη διὰ ͵αυξ ἐτῶν ἀποκατάστασις ἀπό τινος ἀρχῆς χρόνου, τῷ πέμπτῳ ἔτει Αὐγούστου βασιλείας Contigit illa annorum* 1460. *redintegratio a certo quodam temporis initio* (arcessenda) *Imperii Augusti anno quinto*; idest quinquennio post Imperii *Augusti* exordium, quod ab *Alexandri* M. obitu anno

-no 294. cepiſſe cum Ptolemaeo Theon ſtatuit, ab *Alexandria* capta ideſt anno 5. Confirmant id Albatenius Oper. Aſtron. cap. 32, ubi Aeram hancce, quam *Al-Kept*, Coptorum ideſt adpellat, quave Syderum motus ex Theonis tabulis ſupputari adfirmat, Aerae *Dilkarnain*, hoc eſt *Seleucidarum* anno 287, ut ex Cod. MSS. legendum, non ut in Editis 387, rite monet Uſſerius, cepiſſe ſcribit; atque Theodorus Metochita in Epitome Aſtronomica, ubi ab Aera *Philippica*, ſive ab *Alexandri M.* obitu ad hanc uſque *Aegyptiacam* Ἀποκαταςάσιν, ſeu Epocham recte anni 299. annotantur: annus jam vero tam *Seleucidarum* 287, quam Aerae *Philippicae* 299. cum *Augusti* anno 5. ab *Alexandria* capta, Imperii *Auguſtaei* 20, Juliano 21, U. C. 729, ante Chriſti natalem 25. approbe concurrit. Adhaec locuples auctor eſt Syncellus in Chronog. p. 206. ſq. edit. Pariſ., Ven. p. 165. ſq. tam a Ptolemaeo in Opere de Aſtron., quam a Theone in Can. Reg. Aſtron. geminam temporis Epocham fuiſſe deductam, alteram ab anno 1. *Nabonaſſari* uſque ad *Alexandri M.* obitum ex annis 424. conflatam; alteram ab obitu *Alexandri M.* uſque ad *Auguſtum* Caeſarem annis 299. abſolutam: a qua deinceps uſque ad *Diocletianum* altera; alteraque uſque ad *Mundi* annum 6352, quo Syncellus ipſe ſcribebat, juxta ipſius computum, deduci queat. Cum anno 1. vero *Nabonaſſari* concurriſſe annum *Mundi* 4747, qui fuit ante Chriſti natalem 753, & cum anno emortuali *Alexandri*, ſive *Nabonaſſari* 424. annum *Mundi* 5170, qui fuit ante Chriſtum 330, concurriſſe ſubjungit; adeo videlicet, ut ab anno 1. *Nabonaſſari* ad *Alexandri* obitum anni unius *Aegyptiaci*, ſive Cycli, (quo nomine Annum *Lunarem* Aegyptiacum intelligit, cujus Ἀποκατάςασιν nonniſi cum annorum 25. Vagorum ſpatio redire certum eſt,) Cycli, inquam, *Aegyptiaci* reparatio ex Aſtronomicis computis a Ptolemaeo, verius Theone, expoſita fuerit; indeque altera ex computis Aſtronomicis uſque ad *Auguſtum*, tertia rurſus uſque ad *Diocletianum*, & quarta uſque ad *Mundi* annum 6352, Aerae Chriſtianae 852. ejuſdem Cycli *Aegyptiaci* reparatio, indeque nova *Aegyptiaca* inſtitui Epocha poſſit; queis de novis Epochis infra ſermo recurret.

XXVII. Ae-

XXVII. Accedit & illud, quod jam pridem obtinuerat mos per Romani Orbis praecipuas Urbes, quo perinde delectatos quammaxime Aegyptios paullo post fiet planum, ut *Conditoris*, aut *Imperantis* memoria insigni aliqua coleretur, atque commemoraretur Epocha: unde a Romanis *Romulus*; *Pompejus* a Judaeis; ab Edessenis *Hadrianus*; *Julius* Caesar ab Antiochenis &c., Aera singulari memorati, honoratique leguntur. Veri fit itaque valdequam simile, ut ab *Alexandro M.*, Urbis *Alexandriae* conditore, novam Aegyptii Epocham instituendam duxerint; a *Ptolemaeo* deinde *Lago* primo Aegypti post *Alexandrum* Rege alteram; alteramque a *Ptolemaeo Philadelpho*, qua usus plane Dionysius Astronomus, ducto cardine ab anno *Nabonassari* 463, idest ab obitu *Alexandri* 39, legitur apud Ptolemaeum; ideoque ab *Augusto* rerum in Aegypto potito altera ab Aegyptiis Epocha fuerit instituta; non secus atque perinde alias a *Domitiano*, a *Trajano*, ab *Hadriano*, ab *Antonino Pio*, a *Diocletiano* auspicatas fuisse palam infra faciemus. Ita tamen instituere Regum in honorem Aeram solebant, ut ab Astronomicis haud exorbitarent Observationibus, sed cum novi *Thoth* initio rite congruerent; ideo quod Observationes ipsae Astronomicae Aeris hisce novis obsignari ab Astronomis utique consuescerent, veluti scite observatum est Dodvvello loc. cit., Mullero in Tabulis Frisicis p. 88, ac Longuerue de Variis Epochis Vet. cap. 2. p. 49; ideoque haud mirari subit, si Regum Anni a Ptolemaeo, ac Theone notati cum Regnorum annis Historicis aliquando haud recte congruant; utpote qui non ab Historico, sed ab Astronomico regnandi cardine repeti Anni utrique consueverint. Itaque quum non ante quintum ab occupata ab *Augusto Alexandria* annum, U. C. 729, ante Christi natalem 25, uterque *Thoth* tam Vagus, quam Fixus in unum, eumdemque Augusti 29. Juliani anni diem inciderit, ab eadem proinde die, eodemque dumtaxat anno cum Annus deinceps *Fixus* ducendus, tum nova in *Augusti* honorem Aera deducenda Aegyptiis visa est; adeoque ut perinde anno quarto sequenti, idest a capta *Alexandria* anno 9, U. C. 733, ante Christum 21, ad *Juliani* formam intercalatio prima Aegyptiis adhiberi ceperit; a qua per-

perinde *Canicularis* Periodus inceperit, emensoque *Bissextorum* 365. Cyclo in orbem regressura. Ita nempe *Intercalaris* Annus, qui Seculum XIII. *Caniculare* claudebat, aperiebatque Seculum XIV, pro nova apud ipsos Epocha deligendus Aegyptiis visus est, ideoque consulto eisdem quadriennio Reformatio haec *Augustaea* retardanda fuit. Namque Periodi Jul. anno 3389, quo Cyclus *Major* Canicularis incepit, adjuncti *Solares* anni 1300. efficiunt in Periodo Jul. annos 4689, qui fuit Christi ante natalem 25, U.C. 729, Julianus 21, *Augustaeus* 20, quartusque ab *Alexandria* capta, Aegyptoque subacta. Aegyptiis attamen reliquis, Astronomis praesertim, annos *Vagos*, Aeramque *Nabonassari* multo adhuc tempore adhiberi non destitisse paullo superius adnotatum est, plurimisque observatum dedere Viri doctiss. Dodvvellus, De Vignolius, Longuerue &c. loc. cit. Atque *Thoth* utique novae apud Alexandrinos, hosque pone sequutos Aegyptios alios, fuisse cardinem Epochae inde liquido patet, quod ab eo perpetuo tam Ptolemaeo Almag. lib. 3. cap. 8, & lib. 4. cap. 5. sq., quam Theoni in Canon. Reg. Astron., & in Fragm. anni Aegyptiaci numerati sint, a praecedente nempe *Thoth*, Astronomicae aequationis gratia, veluti factum in Epocha 1.a *Nabonassari*, in 2.a *Alexandri M.*, in 3.a *Ptolemaei Lagi*, in 4.a *Augusti*, & in 5.a *Diocletiani*; qui etsi die 17. Septembris anno Christi D. 284. Imperator salutatus fuerit, ut habet Auctor Chron. Alex. p. 274. edit. Paris., Ven. p. 219, eo tamen anno *Thoth* 314. ab *Augusto Fixus* incidit in diem 29. Augusti, *Vagus* a Theone notatus in diem 13. Junii: unde patet a *Thoth* praecedenti *Diocletiani* hanc Epocham 5. Aegyptiis fuisse computatam; veluti rite Dodvvello in cit. Adpend. ad Differt. Cyprian. §. 35. p. 152. sq. observatum est. Atque Ptolemaeus quidem in libro de Apparentiis, & significationibus Syderum &c. apud Fabricium Bibl. Graecae T. III. lib. 4. cap. 14. p. 420. sqq., cujus etiam exemplar in Bibl. Regia Taurin. Cod. MS. 234. extat fol. 91, Pasino teste Cod. MSS. Taur. Athen. T. I. p. 318, Parapegma suum ut perpetuum foret, in Anno fixo *Juliano*, qui singulis quaternis annis diem unum intercalarem inserit, conficiendum se curasse adfirmat; (ita namque Sy-

Syderum ortus, & occasus in eumdem perpetuo diem erat rediturus, cui semel in Parapegmate adscriptus fuerat, qui alioquin in retrogradi Aegyptii veteris Anni forma post annos quosque quatuor diem unum antevertisset;) primordio, receptum juxta morem, a *Thoth* capto: primam vero *Thoth* diem, a qua Parapegma exorditur, in diem 29. Augusti incidisse confirmat. Ptolemaeum pone sequutus Theon in Fragm. apud Dodvvellum p. 169. sq., in suo Laterculo Canon. Astron. per Cyclos annorum 25, ipsi dictos *Icosipentaeterides*, quo nempe spatio annorum 25. anni *Lunaris* vagi Ἀποκατάςασιν fieri docuit, ab anno 39. post *Alexandri M.* obitum secundam ab se Periodum initam postquam dixit, quae Periodus siquidem *Solari* Periodo *Caniculari* 1461. respondere nequivit, proinde anno intercalari praetermisso, proximam Ἐικοσιπενταετηρίδα ad annum 1476. finiri oportebat, ac proinde annos Aegyptiacos a *Philippi* initio, sive post obitum *Alexandri* anno 39. post quam in Laterculo Periodorum 5. annorum 25. se digessisse adfirmavit, Periodi *Canicularis* annorum 1460. restaurationem ab *Augusti* anno 5, idest a capta *Alexandria*, tam Aegyptios novam inchoasse Aeram, quam ab se novum annos computandi exordium captum usque ad *Diocletianum* adserit. Sed hac etiam de nova *Aegyptiaca* Epocha multa tam contra Maffejum novam hancce sub *Augusto*, fixamque Anni formam, nova cum Epocha, apud Aegyptios inductam inficias euntem, quam contra Averanium Theonis sub aetate retrogradi Anni formam apud Alexandrinos tum adhuc obtinuisse adfirmantem disputavimus super. Volum. II. de Mens., & Annis Aegypt. &c. Artic. I. §. XLVIII. sqq. p. 321. sqq., ubi & documenta in hancce rem alia recolenda dimittimus.

XXVIII. Pleraeque aliae post *Augustaeam* hancce, pro ingenio *Augustis* placendi, adblandiendi, gratiamque promerendi, aucupandique, proque nova occasione nata, Epochae in Nummis praesertim obsignandae, Aegyptiis, ac quammaxime Alexandrinis, institutae passim leguntur, queis de nunc agendo, primo se offerunt Epochis obsignati *Claudii*, & *Neronis* in Aegypto cusi Nummi apud Patinum p. 118, Harduinum Num. Popul. illust. p. 146, & Hist. Aug. p. 723, & apud Cuperum

perum epist. 16. ad Scheuchzerum Amoenit. Schelhornii T.II. p.857. cum Numericis notis IΓ. anno 13. *Claudii*, & L. A, L.I. anno 1, & 10. *Neronis*; *Othonis*, & *Vitellii* apud Vaillantium, & Harduinum p.726. Alexandriae, & Canopi cum nota L. A. anno 1. scalpti; *Vespasiani* apud Harduinum p.732. cum litteris L.B. anno 2, Aegypti *Genio*, ac Epigraphe Αλεξανδρεια; *Titi* apud Tristanum p.307. Nilopoli, sive Nilo Aegypti Urbe a fluvio cognomine denominata, percussi cum nota L.Γ. anno 3; *Domitiani* cum Aegypti Capite, & proboscide, atque litteris Ετȣς Τριτȣ anno 3. apud Tristanum, & Harduinum Hist. Aug. p. 739; *Nervae*, postica in parte *Aquilae*, aut *Serapidis* effigie impressa, annum L. A, aut L.B. 1, aut 2. referentes apud Haymium Thes. Britan. T. II. edit. Vindob. 1765. p.263. sq., ibique Khellium in Not. *Trajani* cum *Nili* jacentis, atque *Hippotami*, aut *Serapidis* figura, Notisque Numeralibus L. H. anni 8, aut L. IB. anni 12. apud Harduinum p.749. sq.; quinque, aut sex alii *Trajani*, cum *Germanici*, & *Dacici* titulo, *Elephantorum* Quadriga, ac nota L. IA. anni 11, aut quadriga *Equorum*, atque nota L. IΓ. anni 13; *Aphroditopoli*, Urbe idest *Veneri* ad confines Arabiae dicata, Strabone teste lib.17. p.809, alias p.552; cum *Templi* effigie, eademque nota L. IΓ. anni 13, qui Aerae Christianae fuit 109; eadem nota L. IΓ. anni 13, & *Anubis* imagine *Naucrate* scalptus; alterque cum nota L. IΔ. anni 14. apud Haymium Thes. Brit. T.II. p. 265. sq., ac Belleyum ex Cimelio D.Pellerinii Observat. in Num. Aegypti Monum. Acad. Inscript. &c. T.XXVIII. p.526. sqq. Ejusdem *Trajani* alter Κοπτιτ. *Copti* hoc est scalptus cum litteris L.IΓ. anno 13. apud Seguinum p.121; alter geminus cum *Iside*, ac Numeris L. IϿ, & L. K. anno 19, & 20. apud Harduinum p. 28, & 753; atque tertius cum *Osiridis* capite Arsinoe L. K. anno 20. cusus. Ita nempe Imperatorum, quorum sub jugo degebant, annis tam Aegyptii Nummos obsignare, quam Astronomi Alexandrini suas designare observationes perrexerunt; atque ita *Domitiani* anno 12. Agrippa, *Trajani* anno 1. Menelaus Geometra, *Hadriani* primis annis Theon Senior, *Hadriani* postremis, ac primis *Antonini Pii* Ptolemaeus. Qua vero ra-

 tione

tione in Ptolemaei Almag., Theonisque Can. Reg. Astronom. Imperatorum Anni computari consueverint, viden, ut recte praestitum id, abundeque fuerit a Dodvvello in Adpend. ad Differt. Cyprian. §. 38. sqq. edit. Felli p. 153. sqq. Ut primam vero ab *Augusto* ceptam vidimus, ita postea insignem alteram ab adventu *Hadriani* apud Aegyptios Epocham fuisse institutam liquido docent Nummi in Aegypto scalpti. Enim vero etsi Nummi *Hadriani* in Aegypto cusi Numericis cum Notis vel Coss. III. anni 3, & Inscriptione *Adventui Aug. Alexandriae* apud Mediobarbum p. 175, quo anno *Hadrianum* primam Alexandriam profectionem adornasse patet, qua de Pagius ad an. 119. n. 6. T. II. edit. Lucen. Annal. p. 103; a quo secundum anno 6. in Aegyptum iter susceptum, atque conditam *Antinoum* in Thebaide refert Auctor Chronici Alex. p. 254. edit. Paris., Ven. p. 203, (de *Hadriani* vero implicatissimis annis conferendus, qui abunde contra Scaligerum de Emend. Temp. lib. 5. p. 489, & in Animad. Euseb. p. 191. disputat Petavius Animad. in S. Epiphanium de Pond., & Mens. T. II. Oper. p. 389. sqq.); vel cum litteris L. E. anni 5; vel L. Z. anni 7. in Thes. Mauroceno p. 118, & Hist. Aug. Hard. p. 758. extent; extent etiam etsi Nummi alii eidem *Hadriano* inscripti, scalptique cum Notis vel L. I. anno 10; vel L. IA. anno 11. multi Athribi in Aegypto inferiori Urbe, qua de Herodotus lib. 2. cap. 166, Strabo lib. 17. p. 802, Ptolemaeus lib. 7. cap. 5, ac Plinius lib. 5. cap. 9; Antaeopoli, de *Antaei* ibi ab *Hercule* victi nomine dicta, de qua Diodorus lib. 1. cap. 17, Ptolemaeus lib. 4. cap. 5, ac Plinius lib. 5. cap. 9, male a Pocockio Itin. Aegypt. cum Osiut Urbe confusa, cum *Serapidis* effigie; Bubasti; Diospoli cum Osiridis imagine; Heroopoli, Letopoli, Hermonte, Xois, Sebecnyte, Pharbaethi, qua de Herodotus lib. 2. cap. 166, Strabo lib. 17. p. 552, Plinius lib. 5. cap. 9, Ptolemaeus lib. 4. cap. 5, Stephanus de Urb. edit. Holst. p. 341; Onuphi; in Libya item cum *Arietis* effigie, & in Arabia eadem cum Nota L. IA. anno 11. apud Belleyum e Cimelio Reg. Gall., ac D. Pellerinii Monum. Acad. Inscrip. T. XXVIII. p. 526. sqq., Haymium Thes. Britan. T. II. p. 273. sqq., atque Cuperum in epist. 16. ad Scheuchzerum Amoen.

Sche-

Schelhornii T.II. p.851. sq.; vel L. IB. anno 12, ac *Nili* effigie; vel L. IΓ. anno 13. Arsinois, & Sais apud Harduinum p.28, 146, & 759, quo anno Aegyptum is quarto invisit; vel L. IΔ. anno 14. Tanis Oppidi ab *Aelio Hadriano* cognominati, restauratique, olim Heliopolis, apud Spanhemium p.263; vel L. IE. anno 15, quo in Aegyptum pedem quinto intulit, Aegyptique *Genio* Alexandriae apud Jobertum, & Harduinum p.12; vel L. Iς. anno 16, cum *Nili* decumbentis effigie, aut repentis *Crocodili* apud Harduinum p.760; vel cum litteris L. IH. anno 18, & *Canopi*, atque *Isidis* figuris; vel *Aedificii*, cum L. *Ennea* K. Δ. anno 19. apud Haymium Thes. Britan. T.I. p.249. sq., & T. II. p. 272; vel *Nili* jacentis, ac nota L. K. anno 20: certatim attamen tertium *Hadriani* in Asiam, Aegyptum, & Arabiam ingressum; qui ipsius in annum 11. incurrit, laetitiae significandae gratia, obque secundum etiam ab ipso Imperii decennium initum, procusis gratulati Nummis Damasceni, & Arabes per annos tres, Gazaei per annos quinque, Amiseni per annos septem, atque Aegyptiacae praesertim Urbes tam in *Inferiori*, quam in *Superiori* Aegypto contendisse leguntur, Nummis in *Hadriani* videlicet honorem cum Nota L. IA. anni 11. inscriptis. Cujuscemodi sane Nummi Urbium Canopi, Hermopolis, Metelitis, Saidis, Cabasae, Cynopolis, Busiridis, Tanis, Heracleopolis, Pelusii, Menelais, Sebennytbis, Memphis, Arsinois, Mendesii, Oxyrinchis, Lycopolis, Hypselis, Thinitis, Tentyris, Apollopolis, Panopolis, Copti, Diospolis, olim Thebis, Pinamis, Prosopis &c. extant, & apud Mediobarbum p.202.sqq., Harduinum Num.Popul. illust., Haymium Thes. Britan. T.I. p.249. sqq., & Cellarium Geogr. Antiq. T.II. ad laud. Urbes. Unum ex hisce vero *Hadriani* Nummis Latinum perperam faciens, ac pro litteris L. IA. anno 11, legendum II. AV. *Augusti* annum 11. opinatus Ecchardus in Epist. de Nummis explicatu difficilioribus Lips. 1722, viden, ut rite a Paciaudo vapulet in Animad. Philolog. ad Nummos Consul. *M. Antonii* Sect. 8. p.64.

XXIX. Expedienda, prout operae pretium heic fert, quae hinc exurgit, difficultas nunc remanet, quamve nobis

haud levem ingerit *Hadriani* Nummus alter haud unus cum *Nili* effigie, notaque Numerali L. KB. anni 22. scalptus apud Patinum p.197, & Harduinum p. 765. Atque *Hadrianum* quidem Antiochiae die 11. Augusti Aerae Christianae anno 117. Imperium fuisse auspicatum, fato vero concessisse suo Julii die 10. anno Christi 138. invictissime probatum dedit Pagius in dissert. Hypat. Par.I. cap. 3. sq. Appar. T.I. edit. Luc. p. 10. sqq., & in Crit. ad an. 138. n.3. T. II. Annal. p. 149. sq., adeo ut Pagio victas dare manus coactus fuerit Norisius in epist. Consulari ad Pagium eodem T.I. Appar. p.173, Oper. T.II. edit. Veron. p. 945. sq., atque de Epochis Syromaced. dissert. 2. cap. 1. p. 75. sq., ubi ex Gazae Mediceae Nummis id ipsum confirmat, *Hadrianum* idest Imperium anno U. C. 870, Christi 117, die 11. Augusti fuisse auspicatum, finemque vivendi fecisse Julii die 10. anno U. C. 891, Christi 138; quod ipsum ex Musei Theupoli Nummis probatum affatim dedit Johannes Massonus in Epist. ad Philippum a Turre Adr. Episcop., quo patet *Hadriano* Imperii annos 20, ac Menses 11. dumtaxat, quot ipsi plane Dio apud Xiphilinum lib.69. p.797. consignat, fore tribuendos. Nodum non tam solvere, quam secare Dodvvellus in Adpend. ad Differt. Cyprian. §.48. sq. p.157. sq. conatus est, duplex Imperii *Hadrianaei* exordium distinguendo, alterum, quo die 9. Augusti U. C. 869, Christi 116. a *Trajano* adoptatum illum arbitratur; alterum, quo is Antiochiae, *Trajani* morte accepta, Imperium adeptus est ejusdem Augusti die 11, anno U. C. 870, Christi 117; atque ad priorem illam, non ad posteriorem istam *Hadrianaei* Imperii Epocham Nummos illos anni 22. obsignatos nota; non secus atque tergeminas apud Gruterum p.252, & 256. Inscriptiones, in quibus *Hadriani* Tribunitia *Potestas* XXII. legitur, referri oportere concludit. Verum fictitium hoc ab adoptione *Hadriani* Imperii exordium Pagius ad an. 117. n.4. sq. Annal. T. II. p. 81. sq., Tillemontius in Not. 29. ad *Trajanum*, & Not. 19. ad *Hadrianum* edit. Brux. T.II. p. 337. sqq., & 401. sqq., ac Philippus a Turre in Differt. Apolog. ad Nummum *Anniae Faustinae* cap.3. p.34. sqq. evictum plane inde dedere, quod *Hadriani* adoptio, si vere tamen facta est, nonnisi paul-

lo

lo ante *Trajani* obitum fuisse factam, liquido patet ex Dione apud Xiphilinum lib.69. sub init., ac Spartiano in vita Trajani cap.4. Quocirca Inscriptiones *Hadriani* Potestate *Tribunitia* XXII. ante obsignatas fuisse, quam *Hadriani* obitus renunciatus esset, invicte demonstrarunt Pagius in Dissert. Hypat. cap.4.Par.I. n.6.sqq. p.13.sq., atque Norisius cit. Epist. Consul. p. 946, qui etiam in Dissert. de Num. Licinii cap. 4. eodem Oper. T.II. p.1153. sq. similem apud Panvinium, & Gruterum Inscriptionem in Lapide prius scalptam ostendit, quam de Magistratus delatione certo ex nuntio constaret. Nummos quod attinet *Hadriani* anno 22. in Aegypto notatos, facili explicatos negotio dedere Pagius ad annum 69 n. 3, Vignolius in dissert. 2. Apolog. de anno 1. Imp. Severi cap.11, & Philippus a Turre cit. Dissert. p. 35., ita nempe quod Aegyptiis, pro more Imperatorum annos a Neomenia *Thoth* numerandi, *Hadriani* annus primus a die 11. Augusti anni Christi 117. putatus fuerit usque ad Neomeniam *Thoth* diei 29. ejusdem Augusti, ejusdemque anni, qua dein ab Augusti die 29. *Hadriani* annus secundus computari ceperit; ideoque annus 22. ab Augusti die 29. anni Christi 137. eisdem fuerit inchoatus. Conjecturam quam suam confirmat Vir doctiss. computo annorum *Galbae*, *M. Aurelii*, a *L. Veri*, *Otaciliae*, *Elagabali*, *Faustinae*, & *Aquiliae*, queis in Nummis in Aegypto cusis plures, quam ex Historicis confici queant, anni tributi leguntur, quos optime eadem plane ratione, quod Aegyptiis a *Thoth* putari anni solerent, Aegyptiacae videlicet Epochae ope, componit. Jungendum & illud, quod id plerumque in caussa est, cur in quorumdam Imperatorum Nummis implicatissimi Chronologiae nodi vice plus simplici occurrant, quod primus, aut postremus ipsorum *Tribunitiae* Potestatis annus, aut Mensis, aut dies in obscuro lateat. Ita & olim spissis obsita tenebris *Severi*, & *Caracallae* Tribunitiae *Potestatis* exordia ingentibus Viris doctiss. locum disceptationibus fecerant; quae bono postmodum omine veteris Monumenti ope compositae fuere. Romae namque anno 1735. vetus Ara Votiva ad Laterani Aedes eruta fuit, erudito deinde Commentario illustrata a Viro doctiss. Rodulphino Venuti, quam etiam exhibet Muratorius in Thes.

Nov.

Nov. Inscript. p. 347, quae Ara sane dedicata dicitur *Kalend. April. Severo*, & *Victorino Coss.*, anno videlicet U. C. 200. Sed & in eadem *Severus* memoratur cum *Tribun. Potest.* VIII. & *Antoninus Caracalla* cum *Trib. Potest.* III: quo patet Tribunitiam *Potestatem* I. tam a *Severo* anno U. C. 193. ante Kalendas Apriles, quam a *Caracalla* ante Kalendas ejusdem Mensis anno 198. initam fuisse; qua de utraque alioqui diu antea Panvinio, Baronio, Pagio, & Norisio multumque disputatum fuerat. Cujus praeterea Inscriptionis ope ipsius *Severi* tam Nummi, quam Inscriptiones aliae cum Tribunitia *Potestate* XIX. optime explicantur. In lineam, unde paullisper digressus sum, ut modo regrediar; gradumque ad Aegyptios reflectam, praestituti jam operis ratio deposcit.

XXX. Itaque haud dispari perinde honore prosequuti *Antoninum Pium* Aegyptii, Nummos ejus etiam nomine inscribere, nova veluti Aera, quae sui erga ipsum animi optime adfecti testis esset, argumentumque, obsignare ultrocitroque curarunt. *Antonini Pii* itaque Nummi ita testantur percussi Hermopolis cum Notis L. Δ, ac L. Τεταρτ. anni 4, Alexandriae cum litteris L. Ζ. anni 7. apud Harduinum p. 55, & 768. sq.; Memphis, Mendesii, Berennicis, ac Busiridis cum litteris Numericis L. Η. anni 8. apud eumdem p. 105, & 770, apud Belleyum loco supra cit., & apud Cuperum epist. 16. ad Scheuchzerum Amoen. Schelhornii T. II. p. 852; Tenthyris cum L. ΙΑ. anno 11; Alexandriae cum L. ΙΒ. anno 12; Sethrois cum L. ΙΕ. anno 15. apud Harduinum p. 151, & 167; Alexandriae, Leontopolis, Mareotis, Oxyrinchis, & Memphis cum notis L. ΙΗ. anno 18. apud Vaillantium, Cellarium, & Harduinum p. 94, 100, 128, & 774. Ubi observat Dodvvellus in Adpend. ad dissert. Cyprian. §. 17. sqq. p. 145. sqq. *Antonini Pii* annum primum ab anno Christi D. 138, *Hadriani* emortuali, Ptolemaeo, ac Theoni putatum fuisse, rationes ob Astronomicas, quod eo videlicet anno in Juliano fixo in eamdem diem *Thoth* Aegyptiacus tam retrogradus Aegyptiis adhuc usurpatus plerisque, quam fixus Alexandrinis pridem adhiberi sub *Augusto*, idest ab anno U. C. 729, ante Christi natalem 25. inceptus, uterque incidisset; annoque sequenti Aerae

Aerae Christianae 140. intercalaris *Epagomenis 6.* Neomenia *Thoth* mutatura Juliano in anno sedem esset. Hisce si animo Petavius attendisset, Ptolemaeo nempe annos ad rationes Astronomicas exigi consuevisse, non adeo laborasset Animad. in S. Epiph. de Mens., & Pond. T.II. Oper. p.391. sq., ut rationem demum assequeretur, qua *Hadriani* annus primus, quem ipse recte alioqui cum U.C. anno 870, Christianae Aerae 117, componit, Ptolemaeo anno uno anteversus fuerit, inque annum U. C. 869, Christianae Aerae 116, conlatus. Subesse & alia insuper Aegyptiis aliis politica ratio potuit: quippe *Antoninus Pius* anno 8. *Quinquennalia* egisse refertur Capitolino in *L. Vero* cap.3; anno expleto 15. *Quindecennalia* celebrasse ex Nummis Musaei Theupoli p.494. sq. ostenditur Norisio de Votis Decennal. cap.3, Josepho Mãe Stampae in Fastis Coss. ad an. Christi 153, ac Dominico Georgio in Not. Chron. ad Pagium Annal. Eccl. T.II. edit. Lucen. p.198; denique anno 18. labente, ineunteque 19. Imperii *Proconsularis Vicennalia* habuisse Pagio visus est, ac ex Nummo apud Mediobarbum p.205. suaderi potest: quem tamen ad annum *Antonini Pii* 22, Christi 159. revocandum, eumque in annum *Vicennalia Antonini Pii* incidisse contendit Harduinus Hist. Aug. p.775, atque cum Josepho Maria Stampa in Fastis Domin. Georgius in Not. ad Pagium loc. cit. p.201, & 206. sq. Ad haec *Antoninus Pius* anno 2, U. C. 892, Christi 139. Cos. II. injit, quem ipsi gratulatae ideo leguntur inscriptis Nummis cum Nota *Cos.II.* Asia, Africa, Alexandria, Britannia, Cappadocia, Hispania, Mauritania, Parthia, Phoenicia, Scythia, Sicilia, Syria &c., cum litteris Numericis L. B. anni 2. in Nummis expressis Caesaraea, Aegyptus &c.; *Cos. IV.* iterum anno 8. initus Nummis insignitus cum Notis *Cos. IIII*, aut L. H. anni 8, U.C. 900, Christi 147, in Syriae Urbibus, Aegypti &c. legitur apud Mediobarbum, & Harduinum p.767. sq.; quo anno plurima in Aegypti Urbes ab *Antonino Pio* beneficia fuisse conlata testes accedunt locupletes Orosius lib.7, cap.15, & Auctor Chron. Alex. p. 256. edit. Paris., Ven. p. 205.

XXXI. Imperatorum perinde, quoad usque ipsorum pote-

potestati obnoxii permanserunt, annos in Nummis notare perrexerunt Aegyptii; uti *M. Aurelii* in Thes. Mauroceno p.124. sq.; ut *Commodi* apud Patinum p.251, Mediobarbum p.227, & Haymium Thesau. Britan. T.II. p.300. sqq., ibique Kellium in Not. cum Nota numerali L. K. Θ. anni 29, L. ΛB. anni 32, & L. ΛΓ. anni 33: (quos sane annos haud *Commodi* aut Imperio, quod annis 12, Mensibus 9, diebus 14. constitit, aut aetatis, utqui annos 31, Menses 10. fere haud excessit, fore adtribuendos, bene vero *M. Aurelio* patri, a quo Aerae Christianae anno 176, Imperii anno 16. *Caesar* renunciatus *Commodus* fuit, observat Kellius ibid. in Not., non secus atque *M. Aurelio*, qui *Augustus* vixit annos 19, ac Menses 10. dumtaxat, anni Λ. 30, & ΛB. 32. Nummis ipsius obsignati *Antonino Pio*, qui ipsum adoptaverat, annique KΔ. 24, qui leguntur in Nummis *Antonini Pii*, cujus Imperium annis 22, Mensibus 7, diebus 26. definitum fuit, adoptanti *Hadriano* sunt adscribendi.) Atque diu post utique perstitit is in Aegypto mos, Imperatorum aucupandi gratiam ergo, ipsorum nomine, & annis Nummos obsignandi; uti *Flaviae Titianae*, quae *Pertinacis* Uxor fuit, cum anni nota L. A. 1, & L. B. 2. apud Vaillantium Num. Graec. p.77, Morellium in Specim. Rei Num., & Haymium Thes. Britan. T.I. p.264; ut *Alexandri Severi* in Thes. Mauroceno p.133, apud Tristanum T.II. p.399, & Cuperum Epist. 16. ad Scheuchzerum Amoen. Schelhornii T.II. p.855; ut *Maximini* in Thes. Mauroceno p.134; ut *Gordiani* apud Harduinum p.826. sq. &c. Quo loci tamen grave illud negotium facessit, quod *Commodum* annos 12. Menses 9. dies 14. ab obitu patris *M. Aurelii* Imperium tenuisse, sive annos 15. Menses 6, ex quo *Augusti* nomen, vivente patre, adeptus est, Imperatorem audivisse, non amplius ex Dione lib.72. liquido constat, ac viderunt Pagius ad an.192. n.5. Annal. T.II. p.351. sq., ac Tillemontius Hist. Imp. T.II. p.447.; in Nummis in Aegypto cusis nihilominus anni *Commodo* tributi leguntur a 20. ad 32. Nodum hunc solvere Toinardus tentavit in Dissert. de Commodi Imp. aetate Num. inscripta, *Commodi* aetatis annos, quos 31, ac Menses 4. vixisse, idest ab anno Christi 161. ad annum 192, testes accedunt Dio loc. cit., &

Lam-

Lampridius cap.1, in Nummis illis designari arbitratus. Sed enim nullum extat sane alibi exemplum, quo Imperatoris alicujus aetatis annos Nummis consignatos aliquando constet. Harduinus in Chron. Vet. Test. p.537. sq., & Hist. Aug.p.783. sqq. numerales illas Notas ad Familiae *Aureliae*, cujus erat *Commodus*, Epocham referendas existimat, cujus exordium fuerit annus U.C. 914, Christianae Aerae 161, quo *M.Aurelius* Imperium auspicatus est, cujusque Nummus extat Prosopis in Aegypto percussus cum Not. L.A. anni 1; ad quam pariter Epocham referendos putat *Faustinae* Nummos annis 19. ad 22; ac *L.Veri* alios cum notis anni 19. obsignatos. Harduino adstipulatur Jobertus Scient. Num. T.I. §. 17. sq. edit. Ven. p.348. sq., sed utrumque refellit Bimardus de la Bastie in Annot. ad Jobertum T.II. p.330. sq., quod a *L.Vero*, sive a *M.Aurelio*, qui uterque *Augustus* est salutatus anno Christi 161, *Aureliana* etiam Epocha stabilita, ad eam tamen referri nequeant *L.Veri*, qui ante annum 10. e vivis excessit, Nummi anno 19. notati; neque *Faustinae*, quae ante *M.Aurelium* maritum in vivis esse desiit, Nummos annis 20. 21. 22. obsignatos, tribus idest annis, post quam & ipse *M. Aurelius*, qui annos 19. non amplius regnavit, percussos referri posse liquido inde patet. Qui ideo *Faustinae* Nummos ad Epocham sub *Antonino Pio* ejus patre institutam referendos, una atque *L. Veri* Nummos suspicatur. *Commodi* vero Nummos ad novam ab Aegyptiis sub *M. Aurelio*, & *Lucio Vero*, qui una simul, ac primo uterque Consul, & *Augustus* U.C. anno 914, Christi 161. salutatus est, Aeram institutam referendos opinatur: cui opinioni favet utique Spartianus in Aelio Caes. cap.5. insigni ab Epocha ista Fastos Consulares nonnullos ordinem Consulum auspicatos fuisse referens. Ad haec *M. Aurelii* Collega quum aliquando fuerit *Commodus*, hujusce posterioris annos cum annis prioris in Aegypto computari perrexisse ex Clemente Alex. Strom. lib.1. p.406, a quo *M. Aurelii* simul, ac *Commodi* numerati anni 32. leguntur, conjecturam Vir doctiss. fecit. Atque ita plane annos *M. Aurelii*, una cum annis *Commodi* 32, a Theone in Can. Reg. Astron. numeratos etiam, ideoque unam, eamdemque utriusque *M. Aurelii*, & *Commodi* Aegyptiis Epo-

cham fuisse usurpatam observat Dodvvellus in Adpend. ad Differt. Cyprian. §. 50. edit. Felli p. 158.

XXXII. Denique sub *Diocletiano*, a quo *Achilleus*, tyrannidem in Aegypto aliquot jam ab annis exercens, devictus, deque medio U. C. anno 1048, Christi 295, testibus Eutropio, ac S. Hieronymo in Chron. p. 767, sublatus fuerat, ob beneficii gratiam, novam ab ipsius Imperii exordio Aeram instituendam Aegyptii sibi proposuere; ita tamen ut ejusdem primordium Aerae, receptissimum juxta morem, a *Thoth* inchoandum duxerint, idest tertio Mense, videlicet a die 29. Augusti, ante initium Principatus *Diocletiani*, a quo Imperium alioqui nonnisi ante diem 15. Kalend. Octobris Chalcedone anno Christianae Aerae 284, U. C. 1037. initium fuerat; ut novae nempe Aerae *Diocletianeae* idem, ac Anni *Civilis* exordium esset, Astronomiae ratione etiam habita; nam eo Christi anno 284. *Thoth* Fixus, ab *Augusto* 313, in Augusti diem 29. incidit; etsi *Thoth* Vagus, Aegyptiis plerisque aliis tum adhuc usurpatus, in diem 13. Junii retrogressus fuisset; *Diocletianus* vero die 17. Septembris ejusdem anni dumtaxat salutatus Imperator fertur Auctori Chron. Alex. p. 274. edit. Paris., Ven. p. 219. Quem Chronici locum eximium vocat Petavius Doct. Temp. lib. 11. cap. 32, Animad. ad S. Epiphanium de Mens., & Pond. Oper. T. II. p. 411. sqq., & Rat. Temp. T. II. Par. II. lib. 4. cap. 9. edit. Ven. p. 243. sqq., quo, aliisque egregie utitur ad evertendam Scaligeri opinionem, qui de Emend. Temp. lib. 5. p. 494. sqq. *Diocletianaei* Imperii annum 1. in Christi annum 287. confert, Isag. Can. p. 305. cum anno Christi 288. conjungit, & in Animadv. Euseb. ad an. 2301. a Martio anni Christi 285. repetit. Quo etiam ex Chron. Alex. loco Pagius ad an. 284. n. 7. Annal. T. II. p. 230. cum Scaligero Cointium in Annal. Eccl. Franc. *Diocletiani* primordium Imperii ad annum 285. referentem refellit, tam vero ipse, quam etiam Norisius, qui de Epoch. Syromaced. dissert. 3. cap. 4. Oper. T. II. p. 176. Imperii *Diocletiani* exordium a die 20. Novembris, *Athyr* die 24. ducendum statuit; quod ipsum confirmat sq. cap. 6. p. 216, deinde in Dissert. de Num. Diocletiani cap. 1. p. 1068. sqq. ex hoc ipso Chronici Alex. loco,

co, atque ex L. *Ut Nemo invitus* Cod. Just. lib.3. à *Diocletiano* Idibus Octobris data *Carino* II, & *Numeriano* Coss.; unde liquet anno Christi 284. die 15. Octobris jam *Diocletianum* imperasse, Baronium, Goltzium, Panvinium, Scaligerum, & Calvisium rationes fugisse demonstrant, quibus *Diocletianaei* Imperii dies natalis ipsis *Palilibus* Urbis, idest die 11. Kalend. Maji ducendus statuitur. Emendandum vero, non Auctorem utique Chronici Alex., uti dubitavit Valesius in Not. ad Euseb., qui recte *Diocletianaei* Imperii cardinem cum die 17. Septembris composuit, sed Eusebium admonet Norisius, ut qui Hist. Eccles. lib.8. cap.2. de Martyr. Palaest. *Diocletiani Vicennalia* die 17. Novembris soluta Vota fuisse scripsit; quum Septembrem scribere oportuisset. Conferendus etiam Dodwellus in Adpend. ad Dissert. Cyprian. §.35. p.154. sq., ubi apud Aegyptios tam *Alexandraeam*, & *Lagidam*, quam *Augustaeam*, & *Diocletianaeam* Epocham a praecedente *Thoth* qua Ptolemaeo Almag. lib.3. cap.8, & lib.4. cap.5. sq., qua Theoni in Can. Reg. Astron., & in Fragm., qua generatim Astronomis Aegyptiis aliis fuisse arcessitam ostendit. Quo tamen loci duplex notanda *Diocletiani* Aera venit, prior haec a primo *Diocletianaei* Imperii anno, dieque 29. Augusti Aegyptiis, Romanis a die 17. Septembris, Christi anno 284. inita: atque haec quidem Aera Graecos apud, Latinosque usu constanti usque ad *Dionysium Exiguum*, a quo Aera *Christiana* invecta deinde obtinuit, hoc est usque ad Christi annum 526, viguit, eaque profecto usum in Paschali festo definiendo S. Ambrosium liquido patet ex Epistola de Paschate ad Episcopos per Aemiliam constitutos; eamdem quin etiam perpetuo sequutos Epocham Patres Africanos Clementem Alex., Tertullianum, Theophilum Alex. &c. observavit Pearsonius in Praefat. ad Annal. Cyprian. §.5. p.3; pone sequutos quoque S. Proterium in Epist. ad S. Leonem edit. Quesnelli 103, Baller. 133. tam inde patet, quam probe observatum fuit Norisio loc. cit., Philippo a Turre in Dissert. Apolog. de Faustinae Nummo cap.6. p.87, ac Ballerinis Fratribus in Not. cit. Epist. Oper. S. Leonis T.I. p. 1268. sqq.; atque perinde S. Cyrillum Alex. locuples accedit testis Dionysius *Exiguus* in Epist. prima de Paschate apud Pe-

tavium in Adpend. Oper. de Doct. Temp. p.874, Bucherium in Comment. ad Victorii Canon. p.485, Muratorium Anecdot. T.III. p.191. sqq., ac Pagium in Appar. T.I. Annal. edit. Lucen. p.247. sqq., ubi a S. Cyrillo primum Cyclum ab anno *Diocletiani* 153, qui fuit Christi 437, fuisse inchoatum; postremum vero cum *Diocletiani* anno 247, qui Christi fuit 531, finitum, a quo perinde *Diocletiani* anno 248. idest, Christi 532. ipse suum auspicatum Cyclum fuisse refert. Posterior altera *Diocletiani* Aera deducenda est a *Diocletianaea* persecutione Decennali in Christianos ab illo utique commota Imperii anno 20, Aerae Christianae 303, Februarii die 24, qua die in Christianos Edictum a *Diocletiano* exjisse auctor est Lactantius de Mort. Persecut. n.13, etsi a Martio, sive *Dystro* Syrorum *Diocletianaeae* persecutionis exordium deducat Eusebius Hist. Eccles. lib.8. de Martyr. Palaest. cap.2, indeque accepto nomine, *Martyrum* etiam Aera dicta est.

XXXIII. Qua Aera quidem, Copti quammaxime in Aegypto, Scriptoresque Jacobitae usi frequenter leguntur apud Cl. Assemanum praesertim, inter quos Severus Mokaffaeus Asmonaeus Episcopus in Hist. Patriarch. Jacobit. Alexand. apud Renaudotium Histor. Patriarch. Alex. p.144. sqq.; Philotheus Alex. Patr. in Synodica ad Dionysium III. Patr. Jacob. apud Paulum Ebn-Regia in Tract. de Fide Patrum fol.302, & Assemanum Bibl. Orient. T.II. p.141. sq.; Johannes Colzomita in Vitis Cristoduli 66, & Cyrilli 67. Coptorum Patriarcharum apud Severum Mokaffaeum in Hist. Patr. Alex., & Assemanum p.146. sq.; Michael Taneos Episcopus in vita Zachariae Patriar. Coptor. 64. apud Severum, & Renaudotium loc. cit.; (cui Severo Asmonaeo acceptam referens Alexand. Patriarcharum Historiam, ab Ecchellensi, & Assemano Chronico Orientali assutam edit. Ven. p. 73. sqq., Sollerius in Dissert. fundamentali ad Patriarchas Alexand. §. 1. Praefat. T.III. edit. Ven. p.1. sq., Severum ex Vanslebii testimonio anno *Martyrum* 970, qui Christi fuit 1254, vixisse subjungens, eamque Historiam ineptissime consutam, nulliusque momenti habendam cum Renaudotio depraedicans, egregie vapulat a Viro doctiss. Josepho Simonio Assemano in Praefat. ad Chron. Orient.

cap.1,

cap.1, ubi Chronici Orientalis, eidemque adnexae Historiae Patriarch. Alex. unum, eumdemque auctorem esse Petrum Abusciacherum Ebnarrahebum Abilcaramum patria Aegyptium, Religione Christianum, professione Coptitam ostendit, Severum anno *Hegirae* 365, Christi 975. e vivis excessisse observat, eo vero in Chronico, etsi certiora Syrorum, Graecorum, Latinorumque monumenta neglecta fuerint, aut ignorata, quod ad res Alexandrinae Ecclesiae tamen attinet, eas ab Auctore ex Tabulariis Ecclesiae Alexandrinae videri accurate tractata, adeo ut haud facile apud Scriptores alios pleraque reperias, ideoque neque facile ipsi deneganda sit fides); Sanuthius Coptorum Patriarcha 65. in Synodicis ad Dionysium V. Patr. Jacob. apud Paulum Ebn Regia cit. Tract. fol. 322. sqq., & Assemanum Bibl. Orient. T.II. p. 152. sq.; Johannes XI. Patriarcha Jacob. 95. in Synod. ad Cristodulum Coptor. Patriar. anno *Martyrum* 782, Christi 1066. apud Paulum Ebn-Regia fol. 342. sqq., & Assemanum p. 153. sq.; Raphael Diaconus filius Abdalsajedi Aegyptius in Cod. Ms. Coptice, & Arabice *De Officiis Eccles.* 20. ad 25. exaratis anno *Martyrum* 1423, 1425, 1427. sq., 1430, *Hegirae* 1118, 1120, 1122. sq., 1125, Christi 1707, 1709, 1711. sq., 1714. apud Assemanum Biblioth. Orient. T.III. p. 640. sq.; Anonymi alii in Cod. Ms. Arabico *De Officiis* ibid p. 642. sq.; Mercurius Isaaci filius *De Offic. Eccles.* in Cod. Ms. Coptico 29. anno *Martyrum* 1239. loc. cit. p. 642; Michael Athribae, & Meligae Episcopus in Synaxario Coptor. Cod. Mss. 31, & 32. anno *Martyrum* 1436, & 1437. cit. p. 642; Johannes Hegumenus in Grammatica Copt., & Lexico anno *Martyrum* 1286. p. 643, Anonymique alii eodem loci ab Assemano memorati p. 644. Ex quo denique Aegyptus anno *Hegirae* 20, Christi 640. a die 20. Decembris in *Homari* Caliphae Moslemorum, *Phatemitarum* Dynastiae post *Aboubachrum* II, post *Mohammedum* III, sectae *Ali*, potestatem devenit; atque perinde anno *Hegirae* 567, Christi 1171. a die 4. Septembris *Saladini* Moslemorum *Ajjubitarum*, sive *Mammellorum*, sive *Borgitarum*, sive *Circassiorum* Dynastiae Sultani I, sectae *Alidarum* oppositae, jugum subire coacta est; annoque denique *Hegirae* 923, Christi 1517. a die 24. Januarii

rii in *Selimi* I. Turcarum, seu *Othomanorum* Dynastiae tyrannidem transiit, queis de variis Aegypti fatis adeundi Petrus Ebnarrahebus in Chron. Orient. edit. Echell., & Assemani Ven. p.41, & 66, Elmacinus in Hist. Sarac., Abilfeda in Annal. Moslemicis edit. Joh. Jacobi Reiskii Lipsiae 1754. p.73, Herbelotus in Bibl. Orient. p.545, 579, 687, 742. sqq., & 801. sqq., Simon Ockelii in libro Anglice scripto de Aegypto per Saracenos occupata, Sollerius in Parergo III. ad Hist. Chron. Patr. Alex. T.III. Praefat., Tract. &c. p.62. sqq., De Guignesius Hist. gen. Hun. T.IV. lib.21. sq. p.110. sqq., & p.252. sqq. &c., *Hegira* deinceps uti cepisse, inque hanc usque diem Aegyptios uti haud desinere indubium omnino est.

XXXIV. Ad reliquas insigniores Africanarum modo Urbium Epochas, quarum in vetustatis reliquiis vestigium nobis vel augurando deprehendere fas sit, obiter excurrendo, si veritate nititur, quod Africae pars Occidentalis, Byzacena, Numidia, Mauritania, Zeugitana quammaxime Chananaeorum, sive Phoenicum, unde *Punicum* effictum *Poenorum* genus, atque nomen est, undeque Populi *Liby-Phoenices* Diodoro lib.20. p.680, Plinio lib. 5. cap.4, Livio lib. 21, Stephano de Urb. p. 3, atque *Liby-Aegyptii*, & *Leuco-Aethiopes* Plinio lib.5. cap.8, & Pomponio Melae lib.1. cap.4. memorati, Coloniae fuerint a *Josue* olim patrio loco pulsae, quae in Africam irrumpentes quaquaversum se se vel in Libyam, utramque inter Syrtem, usque Cyrenaicam, atque Troglodyticam effuderint, Urbesque in Africa multas, uti Carthaginem, Adrumetum, Leptim, Hipponem, Uticam, Tingim &c. condiderint, velut auctores se praebent S. Augustinus Exposit. in Epist. ad Roman. sub initio, Procopius de Bello Vandal. lib.2. cap.10, Gemara Hierosol. Ord. 1. Cod. 5. שְׁבִיעִית *Scevjith De septimo* (Anno) cap.6: qua de Transmigratione adeundi, si vacat, lubetque Hornius de Orig. Gent. Americ. lib. 2. cap. sq. p.73. sqq., Hendreichius de Republ. Carthag. lib.1. sect. 1. cap.1. p.28. sqq., Rollinus Hist. Carthag. &c. T.I. Par.I. lib. 2. p. 187. sqq., & Par.II. cap.1. p.237. sqq., Nevvtonus in Chron. Veter. Regn. emend. cap.2. edit. Ven. p.150. sq., ac Bocharius Geogr. Sacr. T.II. Par.I. lib.1. cap.24. sq. p.465. sqq., ubi

ubi fuse *Phoenicum* in Africam transfusas undequaque Colonias fuisse probat, Urbesque prae aliis a Phoenicibus conditas, praeter *Carthaginem*, *Uticam* ex Plinio lib.5. cap.19, Justino lib. 18, Stephano de Urb. p.151., & Vellejo Paterculo, *Hipponem*, *Leptim*, *Adrumetum*, ex Sallustio, & Solino, *Tabracam* ex Silio Ital. lib.3, *Tingim* ex Procopio loc.cit., *Tartessum*, *Mellariam*, & *Bellum* ex Pomponio Mela lib.2. cap.6, *Tripolim* ex Eusebio in Chron. Graec., & Procopio de Aedif. Justin.lib. 6. cap. 3., *Capsam* ex Sallustio in Jugurtha, Floro lib. 3. cap. 1., & Orosio lib. 5. cap. 15, *Calamintham*, *Canthelem*, & *Chalcem* ex Hecataeo apud Stephanum de Urb. edit. Holst. p. 351. sq., aliasque generatim a Magna *Syrti*, atque a *Philaenorum* Aris, a duobus fratribus ibidem sepultis dictis, consecratisque, Aethiopiam inter, ac Aegyptum, usque ad *Herculis* Columnas, sive fretum *Gaditanum* a Phoenicibus aedificatas ex Scylace, & Polybio lib.3. confirmat; qui praeterea Geogr. Par.I. lib.2. cap.2. sqq. p.704.sqq. Phoenicia, & Punica veteres passim apud Scriptores una permisceri multis ostendit; si veritate, inquam, totum id nititur, ab Africanis utique principio non alteram, quam quae prisco usu apud *Phoenices* venerat, a *Praefecturis* videlicet initam, Epocham fuisse usurpatam augurari fas est.

XXXV. Ut vero praecipuas inter Africae Urbes primus ut par est, *Carthagini* locus fiat, Urbem sane a Phoenicibus, sive Tyriis anno 50. ante *Trojae* excidium, unam ex centum videlicet a *Cadmo* in Africa conditis, fuisse aedificatam ex recepta Graecis opinione refert Nonnus Dionysiac. lib. 3. v. 364. sqq., consentitque cum Solinus cap. 30., tum Appianus de Bello Pun. lib. 1. p. 1, a *Didone* vero ante U. C. anno 40. juxta utrumque; vel anno 65. juxta Paterculum lib. 1; vel 70. juxta Servium ad Aen. 1. v. 614, (ubi errasse Virgilium docet, erravit vero & ipse anno 360. a *Trojae* excidio conditam *Romam* adserens; quae nonnisi post annos 430. ab excidio *Trojae* revera aedificata est); vel ante U. C. anno 72. juxta Justinum lib. 18. cap. 7; vel 93. juxta Livium lib. 34, instauratam adfirmant: unde patet errasse Justinum Lib. 18. cap. 4. sqq., Josephum Antiq. lib. 8. cap. 2, lib. 9. cap.
14,

14, adverſ. Appionem lib.1. p.1042, Virgilium Aen. loc.cit., alioſque *Carthaginem* a *Didone* primo conditam credentes: in quibus poſt Nevvtonum in Chron. Vet. Reg. emend. cap. 1. edit. Ven. p.52, Freretus Defenſ. Vet. Chronologiae Par. II. de Chron. Hiſt. Orient. ſect. 2. p. 278. ſq. Joſepho inhaerens *Carthaginem* poſt imo *Didonis* adventum anno 21. conditam, ideſt poſt *Templum* fundatum anno 126, a *Tyri* fundatione 366, ante Chriſti natalem 904, quo *Trojae* excidium conſignat, *Didonem* adveniſſe, *Carthaginem* vero aedificatam anno 883. ante Chriſtum putat, Catonis ſuffultus teſtimonio apud Solinum cap. 30, qui poſt annos 737. *Carthaginem* a Romanis anno U. C. 608, ante Chriſtum 146. everſam adfirmavit: *Uticae* fundationem *Carthaginem* antecedere annis 287, *Cadicis* vero *Uticam* annis 35: erraſſe pejus Philiſtum Euſebio in Chron. p.278. memoratum, ac Syncello in Chronog. p. 172. edit. Pariſ., Ven. p. 137, Stephanum Ethnicographum ad Dionyſii Perieg. v. 194, Euſtathium &c. a *Charchedone*, & *Zoro* Tyriis *Carthaginem* anno *Abrahami* 800. aedificatam tradentes. Namque ut obſervatum eſt Druſio Obſervat. lib. 7. cap. 8, & Bocharto Geogr. Sac. Par. I. T.II. lib. 1. cap. 24. p. 468. ſq. Καρχηδὼν per ſyncopen Phoenicibus per Κάρθα χηδὼν, & contractius adhuc *Karcabe* Euſtathio ad Dionyſium Perieg., eſt ipſa Urbs Latinis *Carthago* per apocopen dicta, olim *Karthada*, Solino teſte cap. 30, legiturque in veteri Nummo litteris Punicis Καρχηδόν, Hebraicis קרתחד *Karthada* apud Blanchinium Hiſt. Univ. Decad. 11. cap. 11. p. 168, ab Hebraeo videlicet קֶרֶת *Kereth*, quod eſt *Civitas*, Job. xxix, 7, Proverb. VIII. 3, & 14, IX. 3, & XI. 11, & חֲדַת *Hadath* Exod. I. 8, II. Reg. XXIV. 7, quod eſt *Nova*, derivato nomine, quod eſt *Kartha-Chada*. *Zorus* vero, non *Ezorus*, ut male legerunt Syncellus p. 172, & 181. edit. Pariſ., Ven. p. 137, & 144, ac Scaliger in Not. Euſeb. p. 34, eſt *Tzor* ipſe, prout *Tyrus* olim Phoenicibus adpellabatur, S. Hieronymo lib. de Nomin. cap. de *Marco* referente, qua de nomenclatione Simſonius in Chron. Cathol. Par. II. p. 44, Bochartus loc. cit., Salmaſius in Solinum p. 322, & Vallarſius in Not. ad Euſebii Chronicon Oper. S. Hieron. T.VIII. p. 277.

XXXVI.

XXXVI. Quemadmodum vero Hebraeis 3 *Moysis* aetate fuisse indubium fit prorsus ex libro Judicum; Athenis *Prytanes*, qui numero 50. erant, eorumque singuli singulis Mensibus vices mutabant; sive *Archontes*, qui numero 9. in Praefectura sibi invicem singuli singulis Mensibus succedebant, dictus idcirco, qui tum praeesset, *Prytanis*, & *Hegemon*, & *Strategus*, & *Eponymus* sub aetate sequiori; quales etiam Megaris rerum gerebant summam, quo de Magistratu Sigonius de Republ. Ath. lib. 1. cap. 5, ac de Temp. Athen., & Lacedaem. Oper. T.V. p. 33. sqq., Joachimus Stephanus de Jurisd. Vet. Graec. cap. 3. sq. Antiq. Graec. T.VI. p. 2691. sqq., Josephus Laurentius de Var. Sacris Gentil. cap. 11. Antiq. Graec. T.VII. p. 190; Lacedaemoni *Ephori*; Thebis cum *Boeotarchi* numero XI, queis cura rei Bellicae, tum *Polemarchi* numero 11, queis Reipublica domi curanda incumbebat, de quibus Ubbo Emmius de Republ. Athen., Lacon., & Theban. Antiq. Graec. T. IV, edit. Ven. p. 434. sqq., & 523. sqq.; Romae *Consules*; Hetruriae olim *Lucumones*, referente Servio ad Aeneid. 2, qui & lib. 8. duodecim Tusciae praefuisse *Lucumones* adfirmat, quos Δρῦνας *Drunas* Tuscis ἡ Ἀρχή *Principatus* Hesychius adpellat in Lex.; Tyro etiam *Judices* a tempore *Nabuchodonozoris*, quorum nomina, atque seriem exhibet Josephus adv. Appionem lib. 1, quorumve Magistratu, sive Praefectura tempora definire principio solebant; ita *Carthagini* praerant *Suffetes*, uti referunt T. Livius lib. 28. p. 333, lib. 30. cap. 7. p. 354, & lib. 34. cap. 62. p. 420, Seneca de Tranquill. cap. 3, Calidius apud Festum, & Paulum de Censib., *Suffetes*, inquam, praeerant, derivato ab Hebraeo שופטים *Sophetim* vocabulo, Phoenicibus *Malches* denominati, nomine nihil diverso a Chananaeo מְלָכִים *Melachim*, idest *Reges*, ut habet Eunapius in *Porphyrio*; qui Aegyptiis sunt *Dynastae*; Graecis Ἡγεμόνες *Hegemones*; Latinis *Judices*, ut advertit Livius lib. 33. cap. 33. p. 403, non vero e צֹפֶה *Tsopheh* Hebraea voce, aut Graeca Ἔφοροι *Ephori*, aut Ἐπόπτης *Epoptae*, aut Ἐπίσκοποι *Inspectores* derivati, uti visum Scaligero, & Seldeno de Syned. lib. 1. cap. 14. p. 589, quos ideo refellit Fourmontius Reflex. Critic. in Hist. Vet.

Popul. lib. 3. cap. 10. T. II. p. 191. Cujusmodi sane genus Judi- singulis Africae Civitatibus praefuisse fit planum ex Africanis Inscriptionibus, ac singulatim Urbium *Themetrensis*, *Timiligensis*, *Siagitanae*, & *Apisensis* apud Isaacum Vossium, & Bochartum Geog. Sacr. lib. 1. cap. 24. Oper. T. II. p. 473, quorum perinde Magistratu annos computare in more veteri *Carthagini*, Africanisque Civitatibus aliis positum fuisse, nullus ego quidem ambigo: quo sane de Magistratu apud Carthaginenses docte, copioseque agunt etiam Hendreichius de Republ. Carthag. lib. 2. Sect. 15. p. 309. sqq., atque Rollinus Hist. Carthag. T. I. lib. 2. Par. I. §. 3. p. 200. sqq. Extat & apud Harduinum Num. Popul. illust. p. 42. Nummus in antica parte *Kart-Veneris*, cum *Templi* effigie, quod ibi olim insigne *Veneris* extiterit fanum, in postica inscriptus: *Suf. Aristo.*, idest *Suffete Aristone*; & apud Anton. Augustinum de Num. Dialogo 6. edit. Rom. 1698. p. 186. Nummus extat alter, in parte anteriori caput, non *Didonis* utique, velut ipsi videtur, sed *Veneris* eximie Carthaginensibus cultae, Tertulliano Apolog. cap. 23, & S. Augustino in Psal. 98. domesticis testibus, exhibens, in posteri caput *Equi*, *Carthaginis* symbolum, cujusmodi Symbolum etiam adparet in Nummis exhibitis a Scheuchzero, & Cupero in Epist. 10. apud Schelhornium Amoenit. Hist. T. II. p. 817. sq., quod eo sane loci, ubi fundata *Carthago* est, effossa humo repertum *Equi* caput fuisset, referentibus Silio Ital. Punic. lib. 2, & Virgilio Aen. lib. 1. v. 447, cum litteris Punicis, quas Kakkaßn ipse interpretatur, probabilius אַלּוּף *Alluph* Phoenicio vocabulo *Ducem*, sive *Suffetem* significante litteris illis designari opinatur Bochartus loc. cit. p. 471. Jungendae Inscriptiones apud Vossium, & Bochartum, in quibus Urbis Themetrensis *Suffes Banno*, Timiligensis *Suffes Azdrubal*, Siagitanae *Suffes Celer*, & Apisae *Suffes Chinisdo* leguntur. Quia vero quemadmodum Romae penes *Consules*, sic Carthagine penes *Suffetes* unum dumtaxat per annum rerum summa consistebat, teste Cornelio Nepote in *Annibale* cap. 7; atque ita ex *Suffetum* nomine temporis aetas Carthaginensibus liquido, sicuti Romanis ex *Consulum* vicibus constabat.

XXXVII. In

XXXVII. In Mauritaniam, Numidiam, aliasque plurimas Africae, Cyrenaicae, Zeugitanae, Byzacenae &c. partes armis perinde subactas, Justino referente lib. 19. cap. 1. sqq., cum eadem Regiminis forma, eamdem a *Suffetum* Magistratu annos computandi rationem inductam a Carthaginensibus fuisse veri fit inde valdequam simile. Donec nova cum Regia in Africam inducta Regiminis forma, altera perinde computandis deinceps annis usurpata Aera videtur, capto a Regis cujuspiam Regni exordio Aerae cardine. Atque eo plane, quo *Gala* in Numidiae parte, *Massaesylla* Straboni lib. 17. p. 570, & Livio lib. 24. cap. 48. denominata, Regni fundamenta, *Siga* pro Regni Urbe designata, Plinio teste lib. 5. cap. 2, posita fuere, cuique, post obitum U. C. anno 549, ante Christianam Aeram 205, successit *Desalles*, alias *Oesalces* frater, queis de Livius lib. 24. cap. 49, & lib. 29. cap. 49, eodem, inquam, tempore in Numidiae parte altera, *Cirthae* Regni sede defixa, regnare *Syphaces*, cui bellum cum *Scipione* postea fuit, cepisse fertur Livio lib. 24. cap. 44, lib. 28. cap. 17, & lib. 30. cap. 12, Pomponio Melae lib. 1. cap. 7, ac Plinio lib. 5. cap. 1. Sed enim *Syphace*, *Lacumace*, ac *Mezetulo* victis, a *Galae* filio *Massinissa* integra occupata est Numidia, *Cirthae* stabilita Regni sede, cum Mauritaniae, (quae Regio ita dicta videtur, vel a *Situ* versus Occidentem ultimo, ceu מהורי *Mahuri*, idest *Postrema*, uti Bocharto; vel a *Nigredine* מעורי *Mauri*, hoc est *Obscura*, veluti Becmanno, videndusque Reiskius in Not. ad Cluverium Introd. Geog. lib. 6. cap. 5. p. 640. sq.), cum Mauritaniae, inquam, parte haud modica per annos 60: quo de Strabo lib. 17. p. 570. sqq., Appianus de Bello Pun., Diodorus in Fragm. lib. 32. p. 704, Sullustius de Bello Jugurthae, Livius lib. 29. cap. 29, lib. 30. cap. 11. sq., & lib. 34. cap. 62, Plinius lib. 5. cap. 3, & Hirtius de Bello Afric. cap. 43. Ex Filiis 43. spuriis, ac Legitimis 4. patri successit ex legitimis natu prior *Micipsa*; isti frater *Gulussa*; atque frater huic alter *Manastabales*: quos brevi vita functos excepere *Micipsae* filii alternatim *Adherbales*, & *Hiempsales*: qui paullo post a *Jugurtha* ex pellice gnato, sicut & *Massiva*, qui filius *Gulussae* fuisse videtur, interfecti fuere; videndique Sallustius, ac Livius lib. 27. cap. 19.

Jugurta paullo tamen post, quam regnum invasisset, bis a *Metello* devictus, captus a *Sulla*, in triumphum deinde a *Mario* U.C. anno 650, Christi ante natalem 104. ductus est, interfectusque. *Gaudae* porro fratri regnandi potestas a *Metello* denegata est, Regis titulo etsi donatus legatur a Sallustio, ac in veteri Marmore apud Sponium; conferendique Diodorus in Frag. lib. 36. p. 708, Florus lib. 3. cap. 1, ac Plutarchus in Mario, & Sulla &c.

XXXVIII. Quo sane ipso tempore in Mauritania Regnum obtinuisse legitur *Bocchus* I, foedere contra Romanos *Jugurthae* colligatus, apud Sallustium de Bello Jugurthae cap. 92, Melam lib. 1. cap. 5, & Plinium lib. 5. cap. 2: quem a *Mario* perinde devictum, interfectumque U. C. anno 647, Christianam ante Aeram 107. refert Diodorus loc. cit. *Gaudae* fratri successit *Hiempsales* II, qui Regno pulsus a Numidis, a *Pompejo* restitutus est, jussuque *Sullae* Jarbae Regnum obtinuit, referentibus Appiano de Bello Civ. lib. 1, Plutarcho in Pompejo, & Mario, & Veteri Lapide apud Sponium. Hunc filius excepit *Jubas* I, qui *Pompeji* contra *Caesarem* partes sectatus, rebus desperatis, mutuis cum *Scipione*, *Catone*, & *Petrejo* vulneribus anno U. C. 708, Christi ante natalem 46. occubuit; de quo Florus lib. 4. cap. 2, Dio lib. 41. p. 172, & lib. 43. p. 217, Appianus de Bello Civ. lib. 4. p. 995, Plutarchus in Caesare, & Pompejo, Hirtius de Bello Afric. cap. 91. &c. *Juba* I. devicto a *Julio* Caesare, Numidiam in Romanam redactam fuisse Provinciam indicant Appianus, ac Dio loc. cit. Romam vero *Jubas* II. filius in triumphum a *Caesare* primo ductus, ipso defuncto, ab *Augusto* postea cum Regno in Numidia paterno U. C. anno 724, ante Christi natalem 30. restitutus est, velut ex Dione lib. 51. p. 454, ac lib. 53. p. 514. arguere licet, ubi *Augustus*, una cum *Cleopatra* dicta *Selena*, idest *Luna*, Uxore tradita, *Jubae* τὴν βασιλείαν τὴν πατρῴαν ἔδωκε *Regnum Paternum* tradidisse legitur: quod perperam inficias Cellarius Geog. Antiq. T. II. lib. 4. cap. 5. p. 916, atque Spanhemius T. I. p. 540. ivere; tum perinde U. C. anno 728, Christianam ante Aeram 26. Regni Numidiae loco, Gaetuliae, ac Mauritaniae, (*Bogude*, qui Mauritania in Tingitana ad occasum, & *Bocho* II, qui in Mauritania

nia Caesariensi ad ortum, post *Bocbi* I. utriusque patris obitum Regnum obtinuerant, Plinio teste lib. 5. cap. 2, vita functis); Regna impetravit, obiitque U. C. anno 772, Aerae Christianae 19, quo de Strabo lib. 17. p. 572, Dio lib. 51. p. 454, & lib. 53. p. 514, ac Plinius lib. 5. cap. 3, videndusque Isaacus Vossius ad Pomp. Melam lib. 1. cap. 5. *Jubam* II. porro a Subditis post obitum pro *Deo* habitum fuisse cum ex Lactantio, ac Minucio Felice ostendunt Tristarius T.I.p.18, ac Spanhemius T.I.p.543, tum ex Lapide apud Sponium adparet, ubi N. E. P. DI., idest, uti Froelichius interpretatur, *se Numini ejus perpetuo devotos* Libertini profitentur. Ab eodem *Juba* II. omnium primo *Fortunatas* Insulas, *Canarias* idest, fuisse repertas ex Statii Sebosi relatione tradit Plinius lib. 6. cap. 31. sq., adeundique Isaacus Vossius ad Melae lib. 3. cap. 10, Jacobus Perizonius ad Aeliani lib. 3. cap. 18, Harduinus ad Plinii loc. cit., Cellarius Geog. Antiq. T.II. lib. 4. cap. 7. p. 937. sq., & Cluverius Introd. Geog. lib. 6. cap. 10, ibique Buno in Not. p. 665. sq. In Patris locum, *Tiberio* adnuente, subingressus *Ptolemaeus*, anno postea U. C. 790, Aerae Christianae 37. *Caji Caligulae* jussu interfectus est; in eoque Mauritaniae Regnum finem habuit: videndique Tacitus, Annal. lib. 4. capp. 23, & 26, Seneca de Tranquil. cap. 11, Svetonius in Caligula cap. 26, Dio lib. 59. p. 758, ac Plinius lib. 5. cap. 2: quique de Numidiae, atque Mauritaniae Regum Genealogia operose pertractarunt Sponius in Miscell. Erud. Antiq. Sect. 4. Antiq. Graec. Suppl. Poleni T. IV. edit. Ven. p. 941. sq., Doviatius in Not. ad Livium lib. 29. cap. 29. p. 554, & Khevenhullerus, sive Froelichius in Regum Veter. Num. Anecdot. de Numid., & Maurit. Regibus p. 75. sqq.

XXXIX. Ab eo itaque tempore, quo tam in Mauritania, quam in Numidia Regna isthaec anno U. C. 500, ante Christianam Aeram 254. circiter fundata fuere, nova, cum Regum deinceps aetate, tempora definiendi ratio Numidis, atque Mauritanis instituta videtur. Quam utique conjecturam egregie confirmant Nummi inter alios *Jubae* II. Regis Caesareae, (quae Urbs prius *Jol* dicta, a *Juba* I. Rege condita fuerat, a *Juba* II. filio postea instaurata, exornataque de *Caesaris Augusti* nomine ab ipso deinceps adpellata *Caesaraea* est,

qua

qua de Strabo lib. 17. p. 571, ac Eutropius in vita Augusti lib. 7. cap. 5; hodieque *Algerium* plerisque creditur; Johannes Leo tamen in Descript. Africae haud antiquam esse Urbem *Algerium* scribit, eamque *Mesganam* antea fuisse denominatam), Caesareae, inquam, quae post a *Claudio* jure *Coloniae* donata traditur Plinio lib. 5. cap. 2, cusi cum Numeralibus Notis R. XXXII. XXXX. XXXXII. XXXXV., idest Regni *Jubae*, apud Patinum, Spanhemium p. 542. sq., Harduinum p. 102. sq., Liebe in Gotha Nummaria, Jobertum Scient. Num., Begerum in Thes. Brandeburg., Froelichium in Regum Veter. Num. Anecdotis p. 79. sq., & Accessione Nova ad Num. Reg. Vet. p. 75. sq. &c. Confirmant & Nummi alii *Ptolemaei* ejusdem *Jubae* II. filii Caesareae perinde in Mauritania percussi apud Patinum in Svetonium p. 220, Vaillantium p. 404, Spanhemium p. 541, Harduinum in Num. Popul. illust. p. 103. sq., Froelichium loc. cit. &c., Notis inscripti & ipsi Numeralibus R. I. A, Regni I. idest, ut ostendit Liebe in Gotha Num. p. 146, non Λ, Regni 30. scilicet, ut male legit Harduinus, ac pessime interpretatus est; Notis insuper R. VI. VII. X, Regni nempe. Queis sane Notis, non *Remissae* denarii 30, aut 32, aut 40. &c., velut Harduinus, effraeni pro ingenii licentia, imaginatus est, sed Regni utique anni, ducto initio ab U. C. anno 724, quo ab *Augusto* paterno in Numidiae Regno primum regnare *Jubas* II. permissus est, non ab anno U. C. 728, quo *Bogude*, atque *Bocho* II. defunctis, Mauritaniae, ac Gaetuliae Regnis etiam adauctus *Jubas* fuit, designati procul dubio sunt; velut ex Nummis aliis Cimelii Brandeburgici, Vindobonensis, Gothani, Rothelini, Foucaltii, Le Brettii, Savorniani &c. cum Notis R. 31. 36. 42. 45. 47. 48. in *Jubae* II. Nummis, ac in Nummis, ut innui, *Ptolemaei* filii cum Notis R. I. VI. VII. X: queis sane Notis *Remissas* semper fuisse designatas veri parum fit simile, optime arguunt Bimardus de la Bastie in Annot. ad Joberti Scient. Num. T. II. Sect. 3. edit. Ven. p. 268. sqq., ac Froelichius in Regum Veter. Nummis Anecd. p. 87. sqq.

XL. Aeras quod attinet in *Libya*, *Cyrenaica*, ac *Troglodytica* antiquissima usurpatas sub aetate, *Cyrenem*, Urbem in

in Libya *Ammonis*, ideſt *Jovis*, qui ſub *Arietis* ſpecie *Baccho* in deſerto adparuiſſe fertur, ab *Arenis* ſic denominati, (Grae- [illegible] idem, ac ψάμμος, eſt *Arena*), Oraculo inſignem, Plinio lib. 5. cap. 5, Solino Polyh. cap. 40, & Pomponio Mela lib. 1. cap. 8. teſtibus, celebrem olim a *Batto*, cognomento vel *Ariſteo*, uti verius habent Diodorus lib. 4. cap. 14. p. 133, Juſtinus lib. 13. cap. 7, & Euſebius in Chron. verſ. S. Hieron. Oper. T. VIII. p. 399; vel *Ariſtotele*, uti legunt Callimachus Hymno in Apoll. v. 76, Scholiaſtes Pindari in Pyth. 4, & Heraclides de Polit., queis adſtipulatur contra Euſebium Scaliger, ſed a Vallarſio in Not. ad Euſeb. ibid. egregie vapulat, videnduſque Spanhemius in Callimach., a *Batto*, inquam, e Graecia Coloniam fuiſſe deductam, Urbemque, unde Regioni nomen inditum, *Cyrenem* aedificatam, deque matris *Cyrenis* filiae *Penei* nomine fuiſſe adpellatam tradunt Herodotus lib. 4. cap. 158. ſq., Strabo lib. 1. p. 54, Pauſanias in *Laconicis*, ſive lib. 3. cap. 14. p. 241, & in *Phocicis*, ſive lib. 10. cap. 15. p. 834, Salluſtius in Jugurtha cap. 19, & Euſtathius in Dionyſ. Perieg. v. 213. Atque quidem anno 300. retro ab eo, quo ipſe ſcribebat, ideſt 310, ante Chriſti natalem 610, *Cyrenem* aedificatam conſignat Theophraſtus de Plantis lib. 6. cap. 3, ubi adeundus Dodwellus de Cyclis p. 904. Urbem *Cyrenem* viciſſim conditam anno U. C. 143, qui Chronologiam juxta ſuam fuit ante Chriſtum 609, refert Plinius lib. 19. cap. 3. Ex Eratoſthene vero Solinus Polyhiſt. cap. 40. p. 79. conditam vult Olympiade 45, ab Excidio *Trojae* anno 586, qui ipſius juxta computum ante Chriſtianam Aeram fuit annus 616. Ubi tamen ex ante Dionyſio ab Excidio *Trojae* anno 432. *Romam* conditam adfirmante, ab Urbe condita vero anno 136, quocum Olympias 45. concurrit, Solinum corrigendum, ac pro anno 586, reponendum annum 568, Petrus Olivarius ibid. in Not. rite obſervat. Ab Herodoto lib. 4. cap. 155. ſqq. *Cyrenem* a *Batto* conditam anno 716. ante Chriſti natalem; ab aliis anno 753; ab aliis anno 650. ſupponi indicare videtur Euſebius in Chron., ubi p. 399. Pindarum in Pythia Ode IV, a quo condita *Cyrenes* generatione 17. a *Medea* ponitur, ipſe pone ſequutus conditam Urbem Olympiadis 4. anno 1.

ſcri-

ſcribit, quam ad Epocham a *Medea* generationes 17. revera, ſive annos 500. interceſſiſſe ambigendum non eſt: qui rurſus p. 450. *Cyrenem* a *Batto* conditam [illegible] 37. anno, ut habet Uſſerius in Annal. Vet. Teſt. p.62, ſed Olympiade 39. ſubjungit: quod de Urbe exciſa, ac denuo inſtaurata perperam interpretatur Pontacus in Not. p. 81, verius Euſebium diverſas juxta Scriptorum veterum opiniones loquutum intelligi oportet. Ante Chriſti natalem anno 633. eam conſignat Nevvtonus in Chron. Vet. Regn. emend. edit. Ven. p. 31; cui hac in re negotium haud ullum ſane faceſſivit Freretus in Defenſ. Vet. Chron. Nov. Obſerv. Par. I. Sect. 3. p.84. ſq.; anno demum 631. adſtringere eamdem aliis placuit apud Morerium in Dict. Hiſt. T. II. p. 456. *Batti* porro Nummos *Cyrene* percuſſos ex Cimelio Reg. Franc. proferunt Bimardus de la Baſtie in Joberti Scient. Num. Inſtr. 1. T. II. edit. Ven. p. 9. ſq., Iſaacus Voſſius in Obſerv. ad Pomp. Melam loc. cit., Cuperus Antiq. Graec. T. II. edit. Ven. p.36, ex Joh. Wilde Theſauro Hemſterhus in Not. ad Jul. Polucem T. II. lib. 9. ſegm. 60. cap. 6. p. 1026. ſqq. Sed eos ad *Battum* IV. *Cambyſi* ſynchronum referendos fore veri ſit ſimilior Bimardi opinio. Sinceris vero in Nummiſ *Cyrene* cuſis, non *Batti*, uti Cupero, & Voſſio; neque *Mulieris*, ut Holſtenio in Not. ad Stephanum de Urbib. p. 179. ſq. viſum eſt; bene vero *Ammonis* tutelaris Libvae totius Numinis effigiem in parte antica, atque *Silphii*, fruticis ideſt in Cyrenaica magno olim in pretio; ad ficum accedentis, figuram, ſive *Laſerpitii*, unde ſuccus exprimebatur lacteus, qui inter delicias erat antiquitatis, quo de Theophraſtus loc. cit., Plinius, Pomponius Mela, Solinus loc. cit., Heſychius in Lex., Ariſtophanis Scholiaſtes ad Plut. v. 926, ac Suidas in βάττου σίλφιον Oper. T. I. p. 424, in poſtica expreſſam recte putat Hemſterhus. Poſt *Battum*, qui annos 40. regnaſſe traditur, *Cyrene* regnare perrexere *Arceſilaus* I. filius annis 16, quem excepit *Battus* II, cognomento *Eudemon*, ſive *Felix*, ac poſt ipſum Reges alii quinque, ideſt *Arceſilaus* II. Χαλεπός dictus, ſive *Perniicioſus*, *Battus* III. cognomento *Claudus*, *Arceſilaus* III, *Battus* IV, *Pulcher* adpellatus, & *Arceſilaus* IV, Pindaro celebratus, queis de Palmerius Exercit.

cit. in Herodotum lib.5. cap.159. p. 24, ubi recte Vallam *Batto* III. *Felicis* cognomen adscribentem refellit, alii Reges, inquam, quinque usque ad *Arcesilaum* IV. per annos 200. usque ad Olympiadis 87. annum 2, ante Christi natalem 431; quo *Peloponnesiacum* Athenienses inter, ac Lacedaemonios incepit bellum annis 27. duraturum; quove anno *Cyrenes* proprii facta primum juris, tumque perinde sub Tyrannorum jugo posita, in *Alexandri M.* postea, atque *Ptolemaei Lagi* potestatem transivit; a *Ptolemaeo Appione* deinde anno U. C. 658, ante Christum 96, Romanis testamento relicta, ab his *Autonomiae* restituta est; quae paullo post legitimis a Dominis facta defectione, a Romanis diruta promeritas luit rebellionis poenas; sed postea denuo instaurata pristinum recuperare splendorem visa est.

XLI. Quò demum patet diversa juxta fata, quae subjit, diversas in *Libya*, atque *Cyrenaica* Epochas obtinuisse; atque primo quidem annis putandis non alteram, quam peculiarem a Regum exordio usu Epocham venisse; receptum juxta veterem morem *Lacedaemoniis*, quo genere fuisse *Cyrenaeos* testatam rem faciunt Josephus de Bello Jud. lib.2. cap.28. Graec., Strabo lib.17. p.575, & Justinus lib. 13. cap. 7: quo perinde fit, ut pari computandi annos forma usi fuerint tam *Barcaei*, Urbis idest *Barce* in occasum a *Cyrene* sitae, a Fratribus *Arcesilai*, qui filius erat *Batti*, conditae, Herodoto teste lib.4. cap.160, Incolae, quae Urbs Libyae portum habebat ad Mare *Syrticum*, ubi postea condita *Ptolemais* fuit, de qua Strabo loc. cit., Plinius lib.5. cap. 5, Scylax in Periplo p.109, & Ptolemaeus lib 4. cap.4; quam *Psylli* ad Cyrenaicae meridiem positi, a *Psyllo* Rege denominati, teste Agatharcide apud Plinium lib. 7. cap. 2. Libera postea facta *Cyrene*, quae perinde de limite cum Carthagine certasse legitur apud Sallustium in *Jugurtha* cap. 79, novam inde cepisse Aeram videtur, ab *Autonomia* videlicet, quam rursus ab *Eleutheria* a Romanis denuo indulta, instaurasse *Cyrenaei* aestimari queunt. Postquam vero cum *Libya* integra *Cyrenaica* Regio sub imperium delapsa est *Ptolemaei Lagi* filio vi, armisque ab eo subjugata, qua de re Diodorus lib. 18. cap. 21, Strabo lib. 17. p. 971, Ju-

ſtinus lib. 13. cap. 6, Callimachus Hymno in Apoll. v. 68, ejuſque Scholiaſtes ibid., ubi conferendus etiam Spanhemius, quo a tempore *Cyrene* Nummi cudi cum *Ptolemaeorum* inſignibus in parte anteriori, & *Caſtoris* effigie in poſtica cepere apud Rhodium in Emend. ad Scribonium Larg. p. 127, Goltzium, Begerum &c., Aera *Lagidarum* uti deinceps *Libyos*, *Cyrenaeos*, *Troglodytaſque* cepiſſe haud dubium videri debet, uſque ad *Ptolemaeum Appionem*, a quo Romanos *Cyrenaicae* haeredes cum *Libyae* Pentapoli teſtamento ſcriptos fuiſſe referunt Livius Epit. lib. 70, Eutropius lib. 6. cap. 9, Sextus Rufus cap. 13, Julius Obſequens de Prodig. cap. 109, Ammianus lib. 22. p. 153. ſqq., S. Hieronymus, & Caſſiodorus in Chron., videndique Valeſius ad Ammianum Marc. loc. cit., Cellarius ad S. Rufum loc. cit., ac Geogr. Antiq. T. II. lib. 4. cap. 2. §. 37. p. 853, ubi S. Rufum, Ammianum, S. Hieronymum &c., *Cyrenaicam Ptolemaei* beneficio, *Libyam* vero ſupremo *Appionis* arbitrio Romanis fuiſſe adquiſitas ſcribentes emendandos ex Livio, Julio Obſequente, ac Eutropio docet, quibus uno a *Ptolemaeo Appione* cum Libya Cyrenaica Romanis teſtamento legata traditur. Adeundus etiam, qui de *Cyrene* diſſertationem conſcripſit egregiam Vir. Cl. Hardion Monum. Acad. Reg. Pariſ. T. IV. p. 545. ſqq. Ex Julio Obſequente vero loc. cit., Livio Epit. lib. 70, ac Euſebio in Chron. verſ. S. Hieron. T. VIII. p. 592. conſtat *Appionem* fato conceſſiſſe ſuo Olymp. 171, anno 1, U. C. 658, ante Chriſti natalem 96, *Cn. Domitio*, & *C. Caſſio Coſſ.*, eodem anno ab eo *Cyrenaicae*, & *Libyae* teſtamento Romanos ſcriptos haeredes fuiſſe, indeque ideo novam apud *Libyos*, atque *Cyrenaeos* Epocham fuiſſe inſtitutam. Quò fit, ut longo proinde errarint intervallo Simſonius, aliique Chronologi, quibus poſt annos 16, ſive ad Olymp. 175. annum 1. geſtum iſtud differtur. Videndus & Petavius Rat. Temp. Par. I. lib. 4. cap. 13. Tom. I. edit. Ven. p. 204. Verum & Euſebio erratum, duoſque *Ptolemaeos* diſtinctos fuiſſe, unum, a quo *Cyrenaicam* Olymp. 171, anno 1. Chron. p. 592; alterum, a quo *Libyam* teſtamento Romanis relictam Olymp. 178. anno 4. Chron. p. 601. ſcripſit; & cum Euſebio Jornandem, Sigonium de Antiquo Jure Provinc. lib. 1.

lib. 1. cap. 16. Oper. T. V. edit. Mediol. p. 530. sq., atque Scaligerum in Animad. Euseb. eodem in errore versatos observant cum Scaliger ipse, tum Valesius in Not. ad Ammianum loc. cit. Quamquam Eusebium turpi hoc ab errore abstergere Pontacus in Not. p. 207, atque Vallarsius in Not. p. 591. sq. conati sunt, ab Eusebio bona fide ex Antiquorum Scriptorum, ut facere amat, sententia factum interpretantes, ut diverso in loco, diverso tempore a diverso *Ptolemaeo*, diversimque *Libya*, atque *Cyrenaica* Romanis relicta referretur.

XLII. Postea itaque quam, universa cum Africa, Mauritania utraque a *Julio* Caesare, Numidia a *Claudio* Imp. Romana facta Provincia, *Cyrenaica*, *Libya*, atque *Troglodytis* ipsa usque ad *Syrtem* utramque in Romanorum potestatem transducta est, una cum Legibus, putandis quoque annis, unam, eamdemque suscipere formam compulsa est. Eoque maxime, quod in Africam plurimae deinceps Romanorum perinde ductae Coloniae fuere, aut *Coloniae* Romanae jure pleraeque Africae Urbes donatae fuere: inter quas *Cirtha* a *Julio* Caesare Colonia facta, Ptolemaeo teste Geogr. lib. 4. cap. 3, *Capsa* in Numidia, *Laris* eidem Ptolemaeo memorata; *Caesarea*, olim *Jol Jubae* Regia, & *Tipasa* a *Claudio*; *Icosion* a *Vespasiano*; *Rusconia*, *Kuzasus*, *Saldis*, *Tucca*, *Succubar*, *Tubusuptus* ab *Augusto*; *Carthago* etiam anno U. C. 631, ante Christi natalem 123. restaurata, eodemque anno Colonia ab *Augusto* facta; *Uthina*, *Tuburbis* &c. Plinio memoratae lib. 5. capp. 2, & 4, praeter Oppida quindecim Civium Romanorum: quibus omnibus haud sane dubium est, quin Epocha Romanis accepta usu & ipsis venerit, ostenduntque Nummi, ac Lapides Imperatorum annis, Coloniaeque titulo insigniti, velut Urbis *Leptis* anno 2. *Tiberii*, ac *Juliae* Coloniae nomine inscriptae in Nummis apud Ant. Augustinum Dialog. 6. p. 185, & Harduinum Num. illust. p. 94; *Carthaginis* Nummi sub *Augusto*, *M. Aurelio*, *Commodo*, *Severo*, *Caracalla*, *Decio Trajano* &c. cusi cum epigraphe Coloniae *Aureliae*, *Commodianae* &c.; *Zamae* in Numidia Regum olim Regiae Inscriptio vetus apud Gruterum p. 364, ubi *Coloniae Aeliae Hadrianae* titulo decorata legitur; *Babae* in

Mauritania Nummi sub *Claudio*, *Nerone*, & *Galba* Coloniae *Juliae* cognomen praeferentes apud Mediobarbum p. 85, Vaillantium T. I. p. 105. sq.; *Tingis* Nummi sub *Cajo*, & *Lucio* cum titulo *Juliae Traductae* apud Patinum in Svetonium cap. 65, Spanhemium p. 768, & Norisium in Cenotaphiis Pisan. differt. 2. cap. 1. Oper. T. III. edit. Veron. p. 137. sqq., ubi contra Patinum, Spanhemium, Vossium, Salmatium, ac Bochartum non a *Julio* Caesare, sed ab *Augusto* Coloniam eò deductam ostendit. Junge Nummos in *Mauritania*, ac *Numidia* in *Galbae*, *Hadriani*, *Antonini Pii* &c. honorem percussos, queis de fuse supra dictum est. Interea tamen in *Zeugitana*, ac in *Byzocena* Imperatorum beneficio pleraeque *Autonomia* insignitae Urbes, inde suos dinumerare annos occepisse videri poterunt: cujuscemodi in *Zeugitana* Urbes eo illustres privilegio memorantur Plinio lib. 5. cap. 3. sq. *Bulla Regia*, *Theudalis*, *Clupea*, *Curubis*, *Neapolis*, atque in *Byzacena* Urbes eodem *Autonomiae* titulo insignes eidem Plinio recensitae leguntur *Leptis*, *Adrumetum*, *Ruspina*, *Thapsus*, Straboni etiam lib. 17. p. 572. *Zella*, & *Achola* liberas inter Urbes memoratae; aliaque triginta Oppida libera *Acolitanum*, *Acharitanum*, *Avinense*, *Abziritanum*, *Canopitanum*, *Melzitanum*, *Madaurense*, *Salaphitanum*, *Tusdritanum*, *Tiricense*, *Tiphicense*, *Tunicense*, *Theudense*, *Tagestense*, *Tigense*, *Ulusuburitanum*, *Vagense*, *Vigense*, *Zamense*: queis sane Oppidis Nationes alias integras libere suis in Africa legibus utentes, suoque viventes jure Plinius ibidem adjungit, quales *Natabudes*, *Capsitanos*, *Misulanos*, *Sabarbares*, *Massilos*, *Nisives*, *Vamacures*, *Ethnos*, *Mussinos*, *Marchubios*, *&* *Gaetulos* ad flumen *Nigrin*, quo Africa ab Aethiopia dirimitur. Jungendae Urbes aliae eodem *Autonomiae* jure deinde in Africa donatae, veluti *Tingis*, quam sui olim juris fuisse refert Dio lib. 48. ad an. U. C. 716; *Hippo Regius Nervae* decreto in libertatem adsertus, cujusce singularis extat Nummus apud Seguinum p. 13, & Harduinum p. 67. inscriptus *Hippo libera NE.*, *Nervae Edicto*, uti legendus Harduino videtur; Libyae *Pentapolis*, ideft *Berenices*, *Arsinoes*, *Ptolemais*, *Apollonia*, *Cyrenes*, quae a *Pto-*

a *Ptolemaeo Appione*, uti dictum, Romanis testamento relictae, ab *Augusto* vero libertati restitutae novam inde ab *Autonomia* Epocham inire visae sunt. Donec Romanam in Provinciam redactae ad veterem Romanorum Aeram Urbes hasce rediisse liquet ex Nummis *Berenicis* cum anno 8. *Antonini Pii*, *Arsinois* cum annis 11, & 13. *Hadriani*, ac 20. *Trajani*; *Ptolemaidis* cum annis *Titi* apud Spanhemium p.898, & Goltzium p.210; *Cyrenis*, cujus insignem exhibent Nummum in *Augusti* honorem, a quo libertatem adepta cum Libyae *Pentapoli* videtur, procusum Goltzius p.219, & Harduinus p.90. cum Epigraphe: Κυρανειων Της Ιερας, και Αυτονομου *Cyrenensium Sacrae*, *ac liberae* Civitatis; qua libertate donatam a Romanis Urbem refert Livius Epitome lib.70. Quae tandem a Tyrannis oppressa, a Romanis vindicata in Provinciae formam redacta fuit Belli Cretici tempore, idest Olymp. 177, U.C.684, ante Christianam Aeram 70. circiter, testibus Livio loc. cit., ac Eutropio lib.6. cap.9.

XLIII. Africa denique, postquam Aerae Christianae anno 430. collecto e Vandalis, & Alanis Militum 80000. exercitu a *Genserico* occupata, ab eoque per annos 46; ab *Unnerico* filio a Christi anno 476. per annos 7, ac Menses 10; a *Gondebaldo* ab anno 484. per annos 12; a *Trasimundo* fratre ab anno 495. per annos 27, ac Menses 4; ab *Ilderico* a Christi anno 522. per annos 7; a *Gilimero* fratre ab anno 530. per annos 4. retenta fuisset; a *Justiniano* I. vero *Belisarii* ducis ope, *Gilimero* capto, anno 534. recuperata fuisset; Graecis erepta ab *Abdallabo* ben *Saadi* fratre ex Matre *Othomanni* ben *Offani* Kaliphae, qui *Amruo* in Praefectura Aegypti *Hegirae* anno 26, Aerae Christianae 646. a die 16. Octobris ineunte successerat, magna ex parte anno inseq. occupata est, referente Abilfeda in Annal. Moslemicis edit. Joh. Jacobi Reiskii Lips. 1754. p.77.sq. Quam perinde tyrannice obtinere perrexere cum primum eidem Africae praefectus ab *Harouno Rascido* Kalipha *Omajidarum* Dynastiae *Ibrahimus* ben *El-Aglabi* apud Abilfedam p.165, & 230; tum perinde ejusdem Ibrahimi posteri *Aglabitae* XI. ab anno *Hegirae* 184, Christi 800. a die 1. Februarii per annos 108, usque ad Hegirae annum 296,

Aerae

Aerae Christianae 908, quo *Aglabitarum* Dynastia exterminata est. In Africae parte altera per tyrannidem occupata imperare cepit *Madraridas*, indeque Dynastiae *Madraridarum* posteri rerum ibidem potiti sunt per annos 130. Reliquis Africae Provinciis invasis, in Regni partem irrupit primo *Rollamus*, ejusdem Saraceni genus homo, ac post ipsum subingressi *Rostamidarum* in Dynastia praedones tyrannidem exercere per annos 160. perrexere. Tribus postremo Dynastiis hisce funditus deletis, absorptisque, vi, armisque subjugata, Africa universa potitus est *Hegirae* anno 296, Aerae Christianae 908, a die 30. Septembris exordio ducto, *Abou Mohammedus Obeid Allah*, cognomento *Al-Mahadius*, a quo Dynastiae *Fathemitarum* in Africa novi Imperii, sive Kaliphatus fundamenta jacta fuere, qua de Dynastia Abilfeda p.230. sqq., nosque fusius infra. Atque per annos 272. quidem *Fathemitarum* Imperium in Kaliphis XIV. in Africa pene universa perseveravit, usque ad annum idest *Hegirae* 567, Christi D. a die 4. Septembris annum 1171; quo una simul cum Aegypto in *Saladini*, a quo *Ayobitarum* perinde Dynastiae in Aegypto, & Africa exordium factum est, potestatem Africa tota ferme devenit.

XLIV. Quamquam in Minoribus Africae Regionibus aliis, Saracenorum, seu Arabum Dynastiae regnasse perinde aliae leguntur. Bugiae, & Algerii *Zeiridae* IX, ita a Dynastiae fundatore *Aboulfuth Balkin Jousouf* filio *Zeiri*, e Dynastia *Hemiaritarum* in Arabia prosato, denominati ab Hegirae anno 324, Christianae Aerae 935. usque ad Hegirae annum 543, Christi 1148. Ad Bugiae meridiem versus Montes *Hammadidae* IX. a Dynastiae conditore *Hammado*, genere *Zeirida*, dicti ab Hegirae anno 387, Christi 997, usque ad annum Hegirae 547, Christi 1152. Segelmessae, Fessae, Marochii, Ceutae, Sale, Tangerii &c. *Almoravidae* V, cui ortum Dynastiae fecit *Aboubechrus Essadiq* filius *Oomari*, e Dynastia & ipse *Hemiaritarum* procreatus, ab Hegirae anno 453, Aerae Christianae 1061, usque ad annum Hegirae 541, Christi 1146. His ipsis in Urbibus, *Almoravidarum* exterminata Dynastia, Regnum occuparunt *Halmohadae* XIV, cui ortum

ortum Dynastiae fecit *Mahadi Abou Abdallah Mohammedus* Hegirae anno 514, Aerae Christianae 1120: a quo perinde Hegirae anno 546, Christi 1151. Bugia capta, *Hamadidarum* extincta Dynastia est, armisque Hegirae anno 554, Christianae Aerae 1159. captis Urbibus aliis Mahadia, Tuneto, Saphacasia, Tripoli, Cebe &c. amplificatum Regnum est: quod ante obitum tres inter filios ita distribuit, ut *Abou Mohammedo* Bugiae Regio, *Aboulhassano Ali* Fessanum Regnum, *Abousaido* Ceuta Urbs, Khadra Insula, & Mahaca atributae fuerint. Verum & haec Dynastia Hegirae demum anno 668, Christi 1269. a *Merinitis*, sive *Zenetis* eversa est. His originem fecit Hegirae anno 129, Aerae Christianae 746. *Aboucara El Magbili* Telmesa Urbe, ac Regione occupata: postquam ab Hegirae anno 656, Christi 1258. ab ipsius posteris *Seriphis* XVIII. in Fessae, Marochii, Tremesae, Bugiae, Tartessae, Constantinae, Tuneti &c. Urbes propagatum imperium est. Quae *Merinitarum* Dynastia demum Hegirae anno 763, Aerae Christianae 1361. ab *Oatazidis* destructa est; hisque ab Hegirae 906, Christi 1500. successere *Seberiphi*, quorum Dynastiae auctor fuit *Hassanus* genere Numida, Marochii Regni sede defixa, ubi regnare *Seriphi* XVIII. usque ad Hegirae annum 1144, Christianae Aerae 1731, aliique ad hanc usque diem regnum obtinuere. Tremesae adhaec in Urbe, ac Regione a Fessa haud longe sita Arabum olim Dynastia altera *Senabedgiensium* regnasse fertur: qua exterminata, Regnum occuparunt *Beni-Ziani*; quae Dynastia *Abou Tabiae* ortum Hegirae anno 646, Christi 1248. debet, ex ipsaque *Seriphi* VII. regnare perrexere, donec in Fessanum transfusum Regnum hoc fuit. Tuneti etiam olim, ac Bugiae deinde *Abou-Haphidae* genere *Nigritae* regnasse leguntur, Dynastia ibi fundata ab *Abdol Ouabedo* Hegirae anno 603, Aerae Christianae 1206; ubi Seriphi XVIII. regnare perrexere usque ad Hegirae annum 890, Christi 1485, quo a Turcis capto Tuneto, Bassae praefecti sunt. Sed hisce demum Hegirae anno 1003, Christianae Aerae 1594. expulsis, Tuneti Reipublicae forma, sicut & Algeriae, ac Tripoli constituta est. Queis de Arabum, Nigritarumque Dynastiis in Africa diversa sub aetate fundatis,
prae-

praeter Abilfedam loco cit., qui prae aliis fusius diversa haec Africae fata persequitur, adiri poterunt AuctorChronici Orient. Petrus Benrahebus edit. Asemani Ven. p. 41. sqq., 54. sqq., 58. sq., &. 66. sq., itemque Herbelotus, a quo multa in hancce profecto rem e Scriptoribus Arabibus rerum Moslemicarum congesta sunt in Bibl. Orient. p. 60, 66, 69. sq., 342. sq., 529., ac 742. sq., De Guignesius Hist. gen. Hun. T. I. Par. I. lib. 6. p. 362. sqq., & T. IV. in Addit. p. 341. sq., atque Reiskius in Not. ad Cluverii Introd. Geog. lib. 6. cap. 8; Buno quoque ibid. in Not. p. 650. sqq. Quo profecto a tempore, atque deinceps hanc usque in diem in Africa usu *Hegiram*, qua de postea, venisse non utique dubium est: atque de Africanis Epochis satis jam, opinor, atque super.



DE

DE EPOCHIS, SIVE AERIS

Abyssinorum, seu Aethiopum, Arabum, Bostrenorum, Petraeorum, Agarenorum, Rabbath-Ammonitarum, sive Philadelphiorum, Rabbath-Moabitarum, Arethusiorum, Philippopolitarum, Canathaeorum &c.

ARTICULUS II.

I. AD *Aethiopes*, vulgo *Abyssinos* me nunc vocat oratio, quorum haud meliori profecto ratione antiquissimas deprehendi, attingique puto Epochas posse, quam ad ipsorum primum Antiquitates, primasque viribus, quibus valere possimus, Origines eluctando. Atque principio, quod ad nomen, ac situm attinet, *Aethiopes*, queis de nobis heic incidit sermo, primum *Aetherios*, postmodum *Atlantios*, postremo de *Vulcani* filio *Aethiope* cognominatos *Aethiopes* fuisse auctor inter alios est Plinius Hist.Nat. lib.6. cap.30. Ab hisce porro diversi sunt *Aethiopes*, quorum frequens in S.Scriptura occurrit mentio. Antiqua enim vero Hebraeis traditio est כוש *Chusch* nomine *Aethiopiam* intelligi, & כושי *Chuschi* significari *Aethiopem*: atque ita ubi Hebraeus, Chaldaeus, ac Syrus *Chus* habent, Graecus, Vulgatus, & Arabs Interpretes *Aethiopiam* legunt Genes. II. 13, Isajae XI. 11, XVIII. 1, & XX. 3. sqq., Hierem. XIII. 23, Ezech. XXIX. 10, & XXX. 4, Sophoniae II. 12, & III. 10, alibique; sic & Josephus Antiq. Jud. lib.1. cap.7, S. Hieronymus Quaest. in Gen. cap.10, aliique. *Aethiopes* jam vero istos supra Aegyptum, ad Septentrionem idest spectantes, fore quaerendos communis Interpretum in cit. S. Scripturae loca sententia est; queis *Chusch*, ubi Rex fuisse *Tirhaca* legitur IV.Reg. XIX. 9, cum Graeco, Vulgato, & Arabe Interprete *Aethiopiam* legentibus, *Aethiopiam* accipi, non priorem, quae in Regione *Madian* est, sed posteriorem collocatam post Aegyptum, observat Polus in Synopsi Crit. Sacr. ad cit. Reg. loc. T.I. p.685. Contra vero *Chusch*

nomine *Aethiopiam* in S. Scriptura designari quidem fatentur, ast hanc in Arabia quaerendam fore, atque in *Petraeae*, ac *Felicis* parte, quae Aegypto proxima est, vult Bochartus in Phaleg lib.4. cap.2. Oper. T. II. p. 209. sqq.; quem perpetuo sequitur Clericus in Comm. ad Gen. II.13. T. I. p. 23, ubi duplicem *Chus* distinguendam opinatur, ad Mare Rubrum unam, quae *Madianitis* fuerit, in Syriae Regione alteram, quae *Cassiotis* adpellata Geographis legitur; atque de priori *Madianitide* plura congerit post Bochartum in Comment. ad Gen. X. 6. p.89, eaque de accipiendum IV. Reg. xix. 9. locum censet in Comment. ad hunc loc. p.495; de posteriori vero *Cassiotide* loqui Moysem Gen. II. 13. In Arabia vero *Deserta*, quae ad Persicum Sinum, & ad Euphratis, ac Tigris ostia pertingit, *Aethiopiam* hancce, *Chusch* adpellatam, consitam fuisse putat Harduinus in Chron. Vet. Test. p. 536, & 558; in *Petraea*, & *Deserta* Cellarius Geog. Antiq. T.II. lib.4. cap.8. p.952.sq.; Rubrum prope Mare Waltonus Proleg. xv. de Lingua Aethiopica edit. Tigur. p. 431; cum Cellario facit ipsius Annotator Schvvartzius in Not. ad lib.3. cap.14. p.595, & in lib.4. cap.8. p.952; in Arabia *Felice* censent Samuel Shuckfordius in Hist. Mundi Sac., & Prof. T.I. lib.3. p.163. sqq., ejusque Scholiastes Eduardus Bernardus ibid. in Not.

II. Momenta, queis maxime nituntur, ejusmodi sunt. Ezechielis xxix. 10. enim desolatio Aegypto superventura describitur ab uno ejus termino ad alterum hisce verbis: מִמִּגְדֹּל סְוֵנֵה וְעַד־גְּבוּל כּוּשׁ. *Mimmighddol Seveneh Veaad Ghebul Chusch*, hoc est, velut habent Hebraeus, atque Syrus, *A Turre Seveneh, & usque ad terminum Chus*; ut vero Graeca LXXViralis legit Ἀπὸ Μαγδώλου καὶ Συήνης καὶ Ἕως Ὁρίων Αἰθιόπων *A Magdolo, & Syene usque ad terminos Aethiopiae*, atque ita etiam Arabs Interpres; *A Turre Syenes usque ad terminos Aethiopiae* Vulgata, & Paraphrasis Chaldaica. Jam vero *Syene* Peninsula est Aegyptum separans ab Aethiopia, ad Austrum posita, quae sicut olim Romani Imperii, sic hodie Turcici limes est; ideoque *Chusch* Regio ad Septentrionem opposita esse debet; atque ideo non *Aethiopia*, sed Arabia, idest Aethiopia non supra Aegyptum, sed in Arabia sita intelli-

telligi debet. Adhaec auctor est Xenophon Cyroped. lib. 8. p.233, & 238. *Cyri* Imperium a Meridie pro termino Aethiopiam habuisse, quam ideo partem Arabiae fuisse oportet. Arabiae quoque pars utique fuit *Aethiopia*, quam imperio subjugasse suo *Semiramis* dicitur Justino lib. I. cap. 2. Non ex India, veluti Cellario visum est Geog. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 16. p. 651, nec ex Aethiopia supra Aegyptum consita, bene vero ex Arabia Aethiopes advenisse veri fit valdequam simile, quos ab Assyriae Rege cum *Memnone* missos *Priamo* Troadis Regi auxilio refert Diodorus lib. 2. cap. 6. p. 54. edit. Castal. Basil. Aethiopes iterum Arabes fuere profecto, quos in Exercitu, subditos idest, habuisse *Xerses* traditur Herodoto lib. 7. cap. 69. Praeterea IV. Reg. XIX. 9. *Tirbaca* Aethiopiae Rex Graeco, Latino, Arabique Interpreti dicitur, qui adversus *Sennacheribum* Assyriae Regem, dum obsidione *Libnam* Judaeae Urbem premebat, auxilio Judaeis advenisse legitur: quis vero putet *Tirbacam* ex adversa Aegypto parte, Aethiopia idest, advenisse, ita ut tota ipsi transmittenda Aegyptus fuerit, Regio nempe milliarium 400, aut 500, ut Judaeis opem praestaret, ac non potius ex propinqua eum advenisse Arabia? Postremo II. Paralip. XXI. 6. contra *Joram* Regem Judae insurrexisse leguntur Philistaei, & Arabes, qui confines Aethiopibus sunt. Ast enim Arabiam inter, ac Aethiopiam, quae supra Aegyptum posita est, Aegyptus interjacet: itaque Aethiopes hi Arabibus confines in Arabia *Felici* inhabitasse, Arabes vero Philistaeis confines Edomitae fuisse, Arabiae *Petraeae* Incolae, inter Philistaeos, & Arabes *Felicis* Arabiae Accolas constituti, putandi sunt. Non moror autem Grotium ad Ezech. XXIX. 10. Critic. Sacr. T. III. edit. Francof. p. 475, & apud Polum in Synopsi Crit. Sacr. T. III. p. 1256, qui מגדל *Magdolum*, haud Turrem, sed Urbem fuisse ad Aegypti ingressum e Palaestina advenientibus positam censet; *Syenem* vero in adversa Aegypti parte Aethiopiam euntibus constitutam. Ut enim recte observat Eduardus Bernardus in Not. ad Shuckfordium p. 164. tam in Hebraeo Textu, quam in Graeca, Syriaca, Latina, & Arabica Versione, non a *Magdolo* usque *Syenem*, bene ve-

ro a *Magdolo*, atque *Syene* usque ad terminos *Chusch*, seu *Aethiopiae* habetur. Sed hisce de hactenus.

III. In viam modo regrediendo, de *Aethiopibus* heic sermo nobis est, haud de his in Arabia positis, neque de illis, quos in Asia ad Indum praesertim inhabitantes commemorant passim Ephorus in Orat. de Europa apud Strabonem lib.1.p.59, ipse Strabo lib.15. p.1012, Herodotus lib.3. cap.94, ac Philostratus in vita Apollonii lib.6. cap.1. p.229, & lib.3. cap.20. p.110, ubi conferendi Olearius in Not., ac Thevenotus Itin. Par.III. lib.1. cap.32. p. 109; bene vero de *Aethiopibus* loquendum heic adsumpsimus, qui in Africa supra Aegyptum, tam ad Orientalem, quam ad Australem plagam, atque Occidentalem quaerendi sunt, inter 8, atque 16. circiter Latitudinis Septentrionalis gradum. Ubi Regna xxx. hodie adhuc dum numerantur Ludolpho Hist. Aethiop. lib.1.cap.3, ac Reiskio in Not. ad Cluverii Introd. Geog.lib.6.cap.9. p.659.sq., olim longe plura, quae ad quinque supra quadraginta numerari sua adhuc sub aetate Plinio lib.6. cap.29. fas fuit; inter quae hodie praecipua Simem, Amhra, Tigra, Adela, sive Zeila, Dambea, Bale, Doara, Oygera, Hadia, Magadoxo, Melinda, Quiloa, Mangalo, Gaffata, Damuta, Coucha, Gojama, Dembia, Agoa, Subia, Nubia, Sofala, Bethmaria &c. memorata leguntur Johanni Bermudezio Patriarchae Aethiopiae in Relat. ad Sebastianum Portug. Reg. apud Purchatium *Pilgrimes* lib.7. cap.7. p.1149. sqq., & Crozaeum in Histor. Christ. Aethiop. lib.2. p.89. sqq., aliisque recensita nominibus pleraque Cluverio videas Introd. Geog. lib.6. cap.9, ibique Bunoni in Not. p.657.sq.Regnis hisce vero Praefecti, *Musasynoth* genti vocati, supremo Aethiopiae Imperatori, qui *Nyagusa*, sive *Nagasythy* Amhrica nuncupari lingua solet, idest *Rex Regum*, obnoxii sunt. Aethiopiae sed enim ab *Augusti* tempore imperasse subinde Foeminas *Candacis* nomine indicatas plerasque fidem etsi nobis faciant indubiam Acta Apost. VIII. 27, Strabo lib.17. p.820, Plinius lib.6. cap.29, ac Dio lib.54. p.524, id tamen ad retro pleraque tempora non est trahendum, quasi a prisca ad sequiorem aetatem apud Foemi-

nas

nas in Aethiopia rerum summa integra steterit, stareque devexiori sub aetate perrexerit, veluti persuasum ivit Eusebio lib.2. cap.1, S.Joh. Chrysostomo Hom.19. in Acta, Baronio ad an.35. n.27, Grotio in Acta loc.cit., qua de re videndi Tillemontius in Monum. Hist. Eccl. edit. Bruxell. T.II. Par.I. p.359. sqq., ac Dounaeus in Not. ad S.Joh. Chrysost. loc. cit. Oper. T.IX. edit. Montfauc. p.154. Eosdem ast enim, qui Graecis, atque Latinis *Aethiopes*, deducta a verbo Αἴθω, quod est *Uro*, ut qui a *Solis* vicinitate ita uruntur, ac torrentur, ut atro sint colore Hierem.XIII. 12., derivatione, vocantur, velut observant Joh. Gotef. Oertelius in Theolog. Aethiop. Hist. p.1.sqq., Waserus in Not. ad Gesnerum in Mithrad. cap.2. p.89, & 92, Bochartus Geogr. Sac. Par.I. lib.2. cap. 23. p.126. sq., Scaliger de Emend. Temp. lib.7. p.680. sqq. in Not. ad Computum Aethiop., Waltonus in Appar. Bibl. Proleg.XV. edit. Tigur. p.411. sq., ac Reiskius in Not. ad Cluverii Introd. Geog. lib.6. cap.6. p.645, eosdem, inquam, Hebraeis olim non a כוש *Chus* in Africa, uti persuasum Vulgatum post Interpretem fuit Philoni, Josepho, Eusebio, S. Hieronymo, Eustathio in Hexam., & AuctoriChron.Alex., qua pro sententia postBened.Perrerium, Interpretesque vulgo alios contra Bochartum stare, pugnareque ita pergit Oertelius loc. cit., sed a לוד *Lud Mizraimi* filio in Arabiam, inde in Aethiopiam profectos, לודים *Ludaeos* Isaj.LXVI. 19, Hierem.XLVI.9, ac Thalmudistis in *Baal Aruch* dictos fuisse, multis suadere nituntur Bochartus in Geogr.Sacr. Par.I. lib.4. cap.2. sq., & cap.26. Oper. T.II. p.209, sqq., & 263. sqq., Reiskius loc. cit., ac Waltonus cit. Proleg. XV. p.411. sqq. Arabibus porro adpellari *Chabatti*, seu *Habassi*, quo Nationes genere diversae significantur nomine, solent, unde adspiratione dempta, *Abyssini*, vel *Habessini* vulgato nunc vocabulo iidem universim audiunt derivato, vel a *Domibus*, quas *Abases* Aegyptii vocant; vel a fluvio *Abaso*, quo Aethiopia irrigatur; vel a Vitae genere, quod *Abases* Gentes dispersas significat; vel ab *Habasch Chuzi* filio, ut Herbeloto Bibl. Orient. p.409. visum est; vel ab Insula *Abisa* in ora Maritima Arabiae *Felicis* ad sinum Sachaliten Pausaniae lib.6. in fin., Ptolemaeo, ac Stephano memorata, unde in Aethiopiam Colo-

Coloniae transductae sint, velut Holstenio in Not. ad Stephanum de Urb. p.2. persuasum est; vel ab Urbe Arabiae סבא Diodoro memorata, quae a sinistra lecta est *Abas* Abyssinis ita legentibus, Arabibus a dextera legentibus est *Saba*, e qua in Aethiopiam ducta fertur Colonia, uti Stephano Morino Differt. de Cognat. Laced., & Hebr. p.4. magis placuit; videndique Castellus, Golius, & Johan. Fridericus Nicolaus in Lex. ad hanc vocem.

IV. Atque haec de nomine quidem: ad rem ipsam modo, quod attinet, Herodoto lib.4. cap.186. *Ammoniis*, qui Aegyptiorum Coloni erant, ac Aethiopum, lingua inter utrosque media olim usurpata fuisse refertur. Diodoro quoque lib.3. cap.1. p.70 Aethiopibus eaedem ab initio litterae, quae Aegyptiis *Hieroglyphicae* erant, fuisse usurpatae adfirmantur; easque hi quin etiam ab illis accepisse. Quin utrique Genti Aegyptiae, & Aethiopicae communes fuisse Parentes veri fit valdequam simile, ut modo innuimus, *Mizraimum*, a quo Aegyptii, ac *Ludum*, *Mizraimi* filium, a quo Aethiopes propagati fuerint: unde fieret, ut eadem Aethiopibus, quae Aegyptiis propria erat, usu pariter Epocha primum venerit. Quamquam eorum, qui Aethiopes Arabicae esse originis, Arabiaeque olim accolas in Africam deinde transplantatos existimant, veluti Fourmontius in Differt. de Orig., & Antiq. Aethiop. Monum. Acad. Inscript. T. V, Stephanus Morinus in Differt. de Abyssinis, La Croze in Hist. Christ. Aethiop. p.79, Leibnitius in Medit. de Orig. Gent. Miscell. Berolin. T. III. p.4, haud improbabili sane opinione, qua de supra Volum. II. Artic. I. de Mens., & Annis Aegypt., Aethiop. &c., non alteram primum, quam *Arabicam* olim apud Aethiopes invaluisse Epocham dicendum profecto foret. Quia tamen Aethiopes ipsi *Chaldaeos* semet nuncupant, atque Aethiopum plane linguam a Chaldaea, Assyria, & Hebraica proxime abesse, utpote quae ab Hebraea, Assyria, & Chaldaea originem duxit, observatum fuerit Auctori Chron. Pasch. edit. Ven. p.24. sq., Waltono in Proleg. XV. de Ling. Aethiop. p.414, Scaligero in Not. ad Comp. Aethiop., Mariano Victorio, & Achilli Venerio in Praefat. ad Grammat. Aethiop. Romae editam an.1550. & 1630,

& 1630, & Wasero in Not. ad Gesn. Mithrad. cap 2; quin etiam ex collatione utriusque linguae Chaldaicae, seu Hebraicae, atque Aethiopicae in Versione Bibliorum facta a Postello, a Scaligero, a Munstero in Gram. Chald., a Waltono loc. cit. liquido de utriusque affinitate constet, (quamquam postea hancce praeter antiquam, quam Charactere *Estrangelo*, ut vocant, sive Capitali exaratam *Surianam*, ac *Sanctam* nuncupant, qua nempe sacra exarata sunt Volumina, gemina Aethiopibus alia, cum diversis Characteribus, usurpari Dialectus ceperit, Sacra una *Syriaca* pro usibus sacris, Vulgaris altera *Geez*, idest *Libera* denominata, parum tamen a Syriaca differens, qua Psalmi, Cantica, & Novum Testamentum scripta conspiciuntur, Romae a Petro Aethiope vulgata, ut observant Kircherus in Prodromo Copt. cap. 3. p. 46, ac Waltonus loc. cit; antiquissima vero Aethiopica Bibliorum Versio a S. *Frumentio*, Aethiopibus Abba *Salama* nuncupato, adornata Christi anno 348. circiter visa est Ludolpho Hist. Aethiop. lib. 3; quae nunc autem usu Aethiopibus est Vet., & Nov. Test. Aethiopica Versio, ea haud ex Arabica, uti visum Patribus Soc. J. in Epist. Ann. lib. 1. cap. 15. ad an. 1607, & 1608. p. 28; sed e Copticis Bibliis, quae ipsa a Graeco desumpta fuere, elucubrata fuit, veluti scite advertit vir Cl. Stephanus Evodius Assemanus in Catalogo Cod. Mss. Bibl. Mediceae p. 59.); quin imo multas olim ex Assyria in Aethiopiam Colonias transmigrasse referat Nicephorus lib. 9. cap. 18, queis cum ideo, Assyriis cum Characteribus, traductam etiam linguam arguunt Duumviri mox laudati: inde fit, ut prima, quae apud Aethiopes Epocha putandis annis usurpata fuit, ea plane fuisse putetur, quae Chaldaeis, aut Assyriis, aut Hebraeis veteri posita in more fuerat. Atque pro *Hebraea* quidem id praeterea facit, quod cum Hebraeis communia multa olim, hodieque dum, habuerint Aethiopes, Circumcisionem, quam a *Sadochi* filio, *Salomoni* aetati suppari, accepisse se ferunt apud Herbelotum Bibl. Orient. p. 409. sq.; Abstinentiam a cibis *Mosayca* lege interdictis; Sabbathi observantiam, Caeremoniasque Judaicas alias, queis de Oertelius in Hist. Theolog. Aethiop. p. 6, 57. sqq., & 182. sqq., ac La Croze in Hist. Aethiop. lib. 1. p. 78. sq.

Atqui

Atqui cum Aegyptiis viciſſim tam Anni formam, quam annis putandis Aeram, ſive Periodum Aethiopes habuiſſe communem, una cum Coloniis ſive in Aegyptum ab Aethiopibus, quod aſſerit Diodorus lib.3. cap.1. p.170, ſive in Aethiopiam ab Aegyptiis tranſplantatis inlatam, nec ullus inficias ego quidem ibo, nec ei qui adfirmet, ullatenus repugnabo. Equidem ab Herodoto lib.2. cap.106. memoriae proditum eſt ante *Seſoſtrim* rerum in Aegypto potitos Aethiopes Reges octo ſupra decem fuiſse: quod veritate ſi nititur, argumento id eſt profecto ab Aethiopibus, quod etiam ſcripſit Lucianus, Aegyptios cum Aſtrologiae ſcientia, Anni rationes, anniſque dinumerandis Aeram accepiſse.

V. Sed enim ante *Seſoſtris* aetatem ſiquidem cuncta, quae de Aethiopia circumferri ſolent, aut fabulis undique ſcateant, aut nullo ſatis fulciri ſolido documento queant, in incertoque, atque obſcuro cubent omnia, primam ideo Aethiopum Epocham a *Seſoſtris* aetate, Regnoque in Aethiopia inito deducendam fore ſatius, atque ſuper arbitror: quae non altera profecto Aera putanda eſt, quam *Aegyptiaca* ipſa prima, ſub *Seſoſtri* in Aethiopiam poſt inlata, quam ab ipſo ſub jugum poſita Aethiopia fuit. Verum de *Seſoſtris* perſona, aetateque valdequam diſputant in utramque partem Viri docti, quibus alioqui cum Muſis rationes optime deductae ſunt; quorum ideo opiniones nobis ad incudem ante revocandae incumbunt, quam quae veri haberi ex hiſce ſimilior, nobiſque amplexanda ſtatuatur. *Seſoſtrim* itaque fuiſſe *Salmanaſarem*, adeoque *Ezechiae* Regi Judae coaevum, a quo decem Iſraelis Tribus ductae fuere captivae, falſo perſuaſum habuit Capellus in Chron., derelictus ab omnibus. Fuiſſe *Seſachum* putavere Conringius in Adverſariis Chronog., Torniellus in Annal., Marshamus in Can. Chron. p.22, & 299, qui ejuſdem quinimo ſententiae Joſephum accerſit, (a qua tamen Joſephus longo diſtaſſe intervallo oſtenditur Perizonio in Origin. Aegypt.; Cumberlando in Hiſt. Sanchon. lib 2. ſect.4, & Pridaeo in Not. ad Marm. Oxon.), Marshamum pone ſequutus Joh. Clericus Comm. in III. Reg. XI. 40. p.404. ſq., a Perizonio etiam refutatus Orig. Aegypt. p. 108. ſqq., Bochartus in Geogr. Sacr. Par. I. lib. 4. cap.31.

cap.31. sq. Oper. T.II. p.285. sqq., eamdem cum Marshamo Josepho Antiq. Jud. lib.8. cap.4. opinionem appingens, Stillingfleetus Origin. Sacr. capp. 1, 5, & 8, Petavius Ration. Temp. T.I. Par.I. lib.2. cap.1. edit. Ven. p. 59. secum pariter in sententiam Josephum rapere adnixus, a qua tamen, ut innui, opinione Josephum abunde liberat Perizonius Orig. Aegypt. Investig. cap.8. sq., Nevvtonus in Chronolog. Vet. Regn. emend. cap.2. edit. Ven. p.144. sqq., Soucietus in Epist.5. advers. Nevvtoni Chronolog., quem ideo *Sesostrim Roboamo* aetate supparem faciunt. Fuisse *Sesostrim* vicissim eumdem, atque *Chuzan Rasathaim* Syriae Regem, aut *Memnonem* Aethiopem ex Arabia in Aegyptum illapsum credidit Blanchinius Hist. Univ. Decad. III. Seculo xxx. cap.30. §.25. sq. p.441. sqq., eumdem nempe, qui Hermapioni sub *Augusto* in explicatione Obelisci Aegyptiaci ad Lateranum erecti *Ramesses* dictus est apud Ammian. Marcellinum Hist. lib.17, ab Hebraeo רעה *Robe*, quod est, *Pastor*, & עשׁת *Hastat*, quod est *Illustris*, quasi *Sesostris Pastor illustris* fuerit: unde derivatas voces *Hastreh*, & *Hastheroth* observat, quibus *Ovium* figuras pro Deabus olim cultas Sidoniis, ac Philistaeis ex R. Kimchio apud Buxtorfium refert, indeque profectas *Junonis* cum *Caprae* capite apud Ursinum in Gente *Fabatia*, atque *Jovis* cum Arietis capite effigies observat apud Spanhemium p.35, Morellium in Specim. Rei Num. Tab.xvi. p. 124, ipsumque Blanchinium cap.20. p.231; qui cum *Sesostri* eumdem facit etiam *Memnonem* cit. cap.30. §.49. p.472. sq., Diodoro lib.2. cap.6. p.54. memoratum, qui ex Aethiopia, & Arabia in Aegyptum irrumpens rerum ibi potitus fuerit. Sed eum refellit Perizonius ex Diodoro lib.1. cap.1. p.25. sqq., Strabone lib.16. p.769. a *Sesostri* in Aethiopiam, & Arabiam expeditionem fuisse adornatam, atque ex Herodoto lib.2. cap.102. in Aethiopia proprium *Sesostris* aetate Regem fuisse adfirmantibus. Ante *Moysem* e converso Aegyptiaca sub Captivitate floruisse *Sesostrim* opinantur P. Abrahamus in Pharo lib.8, ac Tourneminius in Ephemer. Trevolt. Artic.2. Septemb. 1712, & in Adpend. Menochii Oper. T.II. dissert.5. edit. Ven. p. 414. sqq., ea potissimum ratione moti, quod *Philistaeos*, & *Caphtoraeos* Gen. x. 14. Coloniam fuisse a *Se-*

sostri in Aegyptum transductam existimant. *Moysi* vicissim aetate supparem *Sesostrim* faciunt Hornius de Origin. Gent. Americ. lib.4. cap.4. p.235. sq., & Usserius in Annal.Vet.Test. p.18, quem pone sequitur Rollinus in Hist. Antiq. Aegypt.&c. T.I. p.129. sqq., & T. XIII. p. 14, eumdemque, qui Manethoni apud Josephum adv. Appion. lib. 1. *Sesostris*; qui *Rhamses* Tacito in Annal. lib.2. cap.60; qui Diodoro lib. 1. p.48, & 54. *Sesoosis*; qui *Ramesses* Syncello in Graecis Euseb. Scaligeri p.26. sq.; qui *Sesostris* Herodoto lib.2. cap.102. dicitur, fuisse probe advertens; *Sesacbum* vero, aliis *Sesonchim*, longa post aetate floruisse, atque *Salomoni* fuisse synchronum autumat p. 33. Cum hisce facit Whistonus apud Scriptores Anglos Hist. Univ. T. III. Par. II. edit. Ven. Observat. in cap. 3. p. 205. sqq., atque *Sesostrim* avum *Ramessem*, patrem *Amenophim* III. habuisse, ipsumque fuisse *Pharaonem* in Mari Rubro submersum existimat. Post *Josue* proxime, aut post *Deboram* vicissim *Sesostrim* vixisse Pezronius vult in Antiq. temp. restituta p.183. sq. Ast sub *Thola* Aegyptiis imperasse *Sesostrim* opinatur Harduinus in Chron. Vet. Test. p. 530, eoque ferme tempore, quo Imperium *Ninives*, non inde quidem a *Nimbrodo*, qui longe ante floruit, sed a *Nino* fundatum est; quove primam *Heraclidarum* in Lydia Dynastiam cepisse, Christianam idest ante Aeram anno 1224, ante *Gygem* anno 505. ex Herodoto lib.1. p.7, 46, 105, ac lib.2. p. 142, ante hujus in Aegyptum profectionem anno 900. ferme colligere se putat. Sub *Jabino* vero, & *Eglone* Rege Moab floruisse *Sesostrim*, eumque, qui *Rhamses* Manethoni, vel *Ramesses* Syncello vocatur, fuisse contendit Perizonius Origin. Aegypt. Investig. capp.12, 14, & 16. p.251. sqq. Atque a *Rhampse* quidem ingenti cum Exercitu septingentum mille Virorum Libyam, Aethiopiam, Mediam, Persidem, Bactrianam, ac Scythiam fuisse occupatas, Regionesque praeterea, quas Syri, Armenii, & Cappadoces incolebant, indeque ad Bithynum usque, atque Lycium ad Mare Imperium amplificatum refert Tacitus Annal. lib. 2. cap. 60; quorum similia plane de *Sesostri* pariter habet Herodotus lib.2. cap. 102, atque de *Sesoosi* perhibet Diodorus lib. 1. cap. 1. p. 25. sqq. Contra Perizonium

nium tamen facere Josephum, Herodotum, Plinium, Veteresque Scriptores alios pugnant Jamesonius in Spicilegio Antiq. Aegypti cap. 13. sqq., atque Vallarsius in Not. ad Eusebii Chron. edit. Veron. p. 342.

VI. Atqui prae his geminae aliae propius ad veritatem appropinquare mihi quidem videntur opiniones Duumvirum in Academia Parisiensi celebrium Fourmontii, atque Freteti, a quibus longe ampliori luce *Sesostris* aetas perfusa, locoque ejus gesta optimo posita aestimari debent. Itaque prior ille, Fourmontius idest, Reflex. Critic. in Hist. Vet. Popul. lib. 3. cap. 9. sq. T. II. p. 156. sqq., a quo in sententia parum abfuit plane Harduinus loc. cit., prioribus refutatis opinionibus, eam ipse induit, ut pugnet *Sesachum* S. Scripturae fuisse *Sesonchim* Manethonis, Herodoti, Diodori &c., non vero *Sesostrim*, quem posteriorem fuisse Aegyptium *Sethum*, sive Graecum *Sethosim*, hoc est *Seth Regem*, floruisseque sub *Jairo* Hebraeorum Judice hisce contendit. Nempe 1.° ex Historia Sacra Num. xxiv. 17, ubi legitur *Balaami* Vaticinium: *Orietur Stella ex Jacob, consurget Virga de Israel, & percutiet Duces Moab, vastabitque omnes filios Seth*: ubi rejectis vocis *Seth* interpretationibus Osiandri, qui ea voce *Chananeos* intelligi vult, Grotii, qui *Seth* Regem inter Moabitas aliquem interpretatur, Junii *Ammonitas* eo designatos nomine cum Abenezra opinantis, R. Nathani Urbem *Moab* indicatam existimantis, eo ipse *Seth* vocabulo Urbem in Aegypto *Inferiori*, unde Regioni *Sethroitidi* nomen est inditum, extitisse notat, Ammonitis olim inhabitatam, quos cum Moabitis, reliquisque Idumaeis, inter Aegyptios olim censitos observat, eamdemque cum Urbe שִׁטִּים *Sethim* Num. xxv. 1, Josue III. 1, & Mich. vi. 5. memoratam arbitratur. Inde igitur sub aetate, qua ab Ammonitis *Balaami* tempore subjugati Moabitae sunt, antequam in Judaeam, & Ephraim, Jordane transmisso, irrumperent Jud. x. 9, *Sesostrim* imperasse subinfert; ac locis Jud. x. 11. sqq., xi. 4, & xii. 2. sq. confirmare satagit, Ammonitis nempe tum imperasse *Sesostrim*, a quibus Israelitae sub jugum positi fuerant, defectionemque adornare perinde sub *Jephte* ceperunt. 2.° Ex Historia profana idipsum com-

probare Vir doctiss. suscipit, ex qua hanc ipsam in Epocham tempora probe quadrare pergit ostendere. Nempe in Dynastia XVIII. *Pastorum* Regum *Diospolitarum* juxta Africanum, a *Tethmosi* Rege usque ad *Sethosim* in Dynastia XIX. primum annis 164. computatis, eisque additis trium aliorum Regum, qui post *Amenophim* in Dynastia XVIII. postremum, ante *Sesostrim* regnasse a Manethone apud Syncellum p.59. edit. Paris., Ven. p.47. feruntur, annis 100, summam colligit annorum 264. Jam vero, pergit, ab *Exodo* anno Mundi 3223. usque ad *Jairi* annum 4, Mundi 3508. juxta Petavium anni intercessere 285: differentia est annorum 21; ab *Exodo* anno Mundi 2512. usque ad *Jairi* annum 4, Mundi 2801. juxta Soucietum in Mundi Fastis anni interfluxere 289: differentia est annorum 26: quam utramque sane pro nihilo in tanta antiquitate temporum habendam recte putat. Sed enim tutiori via, breviorique Chronotaxim hancce propius ad veritatem conficere Fourmontio ex Julio Africano fas fuisset, qui ab *Amosi* Dynastiae XVIII. Rege I. usque ad *Sethum* Dynastiae XIX. Regem I. annos 284. praecise supputat; qua supputatione sane melius, atque magis a Fourmontio inita Chronotaxis confirmari poterat.

VII. Verumtamen, ut ut isthaec ingeniose alioqui Viro doctiss. excogitata sint, utraque tamen ab ipso ex Historia tam Sacra, quam Profana argumentatio petita parum urget. Nam 1.° *Sethrum* quidem in Regione *Sethroitide* Urbem Metropolim, quae Ptolemaeo lib.4.cap.5, & Plinio lib.5.cap.9. *Heracleopolis* dicta legitur, posuisse legimus apud Stephanum de Urbib. p.286; *Seth* insuper Urbs in *Moabitide* posita fertur apud R. Nathanum: at Urbem fuisse ab *Ammonitis* post occupatam; *Ammonitas* insuper *Sesostris* in expeditione adversus Israelitas adcessisse Socios, atque suppetias tulisse, eoque tempore, quo contra Israelitas pugnasse Ammonitae, & contra Ammonitas ad pugnam vicissim se comparasse Israelitae in libro Judicum leguntur, in obscuro sane latet. Junge vero, quod vix credibile fit, fierique potuisse videtur, ut contra *Ammonitas*, si nempe ii *Sesostri* militabant, cui tota jam Asia ultra Gangem, cum Arabia, Aethiopia, Scythia usque Tanaim cum Colchide, Armenia, & Cappadocia, Asia Minor cum Thracia

eia usque ad Danubium subjugata fuerat, Herodoto lib.2. capp. 102, & 110, ac Diodoro lib.1. cap.1. p.25. sqq. referentibus, ut nempe Israelitae praelium viribus adeo impares inire praesumpserint. Quid vero, quod *Sethon* hic, sive *Sethus* Herodoti lib.2. cap.141. non alius Viris Eruditis aliis, uti Pridaeo Hist. Jud. Par.I. lib.1. edit. Ven. p.30 sq., Nevvtono in Chron. Vet. Regn. Emend. cap.2. p.192. sq., Pezronio Antiq.Temp., Vitringae in Isaj. cap.19, Rollino in Hist. Antiq. Aegypt.T.I. Par.III. cap.1. p.151. sqq., Vallarsio in Not. ad Euseb.Chron. p.411. sq. &c., visus est, quam *Sebechus* Aethiopiae Regis *Sabachi*, aliis *Sabachonis*, a quo armis conquisita Aegyptus Regno Aethiopiae adjuncta fuerat, locumque inter Aegyptiacas Dynastiae xxv. Aethiopicae ideo fecerat, filius, qui subsidiarias ex Aethiopia, Aegyptoque copias in auxilium *Ezechiae* Regis Judae anno Mundi 3285, ante Christi natalem 719. adversus *Sennacheribum* Assyriae, Arabiaeque Regem adducens, ab isto profligatus magna affectus clade fuit, Aegyptusque vastata ingentem perpessa calamitatem legitur IV. Reg. xviii. 13. sqq., II. Paralip. xxxii. 1. sqq., & Isaj. xxxvi. 1. sqq.? Neque 2.° magis firma est supputatio ex Dynastia xviii. a *Tethmosi* usque ad *Sesostrim* in Dynastia xix. ex Julio Africano instituta. In Dynastia xviii. namque ab *Amosi* Rege I. usque ad *Sethum* in Dynastia xix. etiam I. annos 348, a *Tethmosi* vero, a quo rationes incipit Fourmontius, usque ad *Sethum* annos 251. recensuit Eusebius in Chron. vers. S. Hieronymi Oper. T.VIII. edit. Veron. p.71. sq. Ex Manethone vice versa Josephus advers. Appion. lib. 1. ab *Amosi*, sive *Tethmosi* Rege I. Dynastiae xviii. usque ad *Sethosim* Regem I. Dynastiae xix. annos 327, ac Menses 9. enumerat; a *Tethmosi* vero Fourmontii usque ad *Sethosim* annos 212, ac Menses 5. Syncellus vicissim in Chronog. p.123, 147, 151, 155, & 160. edit. Paris., Ven. p.98, 117, 120, 123, 127. sq. a *Tethmosi*, sive *Amosi* in Dynastia xviii. Rege I. usque ad *Certum*, sive *Sethum* Regem I. in Dynastia xix. annos 455. computat, a Fourmontii vero *Tethmosi* in Dynastia xviii. Rege vii, a quo ipse computum auspicatus est, usque ad *Sethum* annos 345. Quare in tanta inter Julium Africanum, Josephum, Eusebium,

bium, ac Syncellum discordia satius est fateri haec in obscuro ita latere, ut nulla, queis adeoque spissis obsita sunt undique, dispelli nebulae queant, quam temeris, inanibusque se se conjecturis frustra committere.

VIII. Alteram itaque, quae ad veritatem propius accedere mihi videtur, opinionem induit Freretus in Defens. Vet. Chron. adv. Nevvtonum Observat. Gener., & Novar. P.I.p.27. sqq., & Par.II. de Chronolog. Hist. Orient. p.221. sqq. *Sesostrim* annis 500. ante *Sesachum* vixisse, ejusque Regni exordium cum anno 1570. ante Christi natalem concurrisse, exitum vero cum anno 1510, ac ita computum istum probe congruere cum iis, quae post *Exodum* refert *Moyses*, contra Nevvtonum contendens. Nempe Pridaeus in Not. Hist. ad Marmora Oxon. p.158. sq. *Sesostrim* etsi cum *Osiride* confuderit, hunc tamen in annum 1500. ante Christianam Aeram contulit. Contra Nevvtonus, cui hac ipsa in opinione praeiverat Comes du Boulainvilliers in Hist. Univ. Ms., annis mille inde detractis, nonnisi annis 500. antiquum fecit *Sesostrim*; ideoque Aegyptiacas ipsas Antiquitates annis 500. decurtare non dubitavit; quae idcirco longe Chaldaeis, Assyriis, Sicyoniis, Tyriis, Lydiis &c. recentiores essent. Verum ex Herodoto, Diodoro, Ctesia, Aristotele, Marmore, sive Chronico Oxon., Castore, Dicearcho, Eratosthene, Apollonio, Manethone, Strabone &c. deductis calculis, Aegyptiaci Regni a *Mene*, sive a *Mizraimo* exordium cepisse cum anno Christianam ante Aeram 2888. aestimat Freretus in Defens. Vet. Chron. Par.II. de Chron. Hist. Orient. sect.1. p.224. sqq., & 239. sqq.; quem pone sequutus est Hardion in Hist. Univ. Sacra, & profan. lib.1. cap.6. Epocha III. edit. Taurin. T.I. p.43. sqq. Nempe auctor est Herodotus lib.2. capp.102, & 110. *Sesostrim*, & *Pheronem* anteriores fuisse *Proteo*, qui *Trojano* excidio synchronus fuit, idest anno 1280. vulgarem ante Christi natalem. Quo fit, ut *Sesostris* annis 100. circiter Excidio *Trojano* anterior fuerit, idest anno 1380. Hic rursus a *Mere* praedecessore *Sesostris* ad suam aetatem, hoc est annum 488, aut 483. ante Christi natalem, annos 900. enumerat, qui simul efficiunt annos 1388, aut 1383. pro *Sesostris* aetate. Diodorus lib.1. p.48, & 54. a *Se-*

a *Sesostri* ad *Proteum*, quem Illiaci belli tempore floruisse refert, Reges 10. recenset, qui sane a *Sesostri* ad Excidium *Trojae* annos efficiunt 200, qui juncti annis 1184, quo *Trojae* Excidium a Diodoro consignatur, annos 1384. pro *Sesostri* indicant. Idem rursus lib.1.p.40. a *Kemne* post *Sesostrim* Rege xx. ad suam aetatem, hoc est annum 57. ante Christum, annos ad minus mille numerat, quibus additi Regum 19. anni 380.circiter dant pro *Sesostri* annos 1437. Ctesias apud Syncellum p.167. sq. edit. Paris., Ven.133. sq. *Sethum* Regem x. Asiae Conquaestorem annis 1000. amplius *Ninivis* Excidio anteriorem facit: Excidium vero istud contigit anno, non utique 608. ante Christianam Aeram, uti Freretus vult, sed anno 710;quo fit, ut *Sethos* hic, sive *Sesostris* vixerit anno 1712. ante Christi natalem. Aristotele de Republ. lib.7. cap.10. teste, *Sesostris* longe antiquior *Minoe* fuit; qui *Minos* juxta Chron. Marm. Oxon. Arundel., sive Insulae Paros Epocha XI. in Candia Regnum inivit ante Christum anno 1432.Eodem in Chronico *Danaus* anno 302. ante *Trojanum* Excidium ex Insula Rhodo Coloniam in Graeciam duxisse legitur: *Trojae* Excidium juxta Castorem apud Eusebium contigit anno 1280. Christianam ante Aeram, ideoque ante Christum anno 1582.*Danaus* in Graeciam appulit. Ast enim Manethone teste, cui consentit Nevvtonus; *Danaus* idem fuit, qui *Armais*, ejusque frater *Aegyptus* idem, qui *Sesostris*. Rursus auctor est Castor apud Eusebium *Danaum* regnare Argis cepisse ante *Trojae* Excidium anno 310, aut 293; ideoque ei synchronus *Sesostris* ante Christum anno 1590, aut 1587. in Aegypto imperabat. Et certe Hecathaeus Abderita Diodoro in Fragm. lib.40. relatus apud Photium Cod.244. edit. Schotti p.1151. sqq. diserte perhibet sub eodem, quo ex Aegypto *Peregrini* a *Sesostri* pulsi *Danao*, & *Cadmo* ducibus plerique in Graeciam se recepere, alios plerosque duce *Moyse* in Judaeam fuisse illapsos. Dicearcho Aristotelis discipulo referente apud Scholiastem Apollonii lib.4. Argon. vers.272. a *Nili* regno ad Olympiadem 1. anni 436. interfluxere; *Nilum* inter, & *Sesostrim* Reges XIII. intercesserunt, anni hoc est ad minus 260, qui anni 696. additi anno 1216. *Nili* Christi ante natalem, sive Olympiadi 1. *Chorebi* dant

dant annos 1912. pro *Sesostri*. Eratosthenis in Musaeo Alexandrino succesor Apollonius Callimachi discipulus Argon. lib. 4. sub *Ptolemaeo Philadelpho* Expeditione *Argonautica* multis anteriorem seculis *Sesostrim* agit. Strabo lib. 1. p. 38, & lib. 17. p. 804. *Trojano* longe bello antiquiorem *Sesostrim* adfirmat. A *Sesostri* pulsos Aegypto *Pastores* refert Manetho apud Josephum adv. Appion. lib. 1; qui anno 511. siquidem a prima invasione, quae eodem Manethone teste facta est anno 700. Periodi *Sothiacae*, expulsi fuerint, inde fit, ut *Sesostris* Regni initium, ac *Pastorum* ultima expulsio conferenda sint in annum 1211. Periodi *Sothiacae*. Jam vero Censorino de Die Nat. cap. 21. teste, Aerae Christianae annus 138. novae Periodi *Sothiacae* annus 1. fuit, ideoque ante istam altera Periodus ceperat cum anno 1322. ante Christianam Aeram: unde annus 1211. Periodi istius cum anno 112. Christi ante natalem concurrisset, ac 211. ab *Alexandri M.* obitu. Igitur annus iste 1211. nequit esse annus, quo ab Aegypto *Pastores* expulsi sunt, Regnumque *Sesostris* inivit; sed esse debuit antecedentis Periodi *Sothiacae*, quae initium duxit cum anno 2781. ante Christianam Aeram, cujusce Periodi annus 1211. ideo fuit ante Christum 1570, ante *Exodum* 16. Caeterum cum S. Scriptura hancce *Sesostris* aetatem approbe congruere pergit ostendere Freretus p. 244. sqq.; quo de argumento recolenda, si placet, quae super. Artic. III. de Aegypt. &c. Epochis §. XIV. sq. p. 322. sqq. affatim disputata sunt.

IX. Ita stabilita itaque *Sesostris* aetate; inde sequitur, aut ego fallor, quod in Aethiopiam, una cum Imperio, Periodi quoque *Sothiacae*, quam sane a *Sesostri* ad Astronomicas, restitutam, exactamque diligenter fuisse, egregio non absque labore, rationes Volum. II. Artic. I. De Mens., & Annis Aegypt. &c. ostendimus, forma, quae in Aegypto ab eo deinceps quammaxime tempore observari, temporibusque putandis adhiberi cepit, perrexitque, inducta fuerit. Atque hanc utique Periodum *Sothiacam* Aethiopibus, pro more Victorum, perinde ultrocitroque acceptam fuisse nullus ego quidem ambigo; utque non ambigam, id efficit utique 1.° Quod Luciano de Astrolog. T. III. p. 254. sq. teste egregiam, non utique primi,

mi, ita ut ad Aegyptios inde transfusa fuerit, qua in re dicam Luciano scripsere Ger. Joh. Vossius de Scient. Mathem. cap.30. §.15. p.134, Faber in Lex. V. *Atlas*, ac Bruckerus in Hist. Crit. Philosoph. lib 2. cap.3. §§.2, & 5. p.307, & 310. sq., prisca tamen ab aetate, *Sesostris* puta, Astronomiae operam Aethiopes dederint. 2.° Quod Herodoto, ac Diodoro loc. cit. referentibus, a *Sesostri* vi, armisque subactae fuerint cum Arabia, & Libya Aethiopia qua late patebat; cum Bactriana, Sogdiana, Erythraei oris, & Insulis Asia omnis a Gange usque ad Caspium; cum Assyria, Media, Armenia, Colchide, Scythia, Cappadocia Asia Minor, Jonia, & in Europa Thracia usque ad Danubium; ita ut quin imo Aegyptias Colonias in Sinas etiam a *Sesostri* transplantatas fuisse persuasum fuerit plerisque, in quibus Eques de Origny in Aegypt. Antiq. T.I. cap. 8. p.276. sqq.; quod ipsi tamen haud facile largiendum puto. 3.° Quod ab eo quammaxime tempore Sacrorum inter Aegyptios, Libyos, ac Aethiopes communio intercedere ceperit, adeo ut Plinio lib. 6. cap. 29, & Strabone lib.17. p. 790. testibus, communes utrique Genti fuerint Dii, *Jupiter*, *Hammon*, *Isis*, *Hercules*, *Pan*, *Meroes* &c.; ut referente Eustathio in Schol. ad Iliad. A. p.128. edit. Rom., quotannis Aethiopes e celebri Diospolitano, sive Thebano *Jovis* fano hujus, aliorumque undecim *Deorum* Simulacra accipere consueverint, eademque certo quodam constituto tempore per Libyam circumferre, Festum per dies 12. splendide, lauteque celebrantes, quot nempe *Deorum* Simulacra ipsis sanctissima sunt; ut quin etiam quotannis Aedicula parva, variegata, deaurataque, in qua Simulacrum *Hammonis*, sive *Jovis* Diodoro lib. 1. cap.6. p.44. edit. Castal. Basil. teste, aut *Martis Papremitani*, sive *Herculis*, teste Herodoto lib.2. capp. 59, & 63, ab Aegypto per fluvium in Libyam transmitti, atque in Aethiopiam, indeque referri in Aegyptum consueverit. Quae sane Aediculae Graecis adpellari solebant *Thalami*, atque Παςοί, quique humeris illas suis circumgestarent, dicti Παςοφόροι, sicuti Ἱεραφόροι *Sacrorum Bajuli*, velut observant Cuperus in Harpocrate Antiq. Rom. Suppl. Poleni T.II. edit. Ven. p.491. sqq., Stephanus Moynius in Epist. ad eumdem Cuperum de Melano-

phoris eodem Tomo p.591. sqq., Joh. Corn. a Pavv in Observat. ad Horapollinem p. 326, atque Jablonskius in Pantheo Aegypt. lib.2. cap.2. §.4. p.164. sq. Atque hanc utique Sacrorum Communionem Gentem inter utramque Aegyptiam, & Aethiopicam sub aetate adhuc dum *Theodosii Jun.* obtinuisse testis accedit locuples Priscus Rhetor in Eclogis Legationum Graece ab Hoeschelio editis p.28; quo plane liquet, quam avitae consuetudinis, juxtaque superstitionis Gens utraque retinentissima fuerit. 4.° Quod multa Genti praeterea utrique fuisse communia, ad Sacra praesertim spectantia, compertum sit, veluti Circumcisionem, ex Herodoto lib.3. cap.104; studium circa Sepulturam, habitum corporis, ornatumque; Statuarum formas; simillimum etiam Sacerdotum coetum, ac Caeremonias alias, ex Diodoro lib.3.cap.1.p.70. Ex eodem ibidem constet etiam litteras Sacras Aegyptiacis similes, Hieroglyphicas etiam, sive Aenygmaticas, leges insuper ab Aegyptiis accepisse Aethiopes; atque ab his vicissim illos: quod ipsum Clemens Alex. Strom. lib. 1, & 5. confirmat: quam in rem conferendus Fourmontius in Reflex. Crit. lib.1. cap.3. p.35.sq., lib.2. cap.17. p.140. sq., & lib.3. cap.23. p. 499. sq. Ad haec & Color nativus, & Crispi Capilli, & alia in victu, vestituque communia multa in caussa fuere, cur Aethiopes Festo *Aegyptiaci*, idest Aegyptiacae originis vocati legantur; Aethiopesque, qui ex Aegypto advenere, Pomponio Melae lib. 3. cap 10. *Automalae* dicti fuerint; atque demum Aethiopum Sapientes Eusebio adv. Hieroclem cap. 31. edit. Olearii p.453, ac Philostrato in Vita Apollonii lib.6. cap.5. sqq. Aegyptiorum Γυμνοί nuncupati sint. Conferendus etiam, qui docte, multaque hacce de re disputat Bochartus in Geogr. Sacr. Par. I. lib.4. cap. 26. Oper. T. II. p. 263. sqq. Quibus demum omnibus conficitur, ut non altera profecto Aethiopibus Anni forma, atque putandis annis Epocha, sive Periodus non alia, quam *Aegyptiaca*, a *Sesostris* aetate saltem, adsumpta fuisse videri, aestimarique queat.

X. Ut missa vero faciam, quae multis permixta fabulis a Judaeorum biga, haud ignobili alioquin, Artapano apud Eusebium Praep. Evang. lib.9. capp.18, 23, & 27, atque Josepho

pho Antiq. lib. 2. cap. 9. sq. edit. Lauri memoriae prodita fuere, Syncelloque transcripta p. 120. sq. edit. Parif., Ven. p. 95. sq., de *Moyse* a *Palmenothe* Aegypti Rege ob *Thermuthis* filiae gratiam adoptato, de Aegyptiaco deinde a *Moyse* Imperio fundato; adeo ut Divini propterea *Moysi* honores sub *Mercurii* nomine decreti ab Aegyptiis, delatique fuerint; de *Moyse* perinde ad bellum Aethiopibus inferendum misso a *Chenephre* Aegypti Rege altero; deque Aethiopiae Regis filia *Tharbe* nuncupata a *Moyse* in uxorem accepta; atque demum de Aethiopibus vi, armisque a *Moyse* Regiam ad Urbem *Sabam*, a *Cambyse* postea de *Merois* Sororis nomine *Meroem* denominatam, fusis, profligatis, subjugatisque; unde Hornius in Orig. a *Moyse* sapientiam primum hausisse Aethiopes arguit; ut ista missa, inquam, faciam solido utpote nullo fulcita monumento, stabilita, uti supra, *Sesostris* Aegyptii Regis Epocha; altera modo Regis Aethiopiae *Zarabae* stabilienda venit, quae crucem etiam Viris doctiss. utique diu figit, ut ex ista perinde Aethiopibus putandis annis *Aegyptiacam* mutuatam Periodum fuisse pateat. *Zarabam* itaque Regem ingenti cum Aethiopum, (Arabum idest, ut nonnulli visum supra diximus), exercitu in Aegyptum fuisse illapsum anno 9. ab obitu *Sesostris*, (qui unus, idemque cum *Sesacho* ipsi est), ante Christi natalem anno 951. autumat Nevvtonus in Chron. Vet. Regn. Emend. cap. 2. edit. Ven. p. 177. sqq. Eodem anno, idest *Asae* 5, in Judaeam excursione facta, *Zarabam* ad Mareshah prope Geraram inter Aegyptum, & Judaeam ab *Aza* Rege Juda profligatum fuisse subjungit: qua de Victoria ab Aza de *Zaraba* Rege, atque Aethiopum Exercitu mille millium Divino relata auxilio II. Paralip. XIV. 9. sqq. Quo interfecto, contra *Amenophim*, aliis *Memnonem*, qui *Zarabae* patri successerat, cum Aegyptiis rebellasse in Aegypto Inferiori *Pastores* Chananaeos, sive Phoenices, *Osarsipho* Aegyptio Sacerdote duce, Manethoni *Herculi* Aegyptio dicto, Aethiopiamque repetere *Amenophim* fuisse compulsum ex Manethone apud Josephum adv. Appion. lib. 1. p. 1052. sq. augurari se putat. Ast enim ab *Amenophi*, una cum *Ramesse* filio annos post 13. ex Aethiopia ingenti cum Exercitu regresso, Aegyptios iterum sub ju-

 gum

gum positos fuisse, Inferiorique ab Aegypto *Pastores* expulsos; eodemque ferme tempore a Graecis celebrem illam adornatam ad *Aetem* in Colchide *Argonautarum* Expeditionem adjungit. Verum enim vero falli oppido Nevvtonum, atque immani annorum 500. intervallo ab Epocha tam *Graeca Argonauticae* Expeditionis, qua de alio infra loco, quam *Aegyptiaca Sesostris*, atque *Zarabae* aberrare ostensum dedere Viri doctiss. inter alios Soucietus Differt. 5, & Freretus in Defens. Vet. Chron. Par. II. de Chron. Hist. Orient. sect. 3. p. 294. sqq. Manethone teste namque apud Josephum, atque Syncellum *Pastorum* expulsio a *Sesostri* facta annis 85. antea fuerat. Ex *Sesostris* vero Epocha, supra loco firmiter stabilita suo, fit planum a Nevvtono pessime tam *Amenophis*, qui ante *Sesostrim* imperavit, quam *Zarabae*, qui longe post *Amenophim* floruit, Epocham perinde fuisse deductam. Quò fit, ut neque meliori post *Amenophem*, sive *Memnonem*, ejusdem filii *Ramessis*, sive, ut Ammiano Marc. lib. 17. cap. 4. dicitur, *Rhampsis*, sive, ut Herodoto lib. 2. cap. 111. magis adlibuit, *Rhampsimiti*, Epocham ratione deducere Nevvtono loc. cit. p. 186. sq. fas fuerit, ut pote quem *Amenophi* Patri in Regno successisse anno non ante 52. ab obitu *Salomonis* auguratur. Recte tamen ex *Memnonio*, sive Inscriptione sepulcrali *Memnonis*, seu *Amenophis*, qua de Strabo lib. 17. p. 817; (cui altera jungenda Columna *Sesostri* cum Inscriptione posita in Dire Promontorio ad Fretum Erythraei versus Aethiopiam, qua de Strabo lib. 16. p. 769. sq., & lib. 17. p. 790, ac Plinius lib. 6. cap. 29.); ex Inscriptione Obelisci a *Ramesse* in Urbe Heliopoli erecti, Romamque a *Constantio* Imp. transvecti, quam olim interpretatus Hermapion Aegyptius legitur apud Ammianum Marcell. loc. cit. p. 162. in haec verba: *Ramesses filius Solis, Solis, ac Deorum Amicus, cui Dii immortalitatem sunt impertiti, qui exteras domuit Nationes, Mundi Dominus est* &c., (quam frustra interpretationem vexat, ullaque absque caussa sollicitat Kircherus Oedip. Aegypt. T. III. Par. II.), exque Inscriptione altera Thebis a *Germanico* conspecta, quam a Sacerdote quopiam Aegyptio Caesari explanatam refert Tacitus Annal. lib. 2. cap. 60, recte, inquam, Nevvtonus, sua utique

utique laude, ubi debetur, haud defraudandus, observat p.187. sq., *Rhamessis* imperio Aegyptum, Libyam, Aethiopiam, Mediam, Persidem, Bactrianam, Scythiam, Armeniam, Indiam, Cappadociam, Bithyniam, Joniam, Lyciam &c. obnoxias fuisse. Quod indicio perinde, argumentoque est apud Aethiopes eamdem, quae apud Aegyptios observari pergebat, Epocham, pariter obtinere non destitisse.

XI. Atqui longe post *Amenophim*, longeque ante *Zarabam*, a Rege Aegypti altero *Sesacho* III. Reg. XIV. 25. sq., II. Paralip. XII. 2. sqq., Josepho Antiq. lib 8. cap. 10. *Sussacho* dicto, Eusebio in Chron. p.340, ac Syncello p.177. edit. Paris., Ven. p.141. *Sussachino* denominato, *Roboamo* aetate suppari, Aethiopes, Libyos, atque Troglodytas vi, armisque domitos fuisse, ex cit. loc. Regum, Josephi, ac Syncelli liquet. Unde factum videtur, ut novo cum Imperio, *Aegyptiaca* quoque annos dinumerandi Periodus, *Sothiaca* idest, in Aethiopiam, Libyam, atque Troglodytem illata fuerit. Ut vero missa faciam, quae de *Actisane* Aethiopiae Rege altero refert Diodorus lib. 1. Par.II. cap. 1. p.28, a quo longe post *Sesostrim*, anno ab *Exodo* 100. circiter, annis vero 500. amplius ante *Sabachonem*, Aegyptum valida armatorum manu subactam adfirmat; utpote quae minus veritate constent, nec eorum apud alios mentio extet; Regibus postmodum aliis in Aegypto *Superiori* Memphis *Bocchoro*, cujusce Regni anno 22. apud Chaldaeos *Nabonassaraeae* initium Aerae factum ex Julio Africano conjecturam expiscatur; in *Inferiori* vero Sais *Necho*, quo imperante *Olympiades* apud Graecos incepisse subjungit, a *Sabachone* Aethiopiae Rege interfectis, atque in fugam *Anyso*, sive *Amosi* Thebis in Aegypto *Superiori* regnante conjecto, una cum *Psammite* Tanis in *Inferiori* Rege, universam Aegyptum iterum sub Aethiopum jugum redjisse observat Nevvtonus in Chron. Vet. Regn. Emend. p.189 sq. Non *Bochoro* porro, sed *Anyso* proxime *Sabachonem* successisse siquidem scripserit Herodotus lib. 2. cap. 137, atque Diodoro temporis aliquod *Bocchorum* inter, & *Sabachonem* interpositum fuerit intervallum, inde erroris post Eusebium postulat Syncellum Vallarsius in Not. Euseb. p. 388, quod in Chronogr. p. 184. edit. Paris., Ven.

Ven. p. 147. nullo spatio interjecto *Bochori* immediatum successorem fecerit *Sabachonem*. Verum distinguenda Viro doctiss., juxtaque diligentissimo fuerant diversa in Aegypto qua *Inferiori*, qua *Superiori* Regna, unde vidisset & *Bocchorum* in Regno *Memphitano*, ac in Regno *Thebano* pariter *Anysum* proxime a *Sabachone* exceptos fuisse. Cum *Sabachone* rursus *Tarachonem* confundere, ob nominum similitudinem, haud dubitavit Perizonius. *Sabacho* iterum a *Soo*, sive *Suro*; cum quo consilia agitasse contra *Salmanasarem* Assyriae Regem Israelis Rex *Osee* IV. Reg. xvii. 4. sqq. legitur; indistinctus visus est Marshamo, Perizonio, & Usserio in Annal. Vet. Test. p. 54; *Sevechus* vero Aethiops, *Sabachonis* filius idem, atque *Sethus*, de quo Herodotus lib. 2. cap. 141. Sed enim post *Sabachonis* in Aethiopiam secessum, in Aegypto regnasse *Sethonem*, atque contra ipsum *Sennacheribus* arma capessivisse, Aegyptumque ingenti Militum invasisse manu traditur Herodoto. *Sethus* hic igitur Herodoti idem fuit, atque *Sevechus* Manethonis, ac *Sur*, sive *Sous* Osee. Quem *Sethum* iterum siquidem Aegypti Regem fuisse ex IV. Reg. xvii. 4. sqq. constet, eumdem a *Sabachone* Rege Aethiopiae secernendum fore inde sequitur. *Taracham* vero Aethiopiae Regem, (quem in Arabia regnasse aliis visum fuisse superius observavimus), ad bellum contra *Sennacheribum*, foedere cum Aegypti Rege *Sethone* percusso, cum Exercitu Aethiopum processisse siquidem etiam IV. Reg. xix. 9, & Isaj. xxxvii. 9. constet; inde fit iterum, quod *Sabachone* aetate posterior fuerit, ab eoque proinde diversus. Ad Nevvtonum conversa nunc oratione, sub *Sesostri* quidem Anni *Solaris* formam ad Astronomiae rationes exactam fuisse, digestamque juxta heliacum *Sirii* ortum, indeque *Aegyptiacam* putandis annis Periodum, *Sothiacam* hoc est, emendatam fuisse Nevvtono ita pugnanti libenter quidem, liberaliterque largimur; quin imo ad Aethiopes quoque tam sub *Sesostri*, quam sub *Sabachone* eamdem Periodum, ut certa deinceps apud ipsos etiam temporum ratio, atque mensura esset, fuisse cum *Solaris* Anni forma translatam veri sit valdequam simile. Ast Aegyptiorum a *Sabachone* Aegypto ejectorum Colonias fuisse Babylonios, atque

atque Babyloniam Astronomiae studium ab Aegyptiis eò transfugis; una cum *Aegyptiaci* Anni dierum 365. forma, transductum fuisse, Aeramque *Nabonassaraeam*, initio ducto ab eo, quo Aegyptiis Annus inchoari soleret, fuisse institutam, Nevtono p. 190. sq. ex fide Hestiaei apud Josephum Antiq. lib. 1. cap. 4, aliorumque Aegyptiorum apud Diodorum lib. 1. cap. 2. p. 14. edit. Basil. adfirmanti, non is ego sum utique, qui adsensum facile meum adhibeam, persuasum habens Aegyptios hac in re propria Scriptores fide plurimum laborare, atque longe ante Aegyptios, Astronomiae studium apud Chaldaeos, Assyrios, Babyloniosque egregie fuisse excultum; neque ab Aegyptiis, bene vero a Babyloniis Astronomis *Nabonassaraeam* Aeram ad Astronomicas fuisse rationes institutam: qua de re fusius alibi disputatum est. Aegyptiis tamen, Aethiopibusque cum Periodo *Caniculari*, frequentari quoque inde *Nabonassaraeam* occepisse Epocham inficias haud ibo, eamque magis tam in Aegypto, quam in Aethiopia usu firmatam ab eo fuisse tempore, quo tum primum ab *Assarhadone* Rege Assyriae Isaj. VII. 18, XIX. 23, & XX. 3. sq., ac Nahum III. 8. sqq., tum postea a *Nabuchodonozore* Assyriae Rege altero Hierem. XLIV. 13. sq., & Ezech. XXIX. 2. sqq. Aegypto, atque Aethiopia captis, inque captivitatem Aethiopibus, atque Aegyptiis abductis, novo Assyriorum imperio in Aegypto, & Aethiopia factus locus fuit. Donec ab eo, quo a *Cyro*, una cum Assyria, subjugata Aegyptus, atque Aethiopia est, tempore usque ad *Alexandrum M. Persarum* Aeram tam in Aegypto, quam in Aethiopia obtinuisse videri posset. Sed enim siquidem eadem sub aetate Reges habere proprios neque Aegyptii, neque Aethiopes destiterint, neutros ab Aera *Nabonassaraea* discessisse ad eam usque aetatem, qua rerum apud Aethiopes, & apud Aegyptios summa ad *Ptolemaeos* devoluta est, veri quam simile videtur.

XII. Sub *Ptolemaeis* itaque *Lagidis*, ut modo de usurpata ab *Alexandri M.* obitu Aera *Philippica*, qua de suo infra loco, sileam, non alteram pariter apud Aethiopes, quin etiam finitimos apud Arabes, quam Aegyptiis propriam, obtinuisse deinceps Epocham, deprehendere fas est, aut ego

fallor,

fallor, celeberrimo ex Monumento *Adulitano*, ideſt *Ptolemaeo Evergeti* olim in *Adulis* Urbe, hodie *Ercoco* in Regione Axomitica, poſito: quod primus interpretatus eſt Leo Allatius, & poſt ipſum ex Codice Mſ. Coſmae Monachi Indopleuſtis in Bibl. Laurentio-Florentina deſcriptum publicam in lucem produxere Thevenotius, Whelerus Itin. T.I, atque Bigotius; quodque demum apud Sponium in Miſcell. Eruditae Antiq. ſect. 10. Antiq. Rom., & Graec. Supplem. Poleni edit. Ven. T.IV. p.1363. ſqq., Montfauconium in Nov. Collect. Patr. T. II, ac Fabricium Bibl. Graec. T. II. lib. 3. cap. 25. p. 604. ſqq. legere praeſtat; cujuſque de fide non eſse profecto, cur dubium moveri queat, inde potiſſime demonſtrat Crozaeus in Epiſt. ad Sartorium Profeſs Dantiſci, ſive Gedani Hiſt. ejus Vitae, & Oper. a Jordano inſerta p.108. ſqq., quod ea a Coſma Indico-Pleuſte viro ſimplici, ignorante, veritatiſque amatore fingi, proprioque de ingenio procudi nequiverit. In eo Monumento etenim legitur *Ptolemaeus Evergetes*, hereditario veluti jure, Aegypti, Libyae, Syriae, Phoeniciae, Cypri, Lyciae, Cariae, Cycladumque imperio, Patre quidem *Ptolemaeo Philadelpho* deſerente, potitus; aſt inſuper Troglodyticis, Aethiopiciſque Regionibus tum a Patre, cum virtute propria ſuum in jus traductis, atque ingentibus terra, marique comparatis, inſtructiſſimiſque Copiis, Aſia trajecta, omnem circa Euphratem tractum, Ciliciam, Pamphyliam, Joniam, Helleſpontum, Thraciam &c. in poteſtatem ipſe ſuam redegiſse. Euphrate quin etiam tranſmiſso, Meſopotamiam, Babyloniam, Suſianam, Perſidem, Mediam ad Bactrianam uſque, Sogdianamque ſuo adjeciſse imperio. Perdomitis adhaec qua extremis in Aegypto Populis, qua ultra Nilum inacceſſis Montium in Aethiopia Incolis Agamis, Sigſyenis, Magis, Zingabenis, Angaris, Tiamaamis, Athagaſiis, Calaamis, Caminerris, Lazinis, Zaais, Gabalis, Tangaitis, Annenaeis, Metinaeis, Seſeanis, Rhaeſis, Soliataeis &c., imperium longe, lateque, multa Regionum acceſſione facta, amplificaſse. Ultra Erythraeum vero in Arabiam etiam navalibus, terreſtribuſque Copiis tranſvectis, atque Regibus ubique gentium ſub jugum poſitis, Arabes, Cinaedocol-

docolpitas, Sabaeos &c. vectigales fecisse, adeo ut ab Aegypti ortu ad Arabiam, & ab occasu ad Aethiopiam Regiones ad unam omnes qua beneficiis, gratiaque devinctas, qua vi, armisque domitas imperio adjecerit suo. Donec pace demum terra, marique parta, *Adulim* ipse profectus, votis, Sacrisque *Jovi*, atque *Neptuno* persolutis, Monumentum hoc, ac *Mavorti* Thronum Marmoreum Imperii anno 27. dedicaverit. Exaggerata ut ut ista valdequam sane videri queant, inde tamen evidens fit tam Aethiopes, quam Arabes *Ptolemaei* tam *Philadelphi* patris, quam filii *Evergetis* imperio fuisse obnoxios; neque aliam perinde, quam *Ptolemaeorum* Epocham, aut *Lagidam*, aut verius *Philadelphicam* apud ipsos tandiu obtinuisse, quandiu *Ptolemaeorum* in ipsos obtinuit imperium; hoc est usque ad *Augustum*, sub quo in Aethiopiam intrasse Arma Romana duce *P.Petronio* Aegyptiis Praefecto, ibique pleraque ab eo Oppida fuisse expugnata; atque perinde a *Nerone* de Bello Aethiopibus inferendo cogitatum, eòque Praetorianos Milites cum Tribuno ad Aethiopiae Regiones explorandas missos fuisse refert Plinius lib.6. cap.29, sua adhuc sub aetate Reges in Aethiopia XLV. adnumeratos subjungens: quo idcirco a tempore tam Aegyptiis, quam Aethiopibus annos a Victoria *Actiaca* dinumerare solemne deinceps evasit; veteri tamen etiam retento more Anni cardinem ad heliacum *Sirii* ortum exigendi, annorumque computum etiam ad Cycli *Sothiaci* rationes digerendi; quo de argumento Super. Art. I. de Aegypt. &c. Aeris satis, opinor, superque disputatum est.

XIII. Juxta illud itaque, quod solemni apud Aegyptios in more positum ostendimus, ab Imperatorum annis Epocham computandi suam, *Diocletianaeam* perinde apud Aethiopes inductam Aeram fuisse observatum jamdiu est Viris doctiss. Kirchero in Prodr. Copt. cap.2, Scaligero de Emend. Temp.lib.5. p.498. sq., & lib.7. in Not. ad Comp. Aethiop. p.689 sqq., ac Waltono in Appar. Bibl. Proleg.XV. de Ling.Aethiop. §.5. edit. Tigur.p.414.sq.; eamque Epocham patria lingua *Aeram Gratiae* Aethiopibus vocari, Annumque *Gratiae* pro investigandis Epactis, Cyclisque aliis pro radice Computi eisdem usurpari. Atque haec utique *Diocletianaea* apud Aethiopes Aera inlata videtur

P.I.T.V. Z a Ja-

a Jacobitis, queis eamdem solemnem evasisse superius ostensum est, post videlicet, quam erroribus inficere suis Aethiopes occeperunt; quo sane a tempore Aegyptiacae Ritibus, ac Religione ita conglutinata Aethiopica visa est Ecclesia, ut Nicephoro, Zonarae, Auctori Chron. Alex. &c. una, eademque facta Ecclesia utraque fuerit. Aethiopia nempe primum a *S. Frumentio*, Aethiopibus *Salama* dicto, illuc utique, non in Indiam, (uti Baronio ad annum 327. n. 8, 356. n. 18, & 24, ac in Not. ad Martyrolog. Rom. 27. Octob., nec non Carolo a S. Paulo in Geogr. Sacr. visum est, quos idcirco emendarunt Holstenius in Not. ad ejusdem Geograph. n. 6. p. 276, ac Pagius ad cit. an. 327. n. 8. sqq. edit. Luc. T. III. p. 198. sqq.), a *S. Athanasio* misso fidem conversa, ab eodem tempore Patriarchae Alexandrini potestati deinceps obnoxia facta est; veluti fidem indubiam faciunt Ruffinus lib. 1. cap. 9, Socrates lib. 1. cap. 19, Sozomenus lib. 2. cap. 24, ac Thodoretus lib. 1. cap. 23; confirmat vero Codex Arabicus Bibl. Reg. Paris. n. 796. in Vita Seclae Haimonoti, conferendique Tellesius in Hist. Aethiop. lib. 1. cap. 29. v. 7, Jobus Ludolphus Hist. Aethiop. lib. 3. cap. 2, & in Comment. p. 283. sq., Lobus, sive Le Grand de Conversf. Abyssin. T. II. dissert. 9. n. 13. sqq., ac Tillemontius Monum. Hist. Eccles. edit. Bruxell. Par. I. T. VIII. p. 21. sq., & 272. sq.; indeque *Alexandrina* pariter uti Epocha cepit. Et quidem ab anno Aerae Christianae 327, quo ordinatum *S. Athanasium* Mense Decembri, ab eoque anno sequenti in Aethiopiam missum *S. Frumentium*, contra Valesium in Not. ad Socratem loc. cit. factum id sub *Constantio* putantem, & contra Baronium id ad *Constantini M.* finem imperii referentem, ex Ruffino ostendit Pagius loc. cit. n. 13. sqq. p. 200. sqq.; vel saltem anno 330, veluti Tellesio loc. cit. p. 28. sqq., & 77, ac Oertelio in Hist. Theolog. Aethiop. p. 10. sq., non vero anno 356, veluti Tillemontio Mon. Eccl. Hist. T. VIII. Par. I. p. 273. visum est.

XIV. Ariana postinde haeresi sub *Constantio* Imp. Aethiopes a *Theophilo* Indo imbuti, testibus Philostorgio lib. 3, ac Johanne Asiae Episcopo, & Dionysio Jacobita in Chron. Syr., post *Constantii* obitum eamdem, paullo idest post, exuisse

uisse liquet ex Martyrio *SS. Arethae*, Sociorumque 340. sub *Dunaano* Homeritarum Tyranno Judaeo, Axumitis *Elesbaano* Christiano Rege imperante, non anno quidem *Alexandrinorum* 535, Vulgaris Aerae 541, ut habent Theophanes in Chronog. p.144. sq., & 188. sq. edit. Paris., Ven. p.115, & 150, Nicephorus Hist. Eccl. lib. 17. cap. 32, Cedrenus in Compend. Hist. p.374. edit. Paris., Ven. Byzant. T.VII.p.295, sed anno *Graecorum* 835, Christi 524, *Justini* 7; ut habent Johannes Paramonarius in Asia Episcopus in Hist. Eccl., Dionysius Jacobita in Chron. Syr., qui, sicut & Theophanes, sua a *Johanne* illo hausere, apud Cl. Assemanum Bibl. Orient. T.I. p.359. sqq., atque Simeon Beth-Arsamensis in Perside Antistes in Epist. ad Mar-SimeonemGabulae Abbatem ibid.p.364. sqq. Atque, qui *Elesbaanum* in Axumitico excepit regno, ipsius filium *Hellestaeum* eximium fuisse Christianae Religionis cultorem, armisque ab eodem profligatum, interfectumque fuisse *Dunaanum* Christianis infestum, atque suffectum in *Homeritano* regno *Esimiphaeum*, hominem approbe Christianum, referunt Procopius de Bello Persico lib. 1. cap. 20, atque ex Johanne Paramonario Dionysius in Chron. Syr. apud Assemanum Bibl. Orient. T. I. p. 381. sq., qua de re videndi quoque Baronius ad an.523. n.30, & Pagius ibid. n.7. sqq. Annal. Eccl.T.IX. p.329.sqq. Sub *Justiniano* denique a *Juliano* Presbytero Alexandrino, quod ignoratum Renaudotio in Hist. Patriarch. Alex. p.178. fuerat, *Monophysitica* inquinatos haeresi, seu *Jacobitica*, Aethiopes fuisse testes accedunt locupletes Johannes laudatus Asiae Episcopus in Hist. Eccl., ex ipsoque Dionysius Patr. Jacob. in Chron.Syr. apud Assemanum T.I. cit. p. 385. sq., & T. II. p. 329. sq. Quamquam nihil postmodum Latinis praetermissum est, quo meliorem Aethiopes ad frugem revocarentur; factumque plus vice simplici fuerit, ut Sacrorum Romana cum Ecclesia communio ab Aethiopibus sub *Alexandro* III. anno 1177, sub *Eugenio* IV. anno 1441, sub *Sixto* IV. anno 1481, sub *Julio* II. anno 1509, sub *Leone* X. anno 1516, sub *Clemente* VII. anno 1533, sub *Julio* III. anno 1554, sub *Pio* IV. anno 1563, uti apud Raynaldum in Annal. videre est, subinde instauraretur. Conferendi

praeterea Ludolphus in Hist. Aethiop. lib.3. cap.3, & in Comment. p.282. sqq., quo loci de novem Viris Sanctis fidei Christianae in Aethiopia post *S. Frumentium* praeconibus agit, atque contra Seldenum, & Colomesium negat *Athamum* Abyssinorum *Nagashium*, ideft Regem *Mohammedo* ad Islamismum se invitanti aures accommodasse; atque Pagius ad annum 541. n.7. p.624, ubi Scaligerum de Emend. Temp. lib. 7. in explicatione Computi Aethiop. hoc anno primum Christianae Religioni nomen in Aethiopia datum aestimantem castigat, atque Aethiopes Ecclesiae Alexandrinae Ritibus addictissimos ostendit.

XV. Ad *Arabum* modo Epochas tam Veteres, quam Nuperas investigandas antequam nostra se accingat oratio, in Gentis amplissimae prius Regiones, Origines, Antiquitates, Regionesque paucis, quoad ejus fieri poterit, inquirere praeRat. *Arabia* itaque nobilis Asiae pars sinu Persico, Mari Rubro, & Indico fere circumsepta, nisi quod ejus pars Syriae contigua eam Asiae connectit, longe, lateque patens Regio hinc ab Aegypto usque ad Chaldaeam, illinc ab Euphrate Syriam adluente usque ad Sinus Arabici ostium, quo ex Erythraeo ille Oceano effunditur, Arabibus etsi in partes quinque dispesci hodie soleat, *Tobamam*, *Nagiedam*, *Higiazam*, *Aroudam*, & *Jamanam*; ceteris tamen vulgo Geographis tres dumtaxat, atque commodius in partes distribui consuevit, *Petraeam*, Arabibus براب *Barraab* dictam, aut حجر *Hagiar*, quae Palaestinae partim, ab austro objicitur, partim ab ortu; *Desertum*, Hebraeis *Cedak*, Incolis برية *Beriara*, sive ارن *Araen*, quae a Palmyrenis Solitudinibus sub Euphrate ad Chaldaeam usque procurrit; & *Felicem*, Arabibus نعمن *Naman*, sive يمن *Jemen*, sive *Mamota*, quae utrique in Austrum versus subjecta, Sinu Arabico ab Occidente, & Sinu Persico ab Ortu, atque Borea comprehenditur. Antiquissimi *Petraeae* Incolae erant Ammonitae, Moabitae, Amalechitae, Madianitate, Ismaelitae, Idumaei, quorum deletis postinde nominibus, Nabataei, atque Saraceni diu audiri cepere: ita tamen, ut *Saraceni* nonnisi aevo posteriore, atque post Strabonis

bonis aetatem adpellati sint, ut Salmasius advertit in Exercit. ad Plinium p.484. Atque *Saracenos* quidem a سرك *Sarak* Arabica voce, *Fures* significante dictos conjicit Scaliger in Animadv. ad Eusebii Chron. p.17. n.88, a quo prope abest Cellarius Geogr. Antiq. lib. 3. cap.14. A *Sara Abrahami* Uxore denominatos minus vere censet Holstenius in Not. ad Stephanum de Urbib. p. 2 3 Ex eodem vicissim Stephano a *Saraca* Arabiae Regione *Saracenos* nomen traxisse mavult Assemanus Bibl. Orient. T.IV. p.567, & in Dissert. 4. de Arabum Origine §.7. Chronico Orient. assuta edit. Ven. q.233. sq.; quae *Saraca* Gen. xxxvi. 36, & I. Paralip. 11. 48. Hebraice, Samaritice, & Chaldaice מַשְׂרֵקָה *Masreca*, Syriace *Maserca*, Arabice مسريح *Masrica*, & Graecе *Masseca* dicitur; qua voce Arabicus *Oriens* designatur, quemadmodum *Occidens* voce غرب *Garb*, unde *Magreb* Regio ad *Occidentem*. Verum propius ad veritatem a *Scharkien*, Arabice شهريكين *Oriens*, ut innui, quod Judaeis praesertim Orientales sint Arabes, unde Hierem. xlix. 28. בניקדם *Filii Orientis* dicti leguntur, *Saracenos* derivandos ostendit Pocockius in Specim. Arab. Hist. p.2. sq., eumque pone sequutus Waltonus in Appar. Bibl. Proleg. xiv. edit. Tigur. p.402. Ex *Saracenis* vero, qui ad Chaldaeam vergebant, atque Persis fuere primo subjecti, Procopio teste de Bello Persico lib.1. cap.17, qui cap.19. ab his Arabici Sinus litus inhabitatum tradit, iis *Ptolemaei* aetate, ipso teste Geogr. lib. 5. cap. 17, angustior *Petraeae* Arabiae portio inter Aegyptum, & Nigros Montes inhabitanda erat concessa, sed ab iis latior subinde ad cervicem Arabiae *Felicis*, atque *Desertae* sedes occupata fertur Plinio lib. 6. cap. 28, & Marciano Heracleotae in Periplo Arabici Sinus. Qui citra vero Chaldaeam incolebant Romanis obnoxii diu fuere, atque foedere saltem conjuncti, teste Procopio loc. cit. Quo patet, ut id obiter indicem, quandiu Arabes, sive Saraceni sub Persarum, aut Romanorum potestate alternatim permansere, alterutram ipsis, aut quae Romanis, aut quae Persis usu fuerat, Epocham, aut putandis Annis formam utrinque fuisse usurpatam. In *Petraea* jam vero Arabia principes olim habebantur

Urbes

Urbes *Emman*, deinde *Rabba* dicta, sive *Rabbathamanna*, quae demum a *Ptolemaeo Philadelpho* restituta, ejus de nomine *Philadelphia* nuncupata est apud Josephum Antiq. lib.4.cap. 5, Polybium Hist. lib.5. p.414. edit. Casaub., Eusebium, & S. Hieronymum de loc. Hebr., & S. Epiphanium in Anacephalaeosi p.145. *Moab*, postmodum *Areopolis* nuncupata, ac *Rabbathmoma*, qua de Stephanus de Urb. p. 268. sq., Relandus Palaest. illust. lib.3. edit. Norimberg. p.707, & Schvvartzius in Not. ad Cellarium Geogr. cap.11.p.573. *Petra*, unde Regioni nomen inditum, olim Hebraeis *Sela*, aut *Jectael*, Syris *Aracene*, sive *Recem* dicta apud Josephum Antiq. lib. 4. cap.7, a *Rekem* Madianitarum Rege conditore Num. xxxi. 8. ita denominata apud S. Hieronymum de loc. Hebr., qua de Bonfrerius in Onomast. Urb. Oper. Menochii T.II. edit. Ven. p.246, Buno in Not. ad Cluverium Introd. Geog. lib. 5. cap. 24. p.613, & Bochartus Geogr. Sacr. Par.II. lib.1. cap.44.Oper. T.II. p.688. *Helana* ad ortum, unde *Helaniticus* Sinus, qui *Petraeam* adluit; & *Heroopolis*, unde Sinus *Heroopolitanus*, qui altero latere Aegypto adjacet, quem inter utrumque Sinum Sinus *Arabicus* in summitate scinditur, atque per hunc posteriorem Israelitis ex Aegypto profugis, suspensis utrinque aquis, in Palaestinam iter olim patuit, queis de Strabo lib.16. p. 522, Ptolemaeus lib. 5. cap. 17, ac Plinius lib. 5. cap. 11. *Asiongaber* III. Reg. ix. 26, & xxii. 49, quae *Berenices* postea de Matris nomine dicta est *Ptolemaeo Philadelpho*, a quo Urbs instaurata fuerat apud Josephum Antiq. lib.8. cap.11, Diodorum lib. 3. p. 172, ac Stephanum de Urbib. p. 65. *Medaba* Nabataeis celebribus inter Arabes Populis infessa, de queis Stephanus p. 217. *Bostra* inter maximas *Petraeae* Urbes, una cum *Gerasa* Ammiano Marcell. lib. 14. cap. 27. edit. Valesf. cap.8. recensita, quae, *Bostra* nempe, ab *Augusto* condita, deque *Bostri* Praetoris Urbis structurae praefecti nomine dicta legitur in Graeco Historico Anonymo apud Leunclavium in in Pandecte Hist. Turcicae Hist. Byzant. T.XVI. p. 397. edit. Paris., Ven. p.303. *Philippopolis* a *Philippo* Imp. genere Arabe condita, ejusque de nomine adpellata; quam a *Bostra* distinguendam contra Scaligerum, & Holstenium scite ostendit Cella-

Cellarius Geog. Antiq. T.II. lib.3. cap.14. §.41. p.589. sq. Missas facio minoris alias momenti Arabiae *Petraeae* Urbes, queis de alioqui fuse ex Ptolemaeo, Strabone, Plinio &c. agunt Relandus in Palaest. illust. lib. 2. p. 326, Cellarius in Geogr. loc. cit. p.569. sqq., Cluverius Introd. Geog. lib. 5. cap. 24, ibique Buno, ac Reiskius in Not. p.612. sqq.

XVI. In Arabia *Deserta*, quae Graecis Ἔρημος, aut Σκηνῖτις, Arabibus براب *Barrab* notante Assemano in Dissert. de Syris Nestor. cap.10. §. 1. Bibl. Orient. T. IV. p. 553, hoc est *Desertum Arabum* dici solet, non *Barraab*, uti corrupte legitur Zieglero, Baudrandio, aliisque; quaeque ab Occasu Arabiae Petraeae, Syriaeque partibus terminatur, ab Oriente Chaldaeae, & Babyloniae Montibus, a Meridie Arabiae Felicis item Montibus disterminatur, a Septentrione vero Mesopotamia, qua parte Euphrates in ortum inflectitur, testibus Ptolemaeo lib.5. cap.19, eumque pone sequutis Agathemero, & Marciano in Periplo, Urbes praecipuae iisdem recensentur *Thapsacus* ad Euphratem, quae deinde *Amphipolis* dicta legitur Plinio lib. 5. cap.24. *Birtha* trans eumdem fluvium. *Saba* ad ipsum Arabiae Felicis aditum, haud procul a Nabataeis posita, de *Sabae Abrahami*, & Ceturae, ex *Jecsane* Nepotis Gen. xxv. 3, a quo condita Urbs fuit, nomine adpellata, (quo pariter nomine *Sabae* Urbes in Arabia Felici aliae ad Sinum Arabicum, & Persicum sitae leguntur, queis de infra), unde *Sabaei* dicti ii, quos in *Jobi* greges irruisse Jobi I. 15. liquet, velut observat Bochartus in Geogr. Sacr. Par. I. lib.4. cap.9. p.222. *Themma* Jobi vi. 19, Isaj. xxi. 14, & Hierem. xxv. 23, quae a *Thema Israelis* filio Gen. xxv. 15. condita versus Chaldaeam ab eo nomen tulit. *Hevila* prope Euphratem, unde Ismaelitae. *Agra*, sive *Hager* ad Babyloniae Occasum, unde *Agareni* denominati ab *Agar Ismaelis* Matre apud Ptolemaeum loc. cit., Plinium lib.6. cap. 28, ac Mohammedum Ferganensem in Astronom. cap.9. Clim. 2; videndique Golius in Lex. Arab., Relandus Palaest. illust. lib. 3. p. 689. sqq., atque Schwartzius in Not. ad Cellarium p.592. *Utz* a *Jobi* natali celebris Urbs, ab *Utz* conditore denominata. Cujusce sane cognominis *Utz* tres fuisse Viros, tribusque inde *Utz* nomen Urbi-

Urbibus inditum liquet ex Gen. x. 23, ac Josepho Antiq. lib. I. cap. 7; ubi *Utz Semi* ex *Aramo* nepos Damascum condidisse fertur; ex Gen. xxxvi. 28, quo loci *Utz* genere Horraeus memoratur, a quo *Jobum* descendisse opinatur Spanhemius in Hist. Jobi p. 38; ex Gen. xxii. 21, ubi *Utz Nachoris* fratris *Abrahami* filius legitur, a quo revera progenitum *Jobum*, Urbemque suo de nomine in Ausitide, sive *Deserta* Arabia conditam multis contra Spanhemium ostendit, contenditque Cellarius Geogr. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 14. §. 47. p. 592. sq. Silentio praetermitto Urbes alias parvi nominis in Arabia *Deserta* Ptolemaeo, Straboni, Plinio &c. memoratas, sed obscuras, parumque cognitas, queis de alioqui Allatius p. 590. sqq.

XVII. In Arabia *Felici* denique, quae Graecis Εὐδαίμων, *Eudaemon* dici notatur Straboni lib. I. p. 27, ac Plinio lib. 6. cap. 27, corrupte plerisque dicta *Gemen*, vel *Ayamen*, vel *Hyamen*, dicenda procul dubio *Jaman*, يمن aut *Jemen*, qua voce primo *Dextera*, *Meridies* deinde, sive *Austrus* designatur Arabibus, quaeque *Petraeae*, atque *Desertae* ad Meridiem subjecta, gemino Sinu Arabico ad occasum, & Persico ad ortum in modum Peninsulae concluditur, Urbes praestantiores habebantur olim *Nysa*, ubi educatus *Osiris*, sive *Bacchus*, cognomen Διονύσε *Dionysii* retulisse fertur apud Herodotum lib. 2. cap. 146, & lib. 3. cap. 97, Diodorum lib. I. cap. 2. p. 9, 13, ac lib. 3. cap. 5. p. 93. sq., Apollodorum Bibl. lib. 3. cap. 4. p. 159, & Eusebium Praep. Evang. lib. 2. cap. 2. *Bacchi* vero nomine Arabibus cultum *Sabin*, qui & *Dusares* est dictus, *Chuzi* filium ex Plinio lib. 12. cap. 14, (ubi tamen pro *Sabi* legendum *Samin*, idest *Solem* pro *Saba* putat Bochartus in Geog. lib. 2. Par. I. cap. 17. p. 101.), arguit Vir doctiss. Assemanus Bibl. Orient. T. IV. p. 583. Unde ex *Bar-Chuz*, idest Filio *Chuz* effictum cum Bocharto existimat *Bacchum*, qui Tertulliano Apolog. cap. 24. *Dysares*, Hesychio, & Stephano *Dusares*, Suidae *Theusares* dictus legitur, voce derivata a *Du*, & *Alsorat*, quasi *Dominus Sorathae*, idest *Aedis*, qua de Herbelotus Bibl. Orient. p. 221, & 827; quae Aedes in Mecha Urbe *Baccho* olim dicata, Urbe ipsa a *Baccho* dicta *Beccha*, qua de Giggejus in Lex., Bochartus lib. 4.

lib. 4. cap. 2. p. 214. ſq. ex Euthymio in Mahometicis cap. 8, Herbelotus p. 169, & 220, & Aſſemanus loc. cit. Ad Urbes Arabiae *Felicis* regrediendo, *Arga* Regia inter alias occurrit; *Thebae*, aliaeque in Arabico littore Ptolemaeo memoratae. In eodem littore *Tamna* Urbs Regia, in qua Templa LXV. olim extitiſſe auctor eſt Plinius lib.6. cap.28. *Nagia* Plinio, & *Cabatana* Straboni lib.16. p.528. recenſitae. *Atta* poſt fretum Sinus Perſici; *Rhegma*, & in flexu ejuſdem Sinus ad Septentrionem *Gerra*, denominata ſane a *Gerhamo Heberi* filio Urbis conditore, queis de Ptolemaeus lib.6. cap.7, Strabo lib.16. p. 536, ac Stephanus de Urb. p.84. In Mediterraneis *Saba* Metropolis in Monte poſita, de *Sabae* filii *Chuz* Gen. x. 7. Urbis conditoris vocabulo denominata, cujus Urbis Regina *Belkis* Arabibus cognominata, Geographo Nubienſi Clim. 1. Par.VI, Genebrardo, & Herbeloto Bibl. Orient. p.724. teſtibus, aliis *Makeda* apud Ludolphum, ad *Salomonem* olim profecta legitur III. Reg. x. 1, & II. Paralip. ix. 1. ſqq., quam utique non ex *Meroe* Aethiopiae Urbe, velut ex Joſepho Antiq. lib. 2. cap. 5, & lib. 8. cap. 2. contendit Grotius ad Matth. XII. 42, ſed revera ex *Sabaea* Regione Arabiae in Judaeam adveniſſe Philoſtorgii, Theodoreti in III. Reg. Q. 33, & in Num. Q. 22, Procopii ad I. Reg., Abenezrae in Dan. xi. 6, Benjamini Itiner. p.73, & 82, Zacuthi in *Jucazin* fol.135. ſq., & Geographi Nubienſis Clim. I. Par. VI. teſtimonio probant Sanchius in Reg. loc. cit., Bochartus in Geogr. Sac. Par.I. lib.2.cap.26. p.130. ſqq., ac Sebaſtianus Schmidt in Annot. ad III. Reg. x. 1. p.53, quibus Regina illa Auſtri, ut & Matth. XII. 42. legitur, Regina *Jeman*, ſeu *Aljeman*, ideſt in Auſtrali Arabia, ſeu Aromatifera dicitur, ſive Regina *Sabae*, Urbis nempe non longe ab Arabico Sinu diſſitae, qua de Diodorus lib. 3. cap. 3. p.85. ſq., Ptolemaeus, Agatharcides apud Photium p. 1372, ac Stephanus de Urb. p.276, de qua plura etiam Salmaſius in Exercit. ad Solinum p. 491. Inde *Sabaeis* inditum non modo nomen eſt, quo de infra, ſed inde quin etiam *Bacchus*, ſive *Dionyſius*, *Sabatius* Euſtathio ad Dionyſ. Perieg. p.132, Harpocrationi in Lex., Ariſtophanis Scholiaſti ad Veſp. p. 432, Etymologo &c. denominatus eſt; & Jupiter *Sabazius* inſuper

in Inscriptionibus apud Holstenium in Not. ad Steph. de Urb. p.276; unde Seldenus etiam de Diis Syris in Proleg. cap. 3. *Sabaeis* & *Jehovah Sabaoth* nomen adhaesisse persuasum habuit.

XVIII. Fuere & aliae in *Felici* Arabia illustres olim Urbes, ceu *Mariaba* Regia Urbs altera, Templa olim LX. muris includens apud Plinium lib.6. cap.28, ac Strabonem lib.16. p.535, quod indicat nomen ipsum רַבָּה *Rabba*, quod est *Dominari*, unde מרבה *Mariaba*, quasi *Dominorum Sedes*, sive *Urbs Dominans*, adeoque ut ab ipsa Urbe *Saba* haud distinguenda visa fuerit Bocharto Geog. lib. 2. cap. 26. p. 130. sq.; quam postea Urbem, aliasque septem *Egram*, *Annestum*, *Escam*, *Magusam*, *Tammacum*, *Labeciam*, & *Caripetam* dirutas, ac solo aequatas ab *Aelio Gallo* fuisse refert Plinius loc. cit. Quamquam Geographus Nubiensis Clim. 2. Par. VI. *Mariabam* ex rupto aggere in medio Urbis olim exstructo aquis submersam tradit. *Saphar* Urbs etiam Regia ad Meridianum Arabiae latus, qua de Plinius lib. 6. cap. 23. *Jemen* Regni aliquando caput antiquissimi ad Sinum Persicum, ubi *Jemamam* Reginam olim regnasse tradit loc. cit. Geographus Nubiensis: quae Regina sane tam a Regina *Saba* distinguenda est, quam a Regina olim *Thebis* in Aegypto regnante Herodoto *Nitocri*, sic a *Neith*, Arabibus *Minerva*, teste Platone in Timaeo, & a *Cabr*, Arabice *Victoria*, Elmacino notante Hist. Sarac. p.228, denominata, unde *Minerva Victrix* cognominata est, Josepho vero lib.8. Antiq. cap. 2. corrupte dicta *Nicaule*; pejus Zacutho in *Juchazin* fol.136. col.1. *Nicolaa*; pessime vero ab utroque cum Regina *Saba* confusa. *Beth-Sames*, hoc est *Urbs Solis* ad Mare Rubrum sita apud Stephanum de Urb. p.62. *Solis* enim cultum in Arabia, praesertim apud *Sabaeos* viguisse testis est Theophrastus in Hist. Plantar. lib. 9. cap. 4; unde Arabibus olim frequens illud Filiis impositum legitur nomen *Abd-Sciames*, idest *Servus Solis*; quomodo apud Christianos Arabes postmodum invaluit istud *Abdalla*, *Servus Dei*, & *Abdal-Messia*, *Servus Christi*. Adhaec *Ampies* Colonia olim Milesiorum a *Dario*, capta Mileto, in Arabia ad Sinum Persicum collocata, de qua Herodotus lib.6. cap.20, Plinius loc.

loc. cit., & Tzetzes Chil. 8. v. 993. Jungendae Urbes sequiori aetate insignes aliae: *Zibit* versus fretum Bab-El-Mandel Regni olim Metropolis; *Fartach* ad Mare Arabicum Urbs olim Regia; *Mascata*, & *Sohar* ad oram Maritimam; *Misfa*, & *Mascalat* in Mediterraneis utraque olim Urbs Regia; *Moka* Urbs hodie commercio valde celebris; *Medina Mohammedi* Sepulcro insignis, & *Mecha* Templo celebris. Atque in hocce Templo quidem eximie culta olim Arabibus *Ozza*, seu *Allath*, sive *Zohara*, Graecis *Urania*, Latinis *Venus*, ideſt *Luna* legitur. Hujus Idoli statua nihil erat, quam Lapis *Niger* quadratus, & informis, figuram capitis *Veneris* scalpro expressam referens inspicienti. Qui Lapis Arabibus كعب *Caaba*, ideſt Quadratus, حجر *Hagiar Al-Asuad*, hoc eſt *Lapis Niger*, ac برقع *Borca*, ideſt *Discolor* dici solebat; quo de Clemens Alex. in Protrep., Maximus Tyrius Serm. 38, Suidas V. *Theusares*, ac Euthymius Zigabenus in Panoplia. Ab eo autem Lapide *Betylorum*, Lapidum ideſt *Diis* consecratorum, apud Ethnicos nomen effluxit; (inter quos celebres habentur Lapides *Soli* Romae, Veronae, ac in Valle Policella prope Veronam, in Monte Lunae prope Sintriam in Lusitania, Albae Juliae, Cumis, Brixiae &c. dedicati; aliique *Soli Mithrae* inscripti Romae apud Gruterum Inscrip. p. 31. sqq., & 1066, atque Sponium in Miscell. Erud. Antiq. Suppl. Poleni T. IV. edit. Ven. p. 653 sq., & 655. sq.) Sed enim de *Betylis* plura Sanchoniathon, & Damascius apud Eusebium Praep. Evang. lib. 1, & Photium Bibl. p. 1047, & 1062; videndique Bochartus in *Chanaam*, sive Geogr. Sacr. Par. II. lib. 2. cap. 2. p. 707. sq., & Assemanus in Differt. de Syris Nestor. cap. 10. Bibl. Orient. T. IV. p. 584. sq., ac in Hist. Arab. differt. 4. §. 14. sqq. Chronico Orient. adjecta edit. Ven. p. 247. sqq. Ubi Bochartum in *Phaleg*, sive Geogr. Sacr. Par. I. lib. 2. cap. 19. p. 110. sqq. existimantem geminos eo in Delubro *Mechae* fuisse Lapides Nigros, quorum alter Ἀτύπωτος absque figura *Bacchum*, ideſt *Solem*, alter figuram *Veneris*, hoc eſt *Lunae* referret, oppido falli Vir doctiss. observat; unumque dumtaxat *Veneri* dicatum Lapidem eo loci positum, atque *Bacchum* in Turri qui-

 dem,

dem, non eo in Templo adoratum Veterum testimoniis comprobat. Falli quoque Hofmannum in Lex. V. *Arabes* scite advertit, ubi *Caaba* cum *Sorab*, idest Lapis ille cum Turri *Al-Cara* dicta, seu *Aquebila*, confunditur. Falli perinde Mohammedanos plerosque apud Herbelotum Bibl. Orient. p. 221, & 827, quibus *Alcaaba* perperam pro *Alcara*, sive *Aquebila*, eademque pro Turri *Sorab* usurpatur. Eo vero in Lapide Nigro, *Hagiar Al-Asuad* dicto, stetisse olim *Abrahamum*, dum aedificaretur Domus *Mechana*, ibique pedum vestigia reliquisse fabulantur in Alcorano *Sura* III. vers. 97. Moslemi, & Gelales apud Marraciu m T.II.p.131. In eo vicissim Lapide cum *Agare* congressum *Abrahamum*, aut ei Camelum alligasse, quum immolaturus filium esset, istoque specioso ideo praetextu Lapidem illum in honore Islemis haberi ex Mohammedanis Scriptoribus aliis referunt S. Joh. Damascenus de Haeres. haer. 101. Oper. T. I. edit. Lequien. Ven. p. 113, Nicetas in Saracenicis edit. Petav. T.I. p. 116, & Redericus Toletan. Hist. Arab. cap. 2. Denique Delubrum illud ab se ideo in honore haberi, quod ab *Angelis* aedificatum, ab *Angelis* iisdem, & ab *Adamo* invisiri soleat; eo *Diluvii* tempore in Caelum recepto, aliud postinde illi priori simile ab *Abrahamo*, & *Ismaele* fuerit exstructum, nugari non desinunt Moslemi alii tum in Alcorano *Sura* II. vers. 128, & *Sura* III. v. 96, tum Zamchascerius, Gelales, ac Thalabiensis Scriptores Islemici apud Marracium in Prodromo Alcorani Par. IV. cap. 27, & in Refut. Alcor. T.I. p. 82, & T.II. p. 52, ac 130, apud Herbelotum Bibl. Orient. p. 219, 420, & 569, ac apud Asseman num Bibl. Orient. T. IV. p. 585. sq., & Hist. Arab. p. 248. sqq., ubi pleraque de Lapidis hujusce fatis, deque Idolis aliis *Caaba*, *Sapha*, *Merua*, *Mina*, & *Araphat* ex Gelale, Abilfeda, Golio, Ecchellensi, Seldeno, Herbeloto, Marracio, Bocharto &c. persequitur: quae summis, ut ajunt, digitis attigisse, sat nobis aliò properantibus est, atque super.

XIX. Arabum quod nunc Antiquitates, & Origines attinet, eos, ut initium a nomine faciam, Hebraeis olim עַרְבִים *Arbim*, Syris *Arbajajm*, Popularibus أرب *Arab* a Regione עֲרָב *Arabia* III. Reg. x. 15, II. Paralip. IX. 14, XVII. 11, XXII. 1., &

1., & xxvi. 7, II. Esd. ii. 19, & iv. 7, Isaj. xiii. 20, & xxi. 13, ac Hierem. xxv. 24, & xxvii. 21. dictos observat Assemanus in Dissert. de Syris Nest. cap. 10. §. 1. n. 7. Bibl. Orient. T. IV. p. 565. sq. Eosdem vicissim nomen a *Desertis* locis traxisse volunt alii: nam ערבה *Arabah* Hebraeis, Syris, & Arabibus *Desertum* sonat. Vel a *Mixtis* Populis derivatos, quod videlicet ex confusione diversarum Gentium orti fuerint Arabes, unde ערב *Arab* idem est, ac *Miscuit*, velut ex Syro Auctore censet Ecchellensis in Hist. Arab. edit. Ven. cap. 2. p. 109. sq., non quod ex mixto complexu prognati sint, uti perperam visum Hofmanno in Lex. V. *Arabia*, vel dictos a *Jaarab*, sive *Arab Cathani*, seu *Jectanis* filio, veluti communis fert persuasio apud Ecchellensem loc. cit.; quo a *Jaarabo* Characteres Arabicos excogitatos fuisse refert Mashudius. Verum *Jaarabum*, non ex *Jectanis*, sed ex *Ismaelis* posteris descendisse adnotat Cl. Assemanus p. 566. Verius itaque Bochartus in Geogr. Sac. lib. 4. cap. 2. Par. I. Oper. T. II. p. 210. sqq., quod probat Assemanus loc. cit., scite observat ab una radice esse עֶרֶב *Ereb*, *Vespera*, עוֹרֵב *Oreb*, *Corvus*, & עֲרָב *Arab*, *Arabia*, uti liquet conferenti loca III. Reg. x. 15, & II. Paralip. ix. 14; adeoque promiscue עֶרֶב *Ereb* III. Reg. x. 15, & עֲרָב *Arab* Hierem. xxv. 24. dici, atque Homero *Arabes* dictos Ἐρεμβοὺς *Erembos*, quasi Ἐρεμνοὺς, vel Ἐρεβεννοὺς *Eremnos*, vel *Erebennos*, idest *Nigros* ex Possidonio refert Strabo lib. 16, quomodo a קדר *Kedar*, quod Hebraice *Obtenebrare* significat, Arabes Plinio lib. 5. cap. 11, & Uranio apud Stephanum *Cedrei*, aut *Cedranitae* vocati leguntur. Verum Regum, & Hierem. loc. cit. tam Graecus, quam Latinus Interpres *Arab* perpetuo legit *Arabes*, & *Arabiam*, queiscum Chaldaicus Paraphrastes concordat; ideoque isthaec retinenda lectio est. Jam vero de *Arabum* Origine, & Antiquitate loquendo, eosdem ab Hebraeis tum per *Sabam* filium *Chuz*, *Noachi* nepotem, tum per *Sabam Regmae* filium, nepotem *Chuzi*, tum per *Sabam* filium *Jectanis*, *Heberi* nepotem Gen. x. 7, & 28; tum per *Sabam Jecsanis* filium, nepotem *Abrahami* ex *Ketura* Gen. xxv. 3, tum per *Ismaelem Abrahami* filium ex *Hagare*, perque Filios alios ex *Ketura Abrahamo* susceptos

Gen.

Gen.xvi. 11. sqq., & xxv. 1. sqq. descendisse, ex modo dictis fit planum.

XX. Verum an indistinctim *Arabes* ab hisce *Noachi*, *Chuzi*, *Heberi*, & *Abrahami* Filiis, aut Nepotibus omnibus originem hauserint, quia dubitare Viros doctiss. nonnullos video, in quibus Bochartus in Geogr. Sacr. Par. I. lib. 2. cap. 25. sq., & lib. 4. cap. 7. sqq. p. 128. sqq., & 220. sqq. a quatuor illis *Sabae* cognomine affectis, *Chusi*, *Regmae*, *Jectanis*, & *Jecsanis* filiis, *Noachi*, *Chuzi*, *Heberi*, & *Abrahami* Nepotibus, quorum primi dumtaxat *Sabae* nomen per ס *Samech*, reliquorum trium per ש *Schin* esse scribendum admonet, descendisse Arabes contendit, atque ita quidem, ut e primo, secundo, & quarto posteris Arabia ad Persicum Mare inhabitanda obtigerit; e tertio, *Jectanis* nempe Filio, prognatis Arabico propior Mari pars incolenda suscepta fuerit, qua in sententia Bocharto adstipulari Blanchinius Hist. Univ. cap. 30. §. 9. p. 424. haud dubitat: ab eo tamen abjens Thomas Stanlejus in Prooem. Hist. Phil. Orient. lib. 3. p. 115, aliique hunc pone sequuti a *Saba* filio *Chuzi*, Nepote *Chami* Arabes originem trahere pugnant; ut hujusmodi pugna, quam alioqui componere facile est, a quatuor *Sabis* illis Arabes prognatos adfirmando, quod utrumque nobis perinde videtur, quò facilius, eò felicius componi possit, duae generatim Arabum origines distinguendae sunt, quarum prima Arabum *Indigenarum* fuit, secunda *Advenarum* reputari vulgo Arabibus solet. Atque prima quidem *Indigenarum* propago tergemina fuit, prima a *Chuzi* filiis *Saba*, *Hevila*, *Sabatha*, *Regma*, & *Sabatacha* Gen. x. 7. repetenda, unde a *Saba Sabaei* Regionis *Jemamae* ad Mare Rubrum Incolae, quibus de Geographus Nubiensis Clim. 1. Par. VI, & Alcamus apud Giggejum in Lex.; ab *Hevila* namque *Chaulotaei* Nabataeos inter, & Hagarenos medii in Arabia *Felice* ad Mare Persicum apud Strabonem lib. 16. p. 767, Eratosthenem ibid., ac Plinium lib. 5. cap. 12; a *Sabatha* Urbis *Saphtae* in Arabia *Felice* ad Mare Persicum conditore *Sabathes*, sive *Sabathaei* a Mari Rubro parum dissiti, quorum Coloniam in Persidem commigrasse, & *Messabathis* circa Mediae, Persidis, & Elymaidis confinia Populis nomen,

men, originemque fecisse ex Dionysio Periegete vers. 1014. sq., Herodoto lib. 7. cap. 85, Ptolemaeo, ac Plinio lib. 6. cap. 27. arguit Bochartus lib. 4. cap. 10. p. 223. sq.; a *Regma* Urbis Regiae olim supra ostium Maris Persici conditore *Atramitae*, & *Naritae* ad Persicum Sinum, queis de Ptolemaeus lib. 6. cap. 7, Plinius lib. 6. cap. 28, Stephanus de Urbib., ac Bochartus lib. 4. cap. 5. p. 218. sq.; a *Sabatacha* demum *Sabathae* Urbis Regiae conditore *Sabathacaei* ad Persici Maris littus, unde postea Coloniam in Carmaniam transfretasse, Urbique, atque fluvio *Samydaci*, Gentique inde denominatae *Samydacenae* originem, nomenque peperisse ex Marciano Heracleota in Periegesi p. 31, Ptolemaeo lib. 6. cap. 8, ac Strabone lib. 16. conjicit Bochartus lib. 4. cap. 4. p. 117. sq., iique *Sameni*, aut Σαλμεινοι Stephano de Urbib. p. 278. dicti videntur. Secunda *Indigenarum* Arabum origo a *Regmae* filiis *Saba*, & *Dedan*, quibus de Gen. x. 7, juncto Ezech. XXVII. 22, & XXXVIII. 13. deducenda procul dubio videtur. A *Saba* namque *Sabeos*, quos per ש *Schin*, ad differentiam *Sabaeorum* ex progenie *Chuzi*, qui per ס *Samech* scribendi sunt, designatos fuisse Psal. LXXI. 10, & Ezech. loc. cit. adnotat Bochartus in Geogr. Sacr. Par. I. lib. 4. cap. 7. p. 220; *Sabaeos*, inquam, profectos in Arabia *Felici* ostio Persico haud procul dissitae partis Incolas Pomponio Melae lib. 3. cap. 8, Ptolemaeo lib. 6. cap. 7, Arriano in Periplo, & Plinio lib. 6. cap. 23. memoratos intelligi oportere nullus ego quidem ambigo. Inde quin imo in Carmaniam transplantatas Colonias ex *Sabis* nomine indito Montibus Carmaniae apud Arrianum, fluvio apud Plinium, Urbi apud Ptolemaeum, ac Populis etiam Carmaniae apud Dionysium Periegetem arguit Bochartus lib. 4. cap. 7. p. 220. A *Dedan* vero Urbis *Dedan*, hodie *Dadan* in littore Persici Sinus, non procul a *Rhegma* Urbe, diversa plane a *Dedan* Urbe Idumaeae condita a *Dedane Abrahae* Nepote, conditore denominati sunt *Dedanaei* Regionis intra fretum Basorae, idest Persici Maris ostium, ac fluvium *Om*, Ptolemaeo *Lar*, & Geographo Nubiensi *Phalg* dictum, comprehensae Incolae. Queis de intelligendum Ezech. XXVII. 15, ac XXXVIII. 13. recte vidit Bochartus lib. 4. cap. 6. p. 219. sq., ideoque emendandum Grae-
cum

cum Interpretem esse, qui pro דדן *Dedan* legit רדן *Rhedan*, sive *Rhodon*, idest *Filii Rhodiorum*, uti recte monuit etiam S. Hieronymus.

XXI. Tertia tandem Arabum *Indigenarum* propago a *Jectane* filio *Heberi*, fratreque *Phalegi*, ejusque filiis *Elmodad*, *Saleph*, *Asarmoth*, *Jare*, *Aduram*, *Uzal*, *Decla*, *Ebal*, *Abimael*, *Saba*, *Ophir*, *Hevila*, & *Jobab* Gen. x. 25. sqq. repetenda procul dubio est. Ita videlicet Arabiae totius nomen a *Jare*, sive *Jarak* filio derivasse, a *Jectane* Patre Regioni *Jemenae*, Arabiae idest *Felici* nomen inditum fuisse, atque a Filiis aliis reliquis Arabiae Regionibus *Hegiaz*, *Hagiar*, *Midian*, *Negef* &c. nuncupationem adjectam, veluti a *Jobab*, ab *Hevila*, ab *Ophir*, a *Saba* &c. traditio Scriptorum Arabum est apud Herbelotum Bibl. Orient. p. 724. Quam originem magis ostendunt Populorum Arabiae ex *Jectane*, ejusque filiis propagatorum nomina, unde pateat falso plerosque a Josepho Antiq. lib. 1. cap. 7. in errorem pertractos a *Jectanis* posteris Indiae Regiones inhabitatas fuisse putasse. Ita nempe in Arabia *Felici* a *Jectane*, Arabibus *Cathane* dicto, *Cathanitae* Ptolemaeo denominati leguntur, sive *Jemanitae*, sive *Amanitae* Theophani in Chronog. p. 277. edit. Paris., Ven. p. 220, Stephano de Urb. p. 235, & Euthymio in Mahometitis p. 308; ab *Almodad Almodaei*, Graecis *Allumaeotae* Ptolemaeo in medio fere Arabiae *Felicis* recensiti; a *Saleph Salapeni* in *Felicis* Arabiae Mediterraneis; ab *Asarmoth*, Arabibus *Chadramoth*, *Atramitae*, sive *Chatramitae* Straboni, Dionysio Periegeti, Uranio, Plinio &c., ubi Metropolis Urbs *Sabbatha* Arriano, *Saubatha* Ptolemaeo, *Sabota* Plinio, *Scebam* Geographo Nubiensi, ibique cultus *Sabis* Deus, cui Thuris decimas solvi consuevisse scribit Plinius lib. 12. cap. 14: *Sabim* vero *Solem* esse tradit Theophrastus in Hist. Plant. lib. 9. cap. 4. A *Jare*, seu *Jarach Jerachaei*, Arabibus olim *Alilaei* Diodoro, & Agatharcidi dicti ad Mare Rubrum, ab *Alila*, sive *Luna* hodie sic etiam denominari ad ortum Mechae Incolae, Geographo Nubiensi Clim. 2. Par. V. teste, ubi & *Dysares*, sive *Dusares*, idest *Bacchus* cultus traditur Tertulliano Apolog. cap. 24, Stephano de Urb. p. 94. sqq. Ab *Aduram*

ram Adramitae, Vocumque A. I. deflexione Plinio lib.*6*. cap. 28. facti *Drimatae* ad fretum Sinus Persici, unde forte huic *Hormuz* nomen adhaesit, collocati. Ab *Uzal*, Arabibus أوزل *Auzal*, Graecis *Auzara*, derivati *Auzalitae*, sive *Auzaritae*, qui & *Javanitae*, sive *Jemanitae*, ad differentiam *Javanaeorum*, sive *Joniorum* in Graecia ex *Japheto* prognatorum, Ezechieli XXVII. 19. memorati, Giggejo in Lex., & Bocharto lib.2. cap.21. p.116. sq. videntur, Arabiae partem Australem inhabitandam acceperunt, *Jemanem*, sive *Aljemanem*, sive *Ausaritem*, unde celebris *Ausaritis* Myrrha, denominatam. Ubi Regia Urbs olim illustris *Uzal* Hebraeis, Arabibus *Sanaa* nuncupata, teste R. Zacutho in *Juchazin*, ut notatum est Drusio in Matth. XII. 42, ac Bocharto loc. cit. p. 114. sq.; quaeque Urbs tam Ptolemaeo lib.*6*. cap.7. sq., quam Geographo Nubiensi Clim. 1. Par. VI. in gradu 14. e regione Musae portus in Mari Rubro ponitur. A *Decla*, sive *Dikla*, quod Chaldaeis, ac Syris *Palmam*, aut *Palmetum* sonat, *Diclaei* Arabiae *Felicis* Incolae, qua ad Austrum vergit, qui *Minaei* Plinio lib.*6*. cap. 28, quin imo Graeco Interpreti II. Paralip. XX. 1. pro *Ammonitis* legenti *Minaeis*, ac Jobi II. 11, XI. 1, XX. 1, & XLIX. 9. dicti Bocharto lib.2. cap.22. p. 118. sqq., non qua aditum ad Mare Rubrum aperit, cujusce partis Incolae *Scenitae*, Graecis *Saraceni* feruntur Eratostheni apud Strabonem lib. 16. p. 767, Procopio de Bello Pers. lib. 1. cap. 17. sqq., & Nonnoso apud Photium in Hist. Legationum Bibliot. Cod. 3. p. 6.

XXII. Adhaec ab *Ebal*, seu *Obal*, seu *Aubal Avalitae*, sive *Abalitae*, qui ex Arabia *Felici*, freto transmisso ad fauces Arabici Sinus, in Arabiam *Troglodyticam* migrasse, ac freto *Avaliti* nomen fecisse videntur. Quod fretum Arabibus hodie *Almandab* المندب Geographo Nubien. Clim.I. Par. V, & VI, sive *Bab-El-Mandel*, Fretum nempe funestum ob angustias, Stadiis vix 60, Arriano in Periplo p. 8, aut Milliariis 3. non amplius, Vartomano Navigat. lib.2. cap.3. referente, patens, frequentes ob Syrtes etiam in Mari latentes, atque mortiferum, qui spirat aliquando, Ventum. Ab *Abimael*,

Arabice *Abu-Mael*, ideſt *Patre Malitarum*, *Abimalitae*, ſive *Malitae* Theophraſto in Hiſt. Plant. lib.9. cap. 4, *Manitae* Ptolemaeo in Arabia Myrrhifera, ſive Aromatifera. A *Saba Sabaei*, ſive *Sabatae* ad Mare Rubrum incolae, ubi Metropolis Urbs *Saba* Monti inaedificata, *Mariaba* nonnullis dicta, aliis ab hac diſtincta, unde celebris Regina ad *Salomonem* profecta legitur. Ab *Ophir*, Arabice أوفر *Auphar*, quod *Opulentiam* ſignificat apud Giggejum in Lex., progeniti ab *Opulentia*, ſive Regione auro opulentiſſima dicti Ptolemaeo, & Stephano *Caſſanitae*, Diodoro, & Agatharcidi *Gazandae* leguntur, voce derivata a verbo חסן *Chaſan*, quod in *Kal* eſt *Poſſidere*, in *Niphal Recondere*, unde Proverb. xv. 6. חוסן *Choſen Theſaurus*, atque Graecis per Aphaereſin *Gaza* prodiit. De *Ophira* in India altera nonnullis collocata, *Salomonis* Claſſibus eaque celebratiſſima, alibi me diſputare memini. Ab *Hevila*, Arabice *Chavila*, derivati *Chaulanitae*, qui Agatharcidi, & Diodoro lib. 3. cap. 3. p. 85. *Carbi*, Plinio lib. 6. cap. 28. *Cerbani* dicuntur, Regionis *Tehamae*, ſive *Jamanae* in Arabia *Felice* ad Mare Rubrum extenſae Incolae, ubi a Geographo Nubienſi Clim. II. Par. V. *Du-Sohaim*, ſive *Chaulan-Du-Schaim* Urbs Metropolis, ac munitiſſima ſtatuitur, duaeque aliae Plinio junguntur *Nagia*, & *Tamna*, ultima iſta Templorum LXV. celeberrima. A *Jobab* denique, Arabibus يباب *Jebab*, quod *Deſertum* ſonat, *Jobabitae*, Ptolemaeo *Jobaritae*, B, & P. paſſim confuſis, ut notatum Salmaſio Exerc. in Solinum p. 277, Deſertam Arabiae partem ſupra fretum *Sachalite* uſque ad Promontorium *Korodamum*, hodie *Riſalgate*, inhabitandam ſuſcepere: queis de univerſim adeundi Gabriel Sionita de Orientis Urbib., Relig., & Moribus, Bochartus in *Chanaan*, ſive Geog. Sacr. Par. II. lib. 2. cap. 15. ſqq. p. 96. ſqq., Aſſemanus in differt. de Syris Neſt. Bibl. Orient. T. IV. p. 553. ſqq., & in Hiſt. Arab. Chronico Orient. adſuta differt. 4. edit. Ven. p. 220. ſqq., Fourmontius in Reflex. Crit. in Hiſt. Vet. Popul. T. II. lib. 3. cap. 15. p. 290. ſqq., ac Clericus in Comment. ad Geneſ. X. 25. p. 100. ſq.

XXIII. Altera, quae ſecunda eſt, *Advenarum* Arabum

bum origo deducitur ex Filiis, quos tam ex *Agar*, quam ex *Cetura* suscepisse legitur *Abraham* Gen. xxv. 1. sqq. Ex *Agaris* nempe filio *Ismaele*, ejusque filiis duodecim *Nabajoth*, *Cedar*, *Abdeel*, *Mabsam*, *Masma*, *Duma*, *Massa*, *Hadar*, *Thema*, *Jethur*, *Naphis*, & *Cedma*, unde derivatae totidem in Arabia, ab *Hevila* usque *Sur*, in Arabia *Petraea*, idest a Chananaea usque ad Sinum Arabicum, sive a Mari Rubro usque ad Aegypti confinia, qua de re Eusebius, ac S. Hieronymus de Loc. Hebr., inhabitasse Tribus, sive Gentes, ac totidem inde Urbibus, ac Regionibus inditum nomen eodem loci, juncto S. Hieronymo de Loc., leguntur, videndique Bonfrerius in Onom., ac Cellarius in Geogr. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 14. sect. 1. p. 570. sqq. A *Cedare* porro *Ismaelis* filio genealogiam *Mohammedi* ab Islemicis deduci, ita tamen, ut in *Cedaris* posteris recensendis usque ad *Adnanum Maadi* patrem per annos bis mille quingentos, & amplius Moslemi inter se Scriptores haud convenire queant, scite observant Herbelotus in Bibl. Orient p. 120, Marracius in Refut. Alcorani Par. I. p. 10, & Assemanus in Bibl. Orient. T. IV. p. 574. sq. Quod ipsum adparet ex Scriptoribus ipsis Mohammedanis Abilfeda, de quo Ecchellensis in Hist. Arab. cap 3. p. 113. sq., ex Atlante Histor. edit. Amst. T. V. p. 46, ex Chronico Turcico MS., quo de Assemanus p. 575. Ad haec secunda *Advenarum* isthaec Arabum propago ex *Abrahami* filiis aliis ex *Cetura* procreatis mirifice adaucti, longe, lateque in Arabia *Deserta* producta est, nempe ex *Zamra*, *Jecsane*, *Madane*, *Madian*, *Jesboc*, & *Sue*, ex horumque filiis, Jecsanis *Saba*, & *Dadane*; Madianis *Epha*, *Opher*, *Henocho*, *Abida*, & *Eldaa*; Dadanis *Assurimo*, *Latusimo*, & *Loomimo* Gen. xxv. 2. sqq., e quibus totidem in Arabia *Deserta* praesertim Nationes prodjisse non dubium est. Jungendi ex *Lothi* filiis *Moab*, & *Ammon* Gen. xix. 37. sq., atque ex *Esau*, seu *Edom* filii *Isaaci* filiis *Eliphas*, *Rahuel*, *Jehus*, *Ihelou*, & *Core* Gen. xxxvi. 4. sqq.; unde notissimi in Arabia descenderunt Ismaelitae, Madianitae, Ammonitae, Moabitae, Edomitae, seu Idumaei &c., qui Genti *Arab-Mostaarabah*, idest *Advenae*, sive *Adscititii* denominari solebant. Ex Nepotibus *Esau* rursus Gen. xxxvi. 11. sqq. jun-

jungendi ex Eliphaz *Theman*, *Omar*, *Sepho*, *Gatham*, *Cenez*, & *Amalech*; ex Rahuele *Nabath*, *Zara*, *Samma*, & *Meza*; ex Seiro etiam *Lotan*, *Sobal*, *Sobeon*, *Ana*, *Dison*, *Eser*, & *Disan*; ex Lotane vero *Hori*, & *Heman*; ex Sobale autem *Aluan*, *Manahat*, *Ebal*, *Sepho*, & *Onam*; ex Sebeone item *Aja*, & *Ana*; ex Ana rursus *Dison*; ex Disone iterum *Hamdan*, *Eseban*, *Jethran*, & *Charan*; ex Eser etiam *Balaan*, *Zavan*, & *Acan*; ex Disane denique *Hus*, & *Aram*: a quibus omnibus totidem in Arabia Populis inditum nomen est, queis de adeundi Herbelotus Bibl. Orient. p. 120, Assemanus in Bibl. Orient. T. IV. p.554. sq., ac Cellarius in Geogr. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 14. p.569. sqq., qui suum unicuique ex Nationibus his in Arabia praesertim *Deserta* locum adsignare post Strabonem lib.16, Plinium lib.5.cap.11, & lib.6. cap.28. sq., Ptolemaeum lib.5. cap.17, S. Hieronymum in Gen. Quaest. 25, ac de Locis Hebraic., & S. Epiphanium in Anaceph. p.145. conatur, atque tum ex his alias plerasque Nationes enatas, queis longe, lateque inhabitata deinde fuit Arabia, lato persequitur calamo.

XXIV. Atque hisce profecto consona valdequam de Arabum propagine tradunt Arabes passim Scriptores Abilfeda, Schiarestanus, Sciaraphus, aliique apud Ecchellensem in Hist. Arab. cap.2. sq. Chronico Orient. adjecta edit. Ven. p.109. sqq., quam in rem etiam conferendi Pocockius in Specim. Arab. p. 36. sqq., ac Fourmontius in Reflex. Crit. T. II. lib.3. cap.15. p.290. sqq., atque recolenda, si placet, quae Volum. III. Art. I. de Mens., & Annis Arabum &c. §. 1. sqq. p. 106. sqq. plurimis, abundeque nobis disputata sunt. Inde factum itaque puto, ut Arabes magno se consensu *Abrahami* posteros adfirmare non desinant, veluti fidem nobis faciunt Arabes Scriptores apud Hottingerum in Hist. Orient. lib. 1. cap. 3. p. 57; ab *Abrahamo* litteras se accepisse jactantes, velut ex fide Schiarestani refert Pocockius in Specim. p.54; quin etiam *Abrahami* Scripta quaedam in Arabia superesse gloriantes apud Stanlejum in Hist. Philos. Orient. Par. XV. lib. 3. cap. 2. p. 1170. Quod egregie confirmant tam Arabicae cum Hebraea linguae hodierna vel adfinitas, qua de Viri doctiss. Erpenius de Ling. Arab. Orat.

Orat. 1. ſq., Hottingerus in Analect. diſsert. 2. de Heptapl. Pariſ., & Diſsert. 6. de Uſu Ling. Arab., Pocockius in Specim. Arab., & Waltonus in Appar. Bibl. Proleg. XIV. edit. Tigur. p. 404. ſq.; quam Caeremoniae apud Arabes communes, quae Hebraeis vel permiſsae, vel prohibitae in Lege leguntur, queis de fuſe poſt Maimonidem in *More Nevochim* Par. III. cap. 45. ſq. agunt Pocockius in Specim. Arab. in Not. p. 328. ſq., Hottingerus in Hiſt. Orient. lib. 1. cap. 8. ſqq. p. 197. ſqq., Spencerus de Legib. Hebr. Ritual. lib. 2. cap. 4. ſqq. edit. Pfaffii T. I. p. 293. ſqq., Waltonus loc. cit. Proleg. XIV. p. 404. ſq., Witſius in Oecon. Foederum Dei lib. 4. cap. 14. §. 8. p. 679. ſq., & Joh. Henr. Majus in diſſert. de Zabiis §. 11. in Faſcicul. diſſert. Schlaegeri p. 87. ſq. Cujuſmodi ex Levit. XXI. 5. liquet, Ne Calvitium in capite ſuo decalvarent, ac Barbae extremitatem raderent, & inciſuram facerent in carne ſua. Levit. XI. 7. ſq. De non edenda carne Suilla. Levit. XIX. 26, & 31, ac Deuter. XVIII. 14. contra Magos, Augures, Divinos, & Incantatores. Levit. XVII. 7. Ne Sacrificaretur שעירים Daemonibus *Hircorum* forma apparentibus. Levit. XI. 9. ſqq. De Carnibus Animalium licitis, vel illicitis, quibus veſci, vel abſtinere Sabaei ſolebant. Levit. II. 11. ſqq. De Sacrificiis Sale condiendis ſine melle, & pane, Laganiſque abſque fermento offerendis. Levit. XIX. 23. ſqq. Ne annorum primorum fructus ederentur. Exod. XXVIII. 42. De Sacerdotum femoralibus operiendis, quum offerrent, quandoquidem Veteres Arabes nudi Sacra celebrare ſua conſueverint. Num. XXVIII. 15. De Hirco in *Novilunio* offerendo. Deuter. XXII. 5. Ne Mulier induatur veſte Virili. Levit. XVII. 10. ſqq., & XIX. 26. De eſu Sanguinis prohibito, quem Sabaeis edere ſolemne erat. Levit. XVIII. 21, & Deuter. XII. 31. Ne Liberi per Ignem traducerentur Gentium *Diis* offerendi. Ezech. VIII. 16. De adorando ad Occidentem, ad quem ideo *Sanctum Sanctorum* collocatum erat, non ad *Solis* ortum, quod Sabaeis erat ſolemne, teſte Abilfeda, videnduſque Petrus Frid. Arpe de Taliſm., & Amuletis p. 15.

XXV. Atque *Sabaeos* quidem iſtos, quorum ab ignominia plenis abſterrere ſuperſtitionibus Hebraeos, Deo jubente *Moy-*

Moyses fategit, a *Saba Chuzi* filio prognatos fuisse haud ambigunt Hottingerus in Hist. Orient. lib.1. cap.8. p.256, Stanlejus in Hist. Philos. Par. VI. in Prooem., Osiander ad Gen. x. 7, Leusdenius in Onom. Georgii Lex. Sancti, Gurtlerus in Origin. Mundi lib. 1. cap. 10. p. 100, Buddeus Hist. Eccles. Vet. Test. Periodo I. sect.3. p.333, & Majus in Dissert. de Zabiis §.3. in Collect. Schlaegeri p. 72. sq. A *Saba* vero *Rhegmae* filio descendisse *Sabaeos* illos, dicendosque mutata ש in ז aut צ *Zabios*, sive *Tzabios* mavult Reyherus in Theatro Lat. Germ. Graeco. A *Saba* filio *Jectanis* alii, aliique vicissim a *Saba Jecsanis* filio, queis laudem vocati ab se Populi alternatim Viri doctiss. vindicant, quibusve de quatuor uno, eademque *Sabae* adpellatis nomine Viris adeundi Bochartus in Geogr. Sacr. lib.2. cap.25. p. 128, & qui ejus vestigia premit, Hillerus Onom. Sacr. p. 290, atque recolenda, quae super. §. xix. sq. dicta sunt. Etsi vero alterutri ex his suam *Zabios* adscribere originem haud ignoremus, & hac ipsa in re consentientes quin etiam habeant Arabes, Graecos, Latinosque nonnullos, tantam hancce tamen *Zabiorum* antiquitatem inficias ego quidem eo: atque eam, id efficit sane, quod *Sabaeorum* originem, & nomenclationem a *Saba* filio *Adrisi*, filii *Jascibab*, filii *Jaarab*, filii *Cahtani*, filii *Heberi*, filii *Sale*, filii *Arphaxad*, filii *Sem*, filii *Noe*, qui *Saba* ante dictus *Habdsciamus*, deinde a verbo *Spoliavit* accepto nomine, *Saba* dici cepit, quod bello Arabiae Felicis imperium sibi adquisiverit, derivari testes, quorum mihi verius testimonium videtur, accedunt Ismael Sciahinschiac in Hist. Gentium cap. 3. sect. 1, Abasahidus Almograbi, Mohammedus ben Alsciahna in Chron., sive Hist. inscripta *Hortus Spectaculorum*, Auctor *Camusi*, sive Thes. Ling. Arab. V. *Saba*, Gellaladdinus Mohammedus ben Ahmedi Almohalci Comment. in Alcoran. cap. de *Saba* apud Ecchellensem de Orig. Nom. Papae cap. 27. §. 10. p.318. sqq. Jam vero vero a *Sabaeis* utique primo distinguendos esse *Zabios*, in Arabia quidem, non in Chaldaea, uti plerisque visum, quaerendos ex Barhebraeo apud Ecchellensem p. 322. sqq. persuasum habeo. Qua de Secta, ut obiter dicam, ut enim dicam ea mihi suppetit ratio, quod in Scripturis Sacris, veluti

veluti Psal. LXXI. 10, & Ezech. XXVII. 22. sq., & XXXVIII 13. tota fere *Sabaeorum* Gens in Arabia duobus hisce dumtaxat vocabulis שבא *Sceba* per ש *Schin*, & סבא *Saba* per ס *Samech* comprehensa legitur, à *Zabiis* sane distinguendos secundo fore Semi-Judaeos, ac Semi-Christianos illos, qui *S. Johannis Baptistae* discipulos olim se jactabant, atque frequentes hodie dum feruntur in Urbe Bassora ad Tigris ripam, juxta viciniam Maris Persici, atque in Arabia quoque, opinor. Qua de re Moynius in Var. Sacr. p. 685, Huntigtonus in Epist. a Smitho editis, Peringerus in dissert. de Zabiis p. 64, Tavernierius Itin. lib. 2, Wagenseilius in Synop. Hist. Univ. p. 84, Richardus Simonius Bibl. Crit. T. I. cap. 12. p. 170. sqq., Fabricius in Cod. Pseudepigr. Vet. Test. T. I. p. 27. sq., & Salut. Luc. Evang. cap. 5. p. 110. sq., & 119. sq., Wolfius in Bibl. Rabbin. Par. I. p. 113. Not. K, Thevenotus Itin. T. I, & Agathangelus Carmelita in Epist. ad Huntigtonum apud Smithum in Vita Huntigtoni p. 21, & 84, & Fabricium Cod. Pseudepigr. loc. cit., qui a Christianis *S. Johannis Bapt.* diversos admodum Zabios facere haud ambigunt. Quamvis neque prorsus improbandam ego quidem existimem illorum opinionem, qui a Pseudo-Christianis illis haud diversos esse faciendos Zabios in Alcorano *Sura* II. vers. 62, *Sura* V. v. 78, & *Sura* XXII. v. 17, ac Maimonidi in *More Nevochim* loc. cit. memoratos putant, velut Huetius Demonst. Evang. Prop. IV. cap. 4. edit. Ven. T. I. p. 78, Ecchellensis in Eutychio Vindic. p. 325. sqq., Chardinus Itiner. T. VI. p. 317, Kaempferus in Amoenit. Exoticis Politico-Physico-Medicis p. 436. sqq., Fabricius Salut. Luc. Evang. cap. 37. p. 636. sq., Marracius in Refut. Alcorani p. 33. sq., Ignatius a Jesu Carmel. in Libro Romae edito de Orig. Ritib., Error. Christ. S. Joh. cap. 1. sq. p. 11. sqq. apud Assemanum in Bibl. Orient. T. IV. p. 609. sq., qui eadem in opinione versatur, & Herbelotus in Bibl. Orient. p. 472, 577, & 725. sqq., ubi ex Islemis Scriptoribus Hosain Vaës, Ben Sciochnah, Ben Hazem, & Ebn Chalecan suadere nititur *Sabaeos* a *Zoroastris* disciplinis absuisse quidem, fuisse tamen Chaldaeos, atque a *S. Johannis Bapt.* discipulis indistinctos. Praeferendam tamen priorem inde puto, quod, ut mox planum fiet, *Zabii* Idololatriae

latriae toti dediti fuerint, quod de *S. Johannis Bapt.* Christianis, quos Judaeorum, qui ad Jordanem olim a *S. Johanne Bapt.* baptismo initiati fuerant Actor. xix. 3, fuisse reliquias neque opinionis adversae patroni diffiteri sustinent, adfirmare nefas est.

XXVI. Itaque *Zabios* Idololatriae profecto addictissimos fuisse, cultuique praesertim *Solis*, cui Aureas imagines, atque *Lunae*, cui Argenteas locare, dedicareque figuras solebant, mancipatos quammaxime, post *Mohammedum*, a quo eorum in Alcorano *Sura* II. fit mentio, postque Maimonidem, qui in *More Nevochim* Par. III. cap. 29. p. 153, ibique ejusdem Interpretem R. Schem Tod, eorumdem de Religione fuse agit, quam etiam in rem conferendi Abulpharagius in Chron. Syro p. 81. sq., 95, & in Hist. Dynast. p. 184, & 197. apud Assemanum Bibl. Orient. T. II. p. 316. sq., & T. IV. p. 612. sqq., Vattierus in libro de Mirabilibus Aegypti a Murtado Scripto ex Arabico ab se Galice verso, ubi ex Arabum traditione fertur *Bardesir* filius *Cophtarim*, *Chami* nepos Sacerdotalis apud Aegyptios Ordinis institutor, Deosque repraesentantium Imaginum, atque Templorum inventor, Amrus item, atque Dionysius Jacob. in Chron. Syr. apud eumdem Assemanum Bibl. Orient. T. I. p. 51, & 201, T. II. p. 112, T. III. p. 161, & T. IV. loc. cit., ubi *Sabaeos* Paganos, ac Manichaeos adpellant; quod etiam animadvertit Longuerue de Var. Epoch. cap. 2. §. 12. p. 64; unde a Manichaeis plures *Sabaeos* hausisse errores, arguit ibid. Assemanus, *Zabios*, inquam, sive *Sabaeos* Idololatriae addictissimos fuisse, jam convenit inter Doctos, qui tamen eorumdem de origine valde inter se discrepant, & antiquitate. Eos enim *Chaldaeos* ab Arabico צבין *Tzabin*, idest *Apeliote* Vento, quasi Orientales dictos post Eutychium in Annal. Alex. T. I. p. 63. aestimant Scaliger in epist. ad Casaubonum Epist. lib. I. ep. 62, Spencerus de Legib. Hebr. Ritual. lib. 2. cap. 1. edit. Pfaffii T. I. p. 277. sqq., Chardinus Itin. loc. cit., Golius in Not. ad Alfraganum p. 251, & in Lex. Arab., Abulpharagius in Hist. Dynast. 9. p. 194, & 281, Herbelotus loc. cit., Salmasius de Annis Climact. in Praefat., Meninskius in Thesaur. Orient., Blanchinius in Hist. Univ.

cap. 30.

cap.30. p.470. ſqq. , aliique . Aethiopiae Incolae viciſſim ex Arabia olim illuc deportati , & *Abyſſini* dicti ab Urbe *Abyſſa* in Arabia Straboni lib.7. memorata , unde ortum duxere; viſi ſunt Stephano Morino in Differt. de Cognatione Lacedaem., & Hebr. p.4 , conjectura inde ducta , quod ab eadem Urbe *Abas* dicti *Sabaei* , & *Abaſſeni* videantur , prout nempe oppoſito ab Arabibus, ac Aethiopibus legitur ordine . Namque סבא ſi سبا dextera ad ſiniſtram , uti legere Hebraeis , Arabibus , & Orientalibus eſt in more , legatur , eſt *Saba* , unde *Sabaei* dicti ; ſi e contra a ſiniſtra ad dexteram , uti ſolent Aethiopes , Graeci , aliique Occidentales , eſt *Abas* , unde *Abyſſini* . Contra vero *Sabaeos* origine *Arabes* eſſe , dictoſque ab Hebraea voce צבא *Tzaba* , quae *Militiam* ſignificat , eo quod Zabiorum Religio in colenda Militia Caeleſti , *Sole* , *Luna* , & *Sideribus* , integra verſata ſit, (unde veteres Arabes ab Agatharcide cap.49, Diodoro Siculo lib. 3. p.125 , ac Strabone lib. 16. p. 277. Ἀλιλαῖοι *Alilaei* , ideſt בני הלאל *Filii Hilal* , ſive *Lunae* , & Hebraice ירחים *Jerachim* , hoc eſt *Lunares* dicti ſunt , & vetuſtiſſima ad *Lunam* ab Arabibus dirigi ſolita oratio Ἀλλά Ἀλλά Οὐακυβάρ Ἀλλά legitur apud Euthymium in Saracenicis , & Conſtantinum Porphyrog. de Admin. Imp. cap.15 , quo de argumento plura Fullerus in Miſcell. Sacr. lib. 1. cap. 13. Critic. Sacr. T.VII. edit. Francof. p.28. ſqq. , Seldenus de Diis Syr., Bochartus in Geogr. Sacr. Par.I. lib.2. cap.19. p.109. ſqq. , ac David Millius in Differt. Select. ad Varia S. Litter., & Antiq. Orient. capita differt. 4. de *Gad* , & *Meni* §. 21. p.114. ſq.) , *Zabios* , inquam , origine *Arabes* fuiſſe verius poſt Scriptores Arabes pleroſque cenſent Pocockius in Specim. Hiſt. Arab. p.138 , Peringerus in Differt. de Zabiis apud Schlaegerum in Faſcic. differt. p. 51. ſqq. , Stillingfleetus Origin. Sacr. lib. 1. cap.3. p.44 , Hottingerus in Hiſt. Orient. lib.1. cap. 8. p. 170 , & in Theſ. Philol. p.56 , Hydaeus in Hiſt. Relig. Vet. Perſar. cap.3. p.57 , Aſſemanus Bibl. Orient. T.IV. p.611. ſqq. , & Bruckerus in Hiſt. Critic. Philoſ. lib.2. cap.5. §.5. T.I. p.216. ſqq., ubi *Zabiorum* Religionem , cujuſce ſumma capita ex Maimonide , & Shareſtano Arabe Scriptore apud Pocockium, Prideaum , Stanlejum &c. deſcripta exhibet , tam a Sectis aliis ,

doctrinis, Ritibus, ac Disciplinis quibusdam sibi peculiaribus distinctam fuisse, quam Sectam esse nuperam, ut ut a *Setho* descendisse se *Zabii* apud Maimonidem jactent, Graecis olim, Latinisque omnino ignoratam, neque facile ante Muhammedis aetatem exortam in Mundo audivisse contra Spencerum speciatim contendit.

XXVII. Quo uno sane concidere omnino oportet omnia, tum quae de *Zabismi* antiquissima origine tradere non depuduit Arabes plerosque, atque Latinos, e quibus *Zabismum* ortum duxisse a *Setho* alii, aliique ab *Henocho* volunt apud Pocockium in Not. ad Specim. Arab. p. 138; a *Noacho* scribit Alfirauzabadius; a *Nachore* tradit Georgius Ebnol Amidi; a *Navazibo* Persa, vel a *Javane* filio *Mercurii*, vel a *Tachmurato* Persarum Rege pugnant alii relati Patricidi, seu Eutychio Alex. apud Hottingerum in Thes. Philol. lib. 1. cap. 1. sect. 8. p. 55, & Elmacino apud eumdem in Hist. Orient. lib. 1. cap. 8. p. 246. sq.; (sed Hottingerum emendavit Abraham Ecchellensis de Orig. Nom. Papae cap. 27. §. 10. p. 310. sqq., ostenditque ex Elmacino pro *Navasib* legendum *Jovasib*, pro *Tachurith* legendum *Taburit*, ac pro *Javane* filio *Markolis* legendum *Aliunam* filium *Morkelii*); a *Zoroastre* adstruit Saidus Batricides apud Seldenum de Jure Nat., & Gent. p. 270; ante vero *Abrahamum* obtinuisse *Zabismum* aestimant Scaliger in Elencho Trihaeresi p. 370, Peringerus in dissert. de *Zabiis* p. 56. sqq., Majus in dissert. de Zabiis §. 4. p. 75. sq. post Maimonidem Comm. in *Avoda Zara* Par. IV. cap. 7, & in *More Nevochim* Par. III. cap. 29. sub initio, ubi a Sabaeis *Adamum Lunae Apostolum* dictum, atque *Sethum Lunae* quoque cultui quammaxime addictum eorumdem sententia refert, & cap. 46. veteres etiam Aegyptios *Lunam* colere, in *Novilunio* hirco immolato, consuevisse subjungit; tum quae pro incrustanda *Zabismi* antiqui fabula, & quae illa suffulcitur, legum Mosaycarum opposita ratione a Spencero prolata sunt: quam in arenam pariter contra Spencerum descendisse, prolixeque desudasse leguntur Wolfius in dissert. de Hypothesi Spenceri de Zabiis, & in Manichaeismo ante Manichaeos p. 85. sqq., Pfaffius in dissert. Praelim. ad Spencerum, Loescherus de Causs. Ling.

Ling. Hebr. lib. 1. cap. 5. p. 59, *Zabios* non diu ante conditum Alcoranum exortos statuens, Rechenbergius in Hierolexico, Joh. Dan. Jacobus in Exam. Hypothesis Spencerianae de Legib. Mosaycis Zabiorum erroribus oppositis Miscell. Lips. T. II. Observat. XXXI. p. 453. sqq., Buddeus in Hist. Eccl. Vet. Test. Periodo I. sect. 3. §. 22. T. I. p. 333. sqq., & Reimannus in Hist. Atheismi cap. 9. §. 7. p. 81. sqq., ubi Buddeum in Thelib. de Atheismo cap. 1. p. 14, & in dissert. de Spinozismo ante Spinosam §. 20. ex fide unius Maimonidis, an *Zabiis* Spinozismum adfingere fas sit, addubitantem rite redarguit, atque ex *Zabiorum* dogmatibus, quae eodem loci, nedum ex Maimonide, sed etiam ex Abulfaragio in Hist. Orient. edit. Oxon. p. 184, ex Mohammedo Ben Isaaco, & Ali Said Vaheb, aliisque apud Hydaeum in Hist. Relig. Vet. Pers. cap. 3. p. 87. sq., & cap. 5. p. 124, apud Hottingerum in Hist. Orient. lib. 1. cap. 8. p. 172. sqq., in Thes. Philol. lib. 1. cap. 1. p. 57, & apud Stanlejum in Hist. Philos. Orient. lib. 3. cap. 4. p. 122, *Zabios* gravi plane Atheismi suspicione premi adeo demonstrat, ut ab ea liberari, abstergique labe nequeant. Qua in re Maimonidis fidem elevare frustra desudavit Millius in dissert. IX. de Commutatione Vestium &c. §. 25. p. 277. sqq. testimonio Abulfaragii Hist. Dynast. p. 282, & Omaris ben Ghidr Aspahamensis in Cod. MS. apud ipsum servato suffultus, qui Deum Unum, Caeli, Terraeque Creatorem Zabiis agnitum tradunt.

XXVIII. Infectum, venenatumque *Zabismi* surculum fuisse *Harbanistarum* Sectam in Arabia alteram auctor est locuples Sharestanus apud Pocockium in Specim. Arab. p. 144: quorum inter errores is recensetur, quod post Periodum *Maximam* annorum 36425. absolutam interituras omnes Animantium omnino species, ac deinde renovandas fore, nec aliam dari *Resurrectionem* docerent. Ex his jam vero a primo ad ultimum, ut id obiter innuam, augurari fas est, antiquissimam, quae Hebraeis propria fuerat, atque primam, una cum Anni forma, putandis annis usu *Sabaeis* Epocham venisse. Praeter hasce duas porro celebriores *Zabismum*, & *Harbanismum*, plerasque olim apud Arabes obtinuisse Sectas compertum est. Quarum antiquior, ac praecipua fuit *Chaleditarum* Secta, a

Chaledo filio *Sanani* Habsita, Persarum Magis infensissimo, denominata est. Praecipua hujusce Sectae doctrinae capita cum Hebraeorum Dogmatibus probe congruebant: namque Unum rerum omnium *Creatorem*, atque *Gubernatorem* credebant; *Mortuos* ad vitam fore revocandos, atque *Probos* aeternis praemiis, felicitateque donandos iri; contra *Improbos* perpetuis fore afficiendos suppliciis, infelicitateque perenni damnandos. Huic adversa erat, antiquissima etiam ipsa, ita tamen, ut hodiedum etiam duret, Secta *Dabritarum*, qui Athei sane erant, sive *Saducaei*: quippe *Animas* mortales esse adfirmabant, & quem ore fatebantur, *Deum* operibus impie negabant. Ex hisce vero alii creatum *Mundum* agnoscere non detrectabant; contra alii *Rerum* genera, speciesque nec initium habuisse, nec interitum habituras credebant. Quos postremos lato exagitandos calamo suscepisse leguntur ex Arabibus, Persis, Syris, ac Mohammedanis Abjisaachus Bennasalus in Tract. de Fundam. Christ. Relig. Par. I. cap. 4, Johannes Grammaticus Syrus Ascalabensis in libro adver. Dahritas, Alchacrus Tract. in eosdem, Bar-Hebraeus in Chron. Syr., Elmacinus in Chron. Arab., Algazalus lib. in Averroem, Mahjaddinus Persa in Tract. de Intellig., Abuzacharias Jahja Cordubensis in Comment. Theologiae Mohammedi Sanusi, Abdalla Talemsanus in Comment. ejusdem Theolog., Abuzaidus Thaalabus in Comment. Alcorani, & Abdalla Bocharensis Comm. in Alcoran. apud Ecchellensem in Hist. Arab. p. 128. sq. *Gezbanitarum* e contra Secta *Mundum* quidem initium habuisse, non etiam finem docebat; sed absoluta Periodo annorum 36425. priorum *Rerum* utique destruendum fore ordinem, novasque Plantarum, Animaliumque species productum iri. Contra *Dabritas* alii ante Mundum simul, ac semel *Animas* conditas omnes, quae tamen interiturae nunquam sint, adfirmabant, veluti *Mohammedus* ipse, quod ab Hebraeis accepisse illum Dogma indicat R. Menasseh Prob. 15. de Creatione. Corporea Arabibus aliis habita *Anima* legitur apud Bennassalum Aegyptium in libro de Fundam., & Principiis Relig. Porta, sive cap. 5, & apud Mashudium in Pratis Aureis memoratos Ecchellensi Hist. Arab. Par. I. cap. 13. p. 158. sq., qui capp.

capp. ſqq. p.168. ſqq. plures alios veterum Arabum de *Animarum* pluralitate, Metempſycoſi, fine &c. errores percenſet.

XXIX. Ad haec *Intelligentiarum* cultores eximii Arabes erant alii, quas ideo Templis, Aris, Sacrificiis, Hoſtiis, Jejuniis, Supplicationibus, aliuſque genus ſuperſtitionibus aliis colere ſatagebant: quamquam ii unum eſſe Univerſi *Conditorem*, atque *Moderatorem* agnoſcere haud detrectabant. Atque in hiſce *Intelligentiis* quidem Genios etiam Malos, ſive *Daemones* in honore Arabibus olim habitos, inter quos *Genios Niſibienſes*, a Niſibi Urbe nempe, atque *Saalios*, Daemones hoc eſt *Silveſtres*, memorant Gelal ad Alcorani Suram 72. verſ.1., & Faik in Mſ.apud Millium in Diſſert.10. de Mohammediſmo §.9. p.313. ſq., unde refert Arabes iter per Deſerta facientes hacce ſe Genio ſolitudinis formula commendare conſueviſſe: *Confugio ad Dominum hujus vallis Averruncum*. Qua ſententia pariter & olim Graeci vagari per Deſerta Νύμφας Νομάδας ϗ Δαίμονας *Nymphas Nomadas, ac Daemones* apud Plutarchum de Oracul. defectu p.421. credebant; & Judaeorum poſtea Rabbini perſuaſum habuere, uti legitur in ליקוטי זוהר Par.III, & apud R. Menachem Recinetenſem in פירוש על התורה p.143. cap.3. relatos Millio loc. cit. Sacrificia demum iſtiuſmodi *Daemonibus* oblata ab Arabibus, ſicut olim a Graecis, referente Porphyrio de Abſtin. Animal. lib.2. §.58, a Mohammedo ſublata teſtatur Faik in Mſ. apud Millium loc. cit. p.315. *Chaldaicae* jam vero ſimilis erat altera *Giabelitarum*, hoc eſt *Ignorantium* Secta, in qua *Intelligentiis* non modo, ſed etiam *Planetis* Sacra fiebant; & Simulacra certis quibuſdam formis, atque figuris erigebantur, operaque ſua omnia ad *Planetarum* ortum, atque effectum exigebantur; ea nempe ii ſuperſtitione tenebantur, ut a *Planetarum* influxu pendere cuncta putarent. Quae Secta fortaſſis a *Saba* Urbis Sabae conditore filio *Jaſababi*, nepote *Jaarabi*, qui *Saba* cognominatus a rapinis fertur, quas a finitimis bello ſubjugatis Gentibus reportare ſolebat, proprio *Habdſciames* alioqui nomine, ideſt *Cultor Solis* dictus eſt, undeque *Sabaei* cultores *Solis* nomen tuliſſe leguntur. Atque hinc profecto *Sol* Homairitis

pro

pro *Deo* habitus legitur; *Luna* pro *Deo* Cananitis; *Jupiter Lacbemitis*, & Gedamitis; *Mercurius* Afeditis; *Aldobram*, hoc est *Oculus Tauri* Maisamitis; *Lath* Saxum Taiphitis, seu verius *Lunae* اللات *Al-Lat* impressa Lapidi effigies, quam a Meccano Delubro amovere Taiphitas jussos a *Mohammedo*; quin ab ipso destructum & Idolum cum aliis istud, refert Abilfeda in vita Moham. cap. 57. edit. Gagnierii p. 126, quo de Idolo a *Mohammedo* interdicto etiam Relandus de Relig. Moham. lib. 2. cap. 1. §. 5. p. 155. sqq.; aliisque alii. Provinciis vero integris nedum, sed imo privatis Familiis propria fuisse *Idola* perspectum habetur. Atque ita Calabitis Idolum *Vadum*; Hodailitis *Sagum*; Medhagitis *Jagutum*; Thamimitis *Pharasum*; Calahitis *Nasarum*; Hamdanitis *Jabukum*; Tackaifitis *Allataeam*; Chorascitis *Hazium*; Auzitis *Saratam*: adeo ut a tempore, quo apud Arabes Idololatriam primus intulisse *Ahmer* filius *Lebje*, ac in Meccam ipsam postinde inducta fertur apud Auctorem *Sonnae*, hoc est libri Traditionum Mohammedanarum, Idolorum auctus ita fuerit numerus, ut *Mohammedum* sub initio prope Meccanum Templum Idola 360. offendisse referat Al-Bocharius in *Sonna* apud Millium loc. cit. p. 310; queis de plura dabunt Pocokius in Specim. Hist. Arab. p. 95. sqq., & Hottingerus Hist. Orient. lib. 1. cap. 7, & Archaeolog. Orient. p. 5. Idola inter haec autem omnium Arabibus omnibus celeberrimum in summo delubri Meccani vertice collocatum habebatur Idolum *Habel*, cui tanquam minores Dii, ejusdem mandata exequi parati, adsistebant hinc *Asaph*, illinc *Najela*, in Arabiam e Syria advecti; queis de fabulas a Mohammedanis plerasque confictas viden, ut persequantur Duumviri doctiss. Ecchellensis in Hist. Arab. Par. I. cap. 6. p. 122. sqq., & Assemanus in Hist. Arab. differt. 4. §. 14. sqq. p. 247. sqq., juncto Davide Millio in Differt. Select. differt. x. de Mohammedismo ante Mohammedum §. 6. sqq. p. 308. sqq.

XXX. In lineam, unde, plusquam fortassis oportuisset, digressus fueram, longius extra praestitutos operis fines divagatus, modo regrediendo, tam porro antiquam, quam nuperam hancce, qua de paullo supra dixi, apud Arabes cum Hebraeis

braeis communem Epocham, *Mundi* nempe conditi, obtinuiſſe documento ſane locupleti ſunt Arabes ipſi Scriptores plerique; adeo ut ab hac Epocha, quae Hebraeis *Aera Creationis Mundi*, Arabibus *Aera Caſus Adami* nuncupari ſolet, ceteras *Minores* Epochas derivare ſolemni apud Arabes in more poſitum ſit. Quamquam ſicut inter Graecos, & Latinos, ſic inter Arabes ipſos Scriptores tanta in ſubducenda ſive *Mundi Creationis*, ſive *Caſus Adami* annorum ratione diſcordia intervenit, ut eidem conciliandae nulla hactenus, pluries etſi plerîſque tentata, via patuerit, ut alibi ſuſius aperiemus. Cujuſmodi ſane diſcordiae duas quammaxime ſuiſſe cauſſas advertit in ſuo Chronico Iſmael Sciahinſciah Hamza Aſpahamenſis Perſa Scriptor apud Abrah.Ecchellenſem in Hiſt. Arab. Par.I. cap.9. edit. Ven. Hiſt. Byzant. T.XVII. p.141. ſq.; primam nempe, quod poſt ſiquidem quam Regibus in Arabia factus eſt locus, a ſingulorum Regum exordio ſingularis Epocha inſtitui cepit, qua publica obſignari Acta conſuebant; unde multiplicato harum Epocharum numero temporis decurſu tanta ſuborta in Chronologia obſcuritas eſt, & confuſio, ut Chronographis, praeſertim apud Arabes imperitis, inde emergere fas haud fuerit. Eo vel maxime, quod ſaepe contingeret, ut uno, eodemque tempore duo, vel tres in duabus, vel tribus Dynaſtiis regnarent Reges, ut infra planum fiet; unde totidem exſurgebant Epochae; indeque fiebat, ut unus, idemque Annus pro duobus, aut tribus aliquando putaretur. Quae ſane putandi ratio, e qua tanta perturbatio temporum exoriebatur, uſque ad *Zarabam* cognomento *Dunuam* duravit, ſub quo *Elephantis* Aera demum initium duxit, uſuque primum inter Arabes eſſe cepit, qua de infra. Jungit his idem Sciahinſciah Linguarum mutationem, ac varietatem, quae varia, mutataque ſaepius Imperia ſequi ſolet; Librorum etiam, Veterumque Monumentorum, queis de Temporum antiquitate edoceri poſſimus, jacturam, quam cum Temporis edacis injuriae, tum hominum incuriae, hoſtiumque incurſionibus adſcribendam nemo ignorat, niſi qui ignoret omnia. Alteram diſcordiae iſtiuſmodi cauſſam fuiſse varias Sacrarum Litterarum Verſiones *Judaicam*, *Samaritanam*, & *Graecam* quammaxime,

me, post quam inter Arabes propagari *Judaismus*, *Samaritanismus*, & *Christianismus* qua e Syris, qua e Graecis, qua e Latinis longe, lateque cepit. Ex his attamen repudiata tam *Hebraici*, quam *Samaritani* Textus Chronologia, quam utramque fuisse adulteratam ostendere nititur Ismael Sciahinsciah in Praeludio Hist. Gentium apud Ecchellensem p. 141. sqq., qua de re alio nos in loco, uni LXXVIRali Interpretum editioni Arabes se adhaerere vulgo profitentur, juxta quam *Adami Casus* Aeram, ac post ipsam reliquas qua exordiri ratione ii soleant, ex subjecta Aerarum Tabula discere licebit, quam ex Ismaele Almoviad, vulgo Abilfeda Principe Hemat, in suam Gentium Historiam transfudit idem Sciahinsciah, ex eodemque in Hist. Arab. exhibet Ecchellensis p. 147. sq., una cum Tabula Chronologica Eutychii Alex. in Hist. Arab., ubi annos inter Epochas alias, & *Hegiram* exponit; cui ex Abilfeda ipso in Annal. Moslemicis edit. Lips. Joh. Jacobi Reiskii Tabulam alteram Chronologicam adjiciendam ducimus, ut ex his inter se collatis discat Lector, quae Arabibus olim, hodieque dum, & quot annis computandis usurpatae sint Aerae.



CHRO-

CHRONOLOGIA ISMAELIS ABILFEDAE.

Ab Adamo ad Hegiram	6216.
A Diluvio ad Hegiram	3974.
A Nativitate Abrahae ad Hegiram	2893.
A Moyſis obitu ad Hegiram	2348.
A Templo Salomonis condito ad Hegiram	1802.
Ab Excidio Templi ad Hegiram	1350.
A Victoria Alexandri de Dario ad Hegiram	934.
Ab Auguſti Victoria de Cleopatra ad Hegiram	652.
A Meſſiae Nativitate ad Hegiram	631.
Ab Excidio Hieroſolymitano ad Hegiram	558.
A Diocletiani Regno ad Hegiram	339.
A Mohammedi Natali ad Hegiram	53.

CHRONOLOGIA EUTYCHII ALEX.

A Diocletiano ad Hegiram	338.
A Chriſti Natali ad Hegiram	614.
Ab Alexandro Magno ad Hegiram	933.
A Captivitate Babylonis ad Hegiram	1196.
A Davide Rege ad Hegiram	1673.
Ab Exodo Iſraelis ad Hegiram	2279.
Ab Abrahamo ad Hegiram	2786.
A Phalego ad Hegiram	3327.
A Diluvio ad Hegiram	3858.
Ab Adamo ad Hegiram	6114.

CHRONOLOGIA ISMAELIS SCIAHINSCIAH.

Adami Caſus Anno Mundi	1.
Diluvium	2242.
Abrahae Natalis	3323.
Moyſis Obitus	3868.
Nabuchodonozoris initium	4847.
Alexandri Victoria de Dario	5281.
Auguſti Victoria de Cleopatra	5583.
Chriſti Domini Natalis	5584.
Diocletiani Regnum	5876.
Hegira	6216.

XXXI. De *Hegira* porrò, differentique in eadem putanda, quae Arabes inter, ac Moslemos intercedit, ratione agam infra. Neque agam heic de differentia, quae in hac Arabum putandi annos ratione inter Hebraeos, Samaritanos, & Graecos intervenit, qua de loco disputabo copiose opportuniori: mea siquidem modo Epochas apud Arabes usurpatas proponere unum intersit. Illud attamen abunde admonebo, magnum inter Arabes ipsos in Epochis istis discrimen intercedere, veluti ex Tabularum invicem collatione liquido adparet. Nam juxta Abilfedam, ejusque exscriptorem Ismaelem Sciahinsciah, ab *Adamo* ad *Hegiram* anni 6216. interfluxere, juxta Eutychium vero anni dumtaxat 6114. A *Diluvio* ad *Hegiram* annos 3974. enumerant Abilfeda, & Sciahinsciah, annos e contra 3858. Eutychius recenset. In ceteris differentia Tabulas hasce Chronologicas invicem conferenti facile percipitur, quam ut prolixior differentiae hujusmodi sub oculos ponendae opera impendatur. Insigniores praeter istas attamen, quae usu Arabibus venerant, Epochas, alias nonnullas eodem loci minus celebres Ismael Abilfeda subjungit. Ubi scilicet ab Urbe *Al-Caba* condita ab *Abrahamo*, & ab *Ismaele* completa usque ad *Hegiram* annos 2793, aetatis *Abrahami* 100. circiter enumerat. Inter *Hegiram*, & initium Regni *Bochtnasri*, hoc est *Nabuchodonozoris* annos 1369. computat. A *Philippo Arideo*, idest a Regni *Macedonici* exordio usque ad *Hegiram* annos 927. Inter *Hadriani* Regni initium, & *Hegiram* annos 507. Ab Insurrectione *Ardeschiri* filii *Babeki*, qui primus in Dynastia quarta Persarum Regum *Saxanidarum*, sive *Kosroidarum* dicta, Rex fuit, quo de fuse Herbelotus in Bibl. Orient. p. 124. sq., quovecum finem habuit Regum *Al-Thavvajef*, Regulorum idest *Provincialium* Dynastia, usque ad *Hegiram* annos 422. supputat. Ab *Hegira* usque ad *Mohammedi* obitum annos 9, menses 11, ac dies 22. numerat. Idem praeterea Ismael Abilfeda observare loco cit. non desinit ab *Adamo* ad *Hegiram* ex Computo *Hebraico* annos 4741. colligi interlapsos; ex Computo *Samaritano* annos 5137; juxta Astronomos vero Arabes interfluxisse annos 5967. Ipse tamen *Graeco* Computo LXX. Interpretum sibi inhaerendum existimans, ideo ex

Com-

Computis illis Astronomico, Samaritano, & Hebraico annos 249. detrahendos arbitratus est. Totidem etiam annos 249. ex summa annorum 3974. a *Diluvio* usque ad *Hegiram* deducendos statuit ex sententia Arabum, quos ipse pone sequendos sibi proposuit, Astronomorum, videlicet Abu Mascharis, & Cuschijaris suis in *Zigiis*, ideft Tabulis Astronomicis, & in *Tacavvimis*, hoc est Syntaxibus. Sed de his satis, atque super: modo gradus ad Epochas apud Arabes sequiori sub aetate usurpatas faciundus.

XXXII. Quum primum itaque proprios habere Reges, quos profecto habuere a principio, atque peculiarem a ceteris discretam Populis habere Rempublicam Arabes occepere, peculiari, atque propria annis putandis eosdem tum primum etiam usos Epocha arguere fas est. Atque ut optima, qua fieri poterit, argumentum istud in luce ponatur, Arabum diversas Regum Dynastias, juxta diversas aetates priscam, mediam, & infimam, sub quibus diversa subjisse feruntur Arabes fata, distinguere oportet: quarum in recensenda serie ex Veteribus Syncellum in Chronog. edit. Ven. p.72. sq., ejusque Annotatorem Goarum, Abulfaragium in Hist. Dynast., ejusque Commentatorem Golium, Abusciacherum, vulgo Petrum Abnarrahebum Chron. Orient. auctorem Seculi XIII, ejusque editores, Auctariosque Abrahamum Ecchellensem, atque Josephum Simonium Assemanum in Hist. Arab. Byzant. edit. Ven. T.XVII. Par.II. cap.1. sqq. p.205. sqq., & in Differt.4. §.25. sqq., p.260. sqq.; ex Nuperis Hottingerum in Hist. Orient., Pocockium in Specim. Hist. Arab. p.36. sqq., Herbelotum in Bibl. Orient. p.360, & 451. sq., ac De Guignesium Hist. gen. Hun. T.I. Par.I. lib.6. p.314 sqq., duces defixo pede sequendos nobis proponimus. Ex Julio Africano itaque Syncellus in Chron. p.91. sq. edit. Paris., Ven. p.72. sq., auctorem se praestat locupletem post *Chaldaeorum* Reges septem, qui regnandi exordium a *Nimbrodo*, Mundi anno 2776, ipsius juxta Computum, finem vero anno Mundi 3000. fecerant; *Arabum* imperium ab anno Mundi 3001. incepisse: quorum primus *Mardocentes*, secundus *Anonymus*, tertius *Sisimardacus*, quartus *Nabius*, quintus *Parannus*, sextus *Nabonnabus*,

 per

per annos 215, usque ad Mundi annum 3215. rerum in Arabia potiti sunt. Quem in locum Goarus Emend. p.30.sq. edit.Parif., Ven. p.27. tam rite Scaligerum, qui in Not. Euseb.p.14. horum Regum Arabum seriem perturbat, loco *Anonymi*, qui secundum apud Syncellum occupat gradum, tertium *Silimardacum* sufficiens, *Anonymumque* in sextum rejiciens locum, quod fecit etiam De Guignesius p.317, refellit, quam recte Petavium redarguit, quod Doctr. Temp. lib.9. cap.13, ulla gravi absque ratione, primas illas tam Chaldaeorum, quam Arabum Dynastias, atque Reges ad fabulas, & ad figmenta amandare non fuerit veritus. Atque recte quidem, referri namque Reges isti Syncello recensiti ad posteros, sive *Chuzi*, sive *Rhegmae*, sive *Jectanis*, quas tergeminas *Indigenarum* Dynastias primum in Arabia, diuque pridem obtinuisse superius ostendimus, commode queunt. Quam in rem conferendus Ecchellensis in Hist. Arab. Par.II. cap.1. p.205. sqq., ubi ex Scriptoribus Arabibus multa, multis etsi permixta fabulis, abunde propinat. Atque haec prima quidem Syncello memorata videtur Dynastia Regum *Homairitarum*, qui sic dicti jactantur ab *Homairo* filio *Sabae*, a quo primum Regium adsumptum fuisse diadema fertur apud Pocockium, & Ecchellensem in Hist. Arab. Par.I. cap.2. p.110; quos penes *Homairitas* Regiam in Arabia *Felice* potestatem stetisse integram perhibent usque ad *Hamrum*, qui a *Sabae* filio secundo genito in serie duodecimus progenitus fuerat, a quo deinceps *Hamritarum* Dynastia secunda in Arabia *Felice* Regnum auspicata, illud (per annos 2020, aut 3000. perperam Arabes Historiographi scribunt apud Pocockium in Specim. Hist. Arab., & Ecchellensem Par.II. cap.1. p.211), obtinere perrexerit in Regibus XL. usque ad *Zarham* Aethiopiae Regem, sub quo ad Aethiopes *Felicis* Arabiae Regnum translatum, in Regibus IV. apud ipsos mansit. Paullo post attamen a *Chosroe* Persarum Rege auxiliaribus, quas *Heraclius* Imp. denegaverat, impetratis suppetiis, pulsos Aethiopes fuisse, Arabiaeque *Felicis* Regnum ad *Hamritas* rediisse; sed paullo deinde post ab eodem *Chosroe* Persicam factam Provinciam fuisse referunt Arabes Scriptores Mashudius in Pratis Aureis, Ismael Sciahin-

sciah

fciah in Hift. Gent., aliique relati Pocockio, & Eechellenfi p.212. Quae tamen omnia fabulis undique fcatere vidit Cl. Affemanus in Hift. Arab. Chron. Orient. adnexa differt. 4. §. 28. p. 269. Quo porro tempore in *Jemene*, Arabia ideft Felice, *Homairitarum*, aliis *Hemiaritarum*, imperare cepit Dynaftia, altera, quae fecunda cenferi debet, in *Hedgiaz*, ideft Arabia *Deferta* a *Jaarabi* fratre, *Gahthani* filio, five *Joctanis* filii *Heberi*, nomine *Giorhamo*, five *Dgiorhamo* fundata Dynaftia, inde *Dgiorhamidarum* adpellata, eft, in qua *Tobbae*, five Reges XII. ufque ad *Mohammedum* imperaffe leguntur apud De Guignefium; Reges X. dumtaxat apud Ecchellenfem Hift. Arab. Par. II. cap. 4. p. 216; Reges XXIII. Abilfedae recenfentur apud Affemanum cit. differt. 4. p. 268. fq.; quorum alii tamen *Gaffanitis*, alii *Taalabenfibus*, quidam *Homeritis*, aliqui *Lachemitis*, nonnulli *Ameritis*, plerique *Agraeis*, quidam *Hirtiis* demum obnoxii erant. Donec eorum poft in locum *Ifmaelitae*, pofteri *Ifmaelis* hoc eft, irrepfere: qua de tamen Dynaftia idem atque de fuperiori ferendum judicium eft: tot adeo nempe fabulis, quae utraque de referuntur, undique fcatent, ut de neutra certi quid definiri queat.

XXXIII. Altera, quae in Arabia *Maritima*, five ad Mare *Perficum* Regum Dynaftia III. obtinuiſse fertur, *Hiretarum* denominata, incepiſse a *Malecho* dicitur, qui e *Sabae* filiis fecundo genitis profectus tertiufdecimus recenfetur, fi fides Sciahinfciah, Sciarhreftano, & Sahido Arabibus Scriptoribus apud Ecchellenfem Hift. Arab. Par. II. cap. 2. p. 212. fqq. adhibenda, quos alioqui plurimis fcripta fabulis permifcuiſse fua compertum eft; atque perduraſse ufque ad *Chrofroem* Perfarum Regem, a quo demum Arabia *Maritima* in Perficam redacta pariter fuerit Provinciam. Haecce porro *Lachemitarum* Dynaftia, a *Lachemo* filio *Amri*, filii *Sabae* derivato nomine, vocatur Abilfedae, in eaque Reges XIII. recenfentur ufque ad *Chofroem*; aliique poftinde fex ufque ad *Mohammedum*, apud Afsemanum in Hift. Arab. diſsert. 4. §. 27. p. 267. fq. A *Maleko*, ac deinceps eadem, qua *Arfacidarum* in Parthia Regum obtinuit, fub aetate Reges XXIV, *Tobbae* infigniti titulo, per annos 622, ac Menfes 8. regnaffe, eorum-

rumque demum a *Khaledo* filio *Validi*, cui a *Mohammedo* titulus *Saïfallah*, idest *Gladii Dei* tributus fuerat, Moslemorum Duce sub *Omaro* I. Kalipha, Hegirae anno 15, Aerae Christianae *636*, Dynastia extincta, ad Moslemos translatum hac in Arabiae Maritimae parte imperium est, traduntur Pocockio in Specim. Hist. Arab., ac DeGuignesio Hist. gen. Hun. Par. I. T. I. lib. 6. p. 320. Suam ad haec, quae Arabum Dynastia IV. recenseri solet, in Arabia *Felice*, ex *Chalani* secundo geniti *Sabae* progenie duxisse fertur originem *Gassanidarum* genealogia, veluti Scriptores Arabes supra citati perhibent, qui postinde in Syriam Arabiae finitimam profugientes, ibi prope fontem *Gassan* defixa sede, ex eo *Gassanidae* postea cognominati fuerint. Horum primus Regis insignia usurpasse traditur *Giafena*, ante *Mohammedi* natalem anno 616, vel, ut alii malunt, anno 400: quorum postremus *Giabalah Al-Haimus* Mohammedicam perfidiam sub *Aboubekro As-Sadiq* secundo post *Mohammedum* Kalipha amplexus legitur apud Ecchellensem Hist. Arab. cap. 3. p. 216, quocum conferendus Assemanus in dissert. 4. §. 27. p. 266. sqq.; qui deinde sub *Omaro* Kalipha III, injuria ab eo adfectus, Constantinopolim profectus, Mohammedica ejurata superstitione, Christianae Religioni nomen dedit: quo de Ben Schûnah apud Herbelotum Bibl. Orient. p. 688. Quo in Rege XXXVII, juxta Abilfedam, sive Rege XXXI, juxta Pocockium, Dynastia *Gassanidarum* isthaec demum finem habuit. Quinta ignobilior Arabum ex Tribu *Kendah* in Arabiae *Felicis* parte quapiam fundata Dynastia a *Sabae* posteris originem duxit, in eaque Reges V. censiti sunt, extincta demum a *Khosroe* I. *Cobadi* filio Persarum Rege, sub quo in lucem *Mohammedus* editus est. Altera denique, quae in *Hedgiaz*, Arabiae idest *Desertae* parte regnum obtinuit, Arabum Dynastia VI. ab *Amro* filio *Lahi* condita, *Tobbas* VI. vix habuit; a Moslemis demum absorpta. Ex his itaque omnibus augurari fas demum esset, ab Arabum Regibus primae, tertiae, & quintae Dynastiae propriam, a Regni exordio tum primum ineundam, fuisse institutam Epocham, quae usque ad *Chosroem* Persarum Regem perduraverit, sub quo postinde in Arabia tam *Felici*, quam *Maritima*, atque *Deserta* subro-

gata

gata *Persica* Aera fuerit: a Regibus vero Dynastiae secundae, quartae, & sextae inductam primum a Regni cujuslibet principio Aeram finem cum Imperii *Moslemici* initio dumtaxat accepisse. Sed enim ex hisce Dynastiis Reges alios Persis, Romanis alios paruisse infra planum fiet: quò suspicari proinde fas est *Persicam*, atque *Romanam* vicissim Arabibus his annis computandis usu rationem venisse a *Romanis*, atque a *Persis* alternatim mutuatam.

XXXIV. Verum, quia firmiora, Vetera, queis Arabum Scriptorum fides suis in Historiis valdequam fluxa confirmari queat, quos imò figmentis Historias infarcire suas de industria valdequam fuisse delectatos ignorat nemo, Monumenta temporum nobis edacitas invidit, ad Scriptores alios, quoad ejus fieri poterit, in quibus major veritatis amor adpareat, minor decipiendi, fallendique ingenium adfuisse deprehendi queat, Arabibus Historiographis flocci, naucique factis, referre pedem juvat, atque plurimum interest. Ex Georgio Syncello itaque Julii Africani gravissimo suffulto testimonio in Chronog. p.61.sqq., 92.sq. edit. Paris., Ven. p.48. sqq., & 73. sq. augurari fas est, sub *Nabonnabo* Arabiae Rege sexto *Hyscos*, lingua Aegyptiaca *Pastores Reges* idest, ex Arabia irrumpentes *Memphim* occupasse, totaque Aegypto *Inferiori* potitos fuisse. Donec ab *Amosi*, sive *Thetmosi* Aegypti *Superioris* Rege primum expulsi in Phoeniciam migrare compulsi Periodi *Sothiacae* anno 700, (cujusce Periodi cardinem ab anno 2783. ante Christi natalem ducendum esse Super. Art.I. de Aegypt., Aethiop. &c. Aeris §.xv.p.95.sq. ostensum nobis est), leguntur apud Manethonem Josepho adv. Appion. lib. 1. relatum. Verumtamen ante *Sesostris* aetatem, sicut apud Aethiopes, sic apud Arabes certiora temporum documenta frustra quaeri superius advertimus: quò fit, ut apud Arabes usque ad *Sesostrim*, quem origine Aethiopem, seu Arabem facit Blanchinius in Hist.Univ. cap.33. §.31. p.447. sq., Epocham aut Hebraicae perquam similem a *Mundi* principio, aut peculiarem a *Regum* quorumque exordio petitam obtinuisse quidem putem, inde tamen *Aegyptiacam*, nova cum Anni forma, sub *Sesostri*, quo de fuse superius disputatum est, apud Arabes inductam fuisse persua-

ſuaſum habeam. Patet enim ex Manethone apud Joſephum loc. cit., ex Herodoto lib. 2. capp. 102, & 110, ex Diodoro lib. 1. Par. II. cap. 1. p. 26. ſq., ex Cteſia apud Syncellum p. 167. ſq. edit. Pariſ., Ven. p. 133. ſq., ex Hecathaeo apud Photium Cod. 244. p. 1151. ſqq., ex Strabone lib. 16. p. 739. ſqq. a *Seſoſtri* una cum Aſia fere univerſa a Gange uſque ad Caſpium, Aſiaque Minori, atque Europae parte uſque ad Danubium, cum Libya, ac Aethiopia occupatam vi, armiſque fuiſse Arabiam. Ex Aegypto praeterea *Hyſcos*, Arabes ideſt *Paſtores Reges*, qui ſecundo ex Arabia in Aegyptum illapſi fuerant, a *Seſoſtri* anno 511. a prima invaſione, quem ante Chriſtianam Aeram fuiſse annum 1570, Periodi *Sothiacae* hujus initio ab anno 2783. ante Chriſti natalem inito, uti Super. Artic. I. §. xv. planum eſt factum, poſtremo expulſos, profugereque in Arabiam fuiſse compulſos ex praecitatis Scriptoribus patet. Inde fit itaque, quod nova cum Anni forma, putandis annis Periodus *Sothiaca*, Aegyptiis frequentatiſſima, vel ab *Amoſi* primum Arabes ipſi deſumpſerint; vel a *Seſoſtri* poſtmodum in Arabiam inducta fuerit.

XXXV. Quandiu vero *Aegyptiaca* iſthaec Aera frequentari apud Arabes perſtiterit, incompertum plane eſt, deficientibus Veterum, queis edoceamur, Monumentis. Caetera *Nino* Aſſyriae Regi foedere conjunctiſſimum, ejuſque Victoriarum magnam fuiſſe partem *Ariaeum* Arabiae Regem diſcimus ex Diodoro lib. 2. cap. 1. p. 45. *Abrahami* tempore cum *Codorlahamore* Elamytarum Rege, cum *Amraphele* Rege Babyloniorum, cumque *Thadale* Gentium Rege, contra Reges Sodomae, Gomorrhae, Adamae, Seboim, & Balae, foedus pepigiſſe, atque bellicas junxiſſe copias *Ariochus* Rex *Ellaſar* in Arabia, Chaldaice *Thalaſar*, Syriace *Aalaſar*, Latine *Ponti*, Arabice سُرِيْن *Sarian*, Regionis ideſt, non trans Euphratem, haud procul ab Armenia, uti Bonfrerio in Onom. Oper. Menochii T. II. edit. Ven. p. 264, Calmetio in Dict. Bibl. edit. Ven. T. I. p. 121, & T. II. p. 452, Clerico in Gen. xiv. p. 121, aliiſque viſum eſt; ſed in Arabia ſitae, uti verius cenſet Cl. Aſſemanus in Hiſt. Arab. Chronico Orient. adnexa diſſert. 4. §. 25. p. 261, legitur Gen. xiv. 1. ſqq. *Iſmaelis* duodecim

cim filii Gen. XVII. 20. *Duces*, & Gen. XXV. 16. *Principes Tribuum* denominati, nempe *Nabajoth*, *Cedar*, *Abdeel*, *Mambsam*, *Masma*, *Duma*, *Massa*, *Hadar*, *Thema*, *Jethur*, *Naphis*, ac *Cedma* leguntur Gen. XXV. 12. sqq. *Edomi*, hoc est *Esau* filii, ac nepotes insuper quatuordecim *Theman*, *Omar*, *Sepho*, *Cenez*, *Core*, *Gatham*, *Amalech*, *Nabath*, *Zara*, *Samma*, *Meza*, *Jehu*, *Jelou*, & *Core* alter *Duces* item nuncupati Gen. XXXVI. 15. sqq., & I. Paralip. I. 35. sqq. memorantur. Ad haec *Seiri* Horraei filii, nepotesque septem *Duces* etiam recensentur Gen. XXXVI. 29. sqq., & I. Paralip. I. 38. sqq. nempe *Lotan*, *Sobal*, *Sebeon*, *Ana*, *Dison*, *Eser*, & *Disan*, qui in Regione *Seir* regnasse dicuntur. Quo praeterea loci Gen. XXXVI. 31. sqq., & I. Paralip. I. 43. sqq. *Reges*, qui antea regnarunt in Arabia, quam Israelitae Regem ibidem haberent, (idest *Moysem* ipsum, quem Regem non Philo tantum, sed etiam S. Scriptura Deuter. XXXIII. 5. nuncupat), numerantur *Bela*, (a quo condita Urbs *Denaba*), *Jobab*, *Husam*, *Adad*, (a quo *Avith* Urbs aedificata), *Semla*, *Saul*, *Balanan*, *Adar*, (a quo Urbs *Phau* exstructa fuit); eoque defuncto, pro Regibus *Duces* in *Edom* imperare ceperunt *Thamna*, *Alva*, *Jetheth*, *Oolibama*, *Ela*, *Phinon*, *Cenez*, *Theman*, *Mabsar*, *Magdiel*, & *Hiram* omnes ab *Esau* descendentes. *Edom* porro ab edulio Rubri coloris denominatus *Esau* legitur Gen. XXV. 30; indeque *Edom* posteris *Esau* Idumaeam inhabitantibus nomen inditum est; quae Regio in Arabia *Petraea* quaerenda proculdubio est, veluti Buno in Not. ad Cluver. Introd. Geog. p. 589, Cellarius Geogr. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 14. sect. 1. §. 22. p. 577. sqq., Bonfrerius in Onom. p. 225, & Calmetius in Dict. Bibl. T. I. p. 446 post alios veteres ostensum dedere. A *Moyse* deinceps usque ad *Nabonassarum* ex eadem stirpe *Esau* Reges in Arabia regnum tenuisse leguntur Num. XX. 4. sq., atque imperasse Moabitis *Balac* Num. XXI. 2. sqq.; Madianitis *Hevi*, *Recem*, *Sur*, *Hur*, & *Rebe* Num. XXXI. 8, & Josue XIII. 21; sub *Judicibus* Moabitis *Eglon* Jud. III. 12. sqq.; Madianitis, & Amalecitis *Oreb*, & *Zeb*, *Zebee*, & *Salmana* Jud. VII. 25, & VIII. 5. sqq.; Ammonitis Rex innominatus Jud. XI. 12. sqq. Sub *Regibus* Hebraeorum imperasse Ammoni-

monitis *Naaz* I. Reg. XI. 2. legitur; Amalecitis *Agag* XV. 8; Ammonitis *Hanon* II. Reg. X. 1; Idumaeis *Adadus* III. Reg. XI. 14. sqq.; Moabitis *Meza* IV. Reg. III. 4. Sub *Josaphato* denique vi, armisque potentes fuisse Ammonitas, & Moabitas ex II. Paralip. XX. 1. sqq. liquido constat. Inde fit itaque, ut toto isto temporis intervallo, aut *Abrahamiticam* ab *Abrahamo* per *Ismaelem*, atque *Esau* descendentibus, aut peculiarem a singulorum *Regum* sibi deinceps imperantium *Regni* exordio ductam, Epocham usu Arabibus venisse fiat veri valde quam simile.

XXXVI. Everso postinde per *Arbacem*, & per *Belesum*, sive *Nabonassarum* Assyriorum imperio, fundatoque ab illo Medorum, ab isto Babyloniorum Regno, a *Nabonassare* Arabiam Babylonico adjectam imperio fuisse argumento, documentoque est *Arabum* Regis titulus a *Sennacheribo* adsumptus; Exercitus e Chaldaeis, Syris, Moabitis, & Ammonitis, Arabiae *Petraeae*, atque *Desertae* habitatoribus conflatus, a *Nabuchodonozore* in Judaeam contra *Joakimum* Regem Juda immissus IV. Reg. XXIV. 2; Xenophontis in Cyrop. lib. 1. capp. 1, & 5. testimonium referentis a *Nabonide* Babyloniae, & Assyriae imperio Arabum Regem *Maragdum* una cum Gente subjugatum fuisse. Qui praeterea auctor est lib. 4. cap. 2, & lib. 6. cap. 2. ab eodem *Nabonide* contra Medos, ac Persas eductas, praeter ingentes e Thracibus, Cypriis, Phrygiis, Cilicibus, Lycaoniis, Paphlagonibus, Cappadocibus, Phoeniciis, Joniis, Aeoliis, & Graecis aliis collectas, Regum etiam Arabum, Aegyptiorum, ac Lydorum copias ingenti ab Assyriis clade affectas fuisse. Hinc dubium haud est, quin diu apud Arabes *Nabonassaraea* obtinuerit Aera: namque & hancce quidem Aeram Arabibus qua Scriptoribus, qua Astronomis quammaxime frequentatam fuisse alibi jam advertere me memini. Postquam vero *Nabonide* profligato, Babyloniaque capta, tria Assyriae, Chaldaeae, atque Mediae Imperia in unum coaluere Persicum, a *Cyro* trium super illorum ruinis excitatum, quo de Megasthenes apud Eusebium Praep. Evang. lib. 9. cap. 4, atque Berosus apud Josephum lib. 1. contra Appionem; inde factum utique est, ut cum *Nabonassaraea* apud Ara-

Arabes, qui Persarum in dominationem quoque, una cum Asianis fere universis, devenerant, Xenophonte teste lib. 1. cap. 1, & lib. 8. cap. 8, quos a Persis deficientes, a *Cambyse* deinde, non ut hostes, sed uti foedere conjunctos hospites fuisse habitos, sub tributo tamen talentorum mille Thuris quotannis Persarum Regi persolvendo, referunt Herodotus lib. 3. p. 88, & 97, ac Plinius lib. 12. cap. 17; quique demum Arabes in *Xerxis* exercitu ingenti militasse numero traduntur Herodoto lib. 7. p. 69, & 86; *Persica* quoque invaluerit Aera, tandiuque apud ipsos duraverit, quandiu Persicum stetit Imperium. Donec ab *Alexandro M.*, *Dario Codomanno* devicto, Persico finis imperio impositus fuit, Assyrio, & Babylonico in *Seleucos*, Aegyptiaco, & Arabico in *Ptolemaeos* translato. Quo a tempore Aeram *Alexandraeam* frequentari Arabibus etiam cepisse infra planum fiet; unaque cum Aera perinde *Lagidarum*, sive *Philadelphorum*. Et certe a *Ptolemaeo Evergete*, praeter eas, quas a *Philadelpho* patre haereditario jure Provincias acceperat, Aegyptum, Libyam, Phoeniciam, Cyprum, Lyciam, Cariam, Cyclades &c., una cum Pamphylia, Cilicia, Jonia, Hellesponto, Thracia, Syria, Mesopotamia, Armenia, Babylonia, Susiana, Perside, Media, Bactriana &c., suo Aethiopiam, Barbariam, & Arabiam *Felicem* Imperio adjectas fuisse liquet ex *Adulitano* Lapide apud Cosmam Indicopleustem lib. 2. p. 141, & apud Polenum in Supplem. Antiq. Graec., & Rom. T. IV. edit. Ven. p. 1373. sqq., quo de Monumento super. Artic. II. §. XII. p. 175. sq. dictum affatim est. Itaque conjecturam inde facere certe fas est, in Arabia *Felice* tandiu *Lagidam*, aut *Philadelpham* obtinuisse Aeram, quandiu *Lagidarum*, sive *Philadelphorum* in Arabes duravit imperium: quocum in Romanos translato Aegyptiaco, *Lagidae*, aut *Philadelphae* loco tum primum *Augustaea*, sive *Actiaca* suffecta Aera est.

XXXVII. Antequam tamen Arabes leges a Romanis accipere coacti fuissent, tum qui Arabiam *Petraeam*, aut *Desertam* inhabitabant, a *Ptolemaeorum* jugo prorsus immunes, propriique Juris compotes, proprios etiam habere Reges haud destiterant; tum qui Arabiam *Felicem* incolere pergebant, &

ipsi a *Ptolemaeis* eo, quo ferme a *Seleucidis* in Asia Syri deficere post annos 270. undique ceperant, tempore defectione facta, proprios sibi Reges praeficere, morem juxta veterem, non tam primo suscepere, quam perrexere. Quos inter celebris fuit *Hieretimus* Rex, a quo divisis Exercitibus modo Syriam, modo Aegyptum infestatam valdequam fuisse, atque frequenti utramque irruptione foede vastatam refert Justinus lib. 29. in fine. Inclaruit & in *Petraea* Rex *Arethas*, qui *Antiocho* XII. *Nicephoro* Coelesyria, & Damasco erepta potitus legitur apud Josephum Antiq. lib. 13. cap. 23. Cujus *Arethae* sane extant Nummi apud Havercampium ad Josephi Opera, Morellium in Specim., Harduinum in Chron. Vet. Test. p. 587, & 599, Froelichium in Annal. Reg. Syr. p. 115. &c., qui in parte antica caput *Arethae* cum epigraphe Βασιλεως Αρετυ Φιλελληνος *Regis Arethae Graecorum Amici*, in postica Mulierem cum Turrito capite sedentem exhibent, atque in Area litteras ΑΡ. *Anno* 130: quibus non Aera *Seleucidarum* utique, sicut Harduino visum, quod inficias Froelichius ivit, sed *Arabica*, ut mihi quidem videtur, a Regno nempe in Arabia *Petraea* ab Indigenis primum inito, denotatur: qua de re tamen rursus, quum *Damascena* de Aera sermo fiet. Verum *Arethae* Regi Damasci, ac Coelesyriae Regnum a *Metello*, & *Lollio* paullo post ereptum fuit; ab *Aemilio Scauro* idem *Arethas* pacem efflagitare coactus apud Josephum Antiq. lib. 13. cap. 23, lib. 14. cap. 3. sq., & de Bello lib. 1. cap. 5. sq. legitur; atque demum a *Pompejo* Damascus, Coelesyria, Phoenicia, ac Syria anno 64. ante Christi natalem in Provinciam Romanam redacta est, uti referunt Josephus loc. cit., Plutarchus in *Pompejo*, Dio lib. 36. p. 36, Justinus lib. 4. in fine, & Appianus in Syr. p. 120, & in Mithrad. p. 244: quamvis suos deinceps habere *Phylarchos* Arabes permissi fuerint, Romano tamen imperio subjectos. *Arethae* successit *Obodas*, a quo Militares suppetias *Aelio Gallo* Aegypti Praefecto expeditionem in Arabiam *Felicem* facturo missas fuisse constat; cuique defuncto ab *Augusto* suffectus *Arethas* II. cognomento *Aeneas* legitur. Hunc in Arabia *Nabataea* excepit *Malchus*, (aliquibus confusus cum *Jamblico*), quem gravi a *Ventidio* pecunia, ideo quod Parthis,

duce

duce *Pacoro*, in Syriam irrumpentibus copias adjunxisset, mulctatum refert Dio lib. 48. Atque ab hoc sane tempore *Augustaeam* Phylarchis in Arabia *Nabataea* ad Phoeniciam imperantibus frequentari Aeram cepisse qui opinetur, non ei ego quidem negotium facessam, atque litem intendam. Sub eodem ast enim alii tempore in Arabia Reges imperasse leguntur: cujusmodi *Sabus* Rex *Ararenae* memoratur, & *Ilasarus* Rex *Rhamanitae* in Arabia *Deserta*; *Annonesus* in Arabia *Petraea* Phylarchus relatus Malcho Rhetori in Excerpt. Legat. p. 92, qui Romanis fide mancipatus ibidem fertur; *Sobaemus*, cui Arabiae *Ituraeitidis* Regnum a *Cajo* datum, vel restitutum, non secus atque *Cotyo* Armeniae *Minoris* Regulo nonnullas adjunctas ab eodem fuisse Arabiae partes, aliisque alias refert Dio lib.55. p.649; *Sampsiceramus Arethusae* Phylarchus, & *Amrus Themellae* Dynasta, quae utraque Provincia in *Parapotamia*, & in *Chalcidica* extat, Strabone teste lib. 16. p.872. *Sampsiceranum* postea anno U. C. 691, ante Christi natalem 63. Romano Populo tributarium fecit *Pompejus*, relicto tamen eidem, cum Regis titulo, Regno. In quo ipsi successit filius *Jamblicus*, quem Romanis foedere junctum perhibet Cicero Famil. lib.15. Epist. 1, interfectum postea a *M. Antonio* refert Dio lib.50; qui lib.54. huicce cognomini filio *Jamblico* II. ab *Augusto* paternum in Arabia Principatum fuisse restitutum subjungit. Regnavere posthac *Arethusae*, ac *Emesae* Phylarchi alii *Sampsiceramus* II, ac deinde *Azizo*, indeque *Sobaemus* II; queis de Josephus Antiq. lib.18. cap.3, lib. 19. cap.5, & de Bello Jud. lib. 2. cap. 7, ac lib. 7. cap. 22; juncto Tacito Hist. lib.2. Atque hosce *Parthico* quidem Imperio fuisse obnoxios ex eorum partibus, quas haud semel defendendas ultrocitroque suscipiebant, abunde liquet; ideoque *Parthicam* hisce perinde frequentatam Aeram fuisse veri sit valde simile.

XXXVIII. Verumtamen antequam de usurpata in Arabia qua *Persica*, sive *Parthica* ab his, qui ad *Persicum* sinum inhabitabant, qua *Romana*, vicissimque *Graeca* ab his, qui ad sinum *Arabicum* incolebant, agendum suscipiam, pauca de Christiana in Arabiam inducta Religione sunt levi alioqui brachio attingenda. A *S. Paulo* itaque factos primum Christianos Ara-

Arabes fuisse ex Galat. I. 15. perspicere fas est; postinde a S. *Thadaeo* perhibent Pseudo-Abdias lib. 6.; V. Beda Retract. in Acta Apost., Nicephorus lib. 2. cap. 4. Fortunatus lib. 8. cap. 4, Elias Damasc. in Collect. Canon. Arab., Mares Salomonis in vita S. *Thadaei*, Maris Epitomator Amrus in eadem Vita, Ebedjesus Sobensis in libro Margaritae Par. IV. cap. 6, & in Epitome Canon. apud Cl. Assemanum Bibl. Orient. T. IV. p. 592, qui multis ostendere pergit a SS. *Andrea*, *Johanne*, *Bartholomaeo*, *Matthaeo*, *ac Thoma* plurimam quoque datam operam fuisse, ut Arabes Christo nomen darent. Et S. *Timon* certe ex septem Diaconis unus *Bostrorum* in Arabia Episcopus fuisse traditur in Menologio Basilii Porphyrogeniti Par. II. p. 69. In Synodo Arabica Christi anno 229. *Beryllus* Philadelphiae Episcopus male de Christo sentiens convictus est, testibus Eusebio lib. 6. capp. 20. & 23, Socrate lib. 3. cap. 7, ac Synodico Veteri apud Fabricium in Bibl. Graeca T. XI. lib. 6. cap. 3. p. 190, videndique, si libet, licetque, Valesius in Not. ad Euseb. loc. cit., Bullus in Judicio Eccles. p. 28, & Cave Hist. Litt. T. I. p. 85. Arabes Haereticos ex veteri Gentis errore Animas cum Corporibus interituras, & cum eisdem resurrecturas impie docentes in Arabica Synodo altera Christi anno 247, aut 249. damnatos fuisse liquet ex Nicephoro lib. 6. cap. 30, laudatoque Synodico Veteri loco apud Frabricium cit. p. 191. Ad haec *Maximus* Bostrensis Synodo Antiochenae anno 269. contra Paulum Samosatenum interfuisse legitur apud Harduinum in Collect. Concil. T. I. p. 195. *Nicomachum* Bostrensem alterum Metropolitam, Arabesque Episcopos alios Conciliis Nicaeno I, & Antiocheno subscripsisse liquet ex Harduino Concil. T. I. p. 315, & 589. *Antiochus* item Pseudo-Synodo Ephesinae p. 1455, 1533, & 1578; *Constantinus* Synodo Chalcedonensi T. II. p. 83, 269, & 367; & *Johannes* Constantinopolitanae II. adfuisse leguntur T. III. p. 203. In Constantinopolitana I. de Bostreno Episcopatu disceptasse *Bagadium*, & *Agapium* constat T. I. p. 955. In Chalcedonensi *Petra* Urbs ad Metropolitanam erecta dignitatem est; qua de re Liberatus in Breviar. cap. 13, ac Leo Allatius de Consen. utriusque Eccles. lib. 1. cap. 12: quod factum in Quinta Synodo post Willelmum Tyrium lib. 14. cap. 12, & lib. 28.

lib. 28. cap. 2. putantes Baronium ad an. 553. n.245, & Holftenium in Not. ad Geogr. Caroli a S. Paulo lib. 12. falli oppido oftendit Affemanus loc. cit. p. 594. fq. Tam vero Conciliis Nicaeno I, Conftantinopolitano I, & Ephefino, quam Chalcedonenfi, Pfeudo-Ephefino, & Conftantinopolitano II, praeter duos Metropolitas *Boftrenum*, & *Petraeum*, plures alios interfuiffe ex Arabia Epifcopos apud Harduinum loc. cit. liquido adparet. Itaque in Arabia a prima aetate *Boftrenae* Metropoli Epifcopatus viginti tribuere fas utique fuit Nilo Doxopatrio de Thronis Patriarchal. lib. 5. apud Pagium ad an. 37. n. 11. fqq.; feptem fupra decem Hierocli in Synecdemo apud Bandurium Imperii Orient. T.I. edit. Ven. p.42, & Carolo a S.Paulo; quibus tres adjungit Holftenius; undeviginti Willelmo Tyrio. Metropoli vero *Petrae* fubjectas Ecclefias quinque fupra triginta dinumerare potuit Willelmus Tyrius, decem vero Carolus a S. Paulo.

XXXIX. Jam fub *Valente* Chrifti anno 373. Sacra Chriftiana amplexa fuiffe *Mavia* Saracenorum ad finum Arabicum Regina, Gentique ut Epifcopus ordinaretur *Moyfes* Anacoretha, impetraffe legitur apud Socratem lib. 4. cap. 36, Sozomenum lib. 6. cap. 38, ac Theodoretum lib. 4. cap. 23. *Zocomum* Saracenorum eumdem juxta finum Arabicum Phylarchum, una cum integra Subditorum Tribu, cujus Epifcopus fuiffe Affemano videtur *Theotimus* in Synodica Concilii Antiocheni ad *Jovianum* Imper. anno 363. fubfcriptus apud Socratem lib. 3. cap. 25, Chriftianae fidei nomen dediffe referunt loc. cit. Sozomenus, ac Theodoretus. Sed enim Saracenorum Epifcopi deinde alii Synodis interfuiffe leguntur apud Harduinum, Pfeudo-Ephefinae *Auxilaeus* T. I. p.86, & 270, Chalcedonenfi *Johannes*, & *Euftathius* T.II. p.373. Ad haec *Naamanes* Saracenorum ad Perficum Sinum Dynafta ingenti cum Gentis multitudine a *S.Simeone* Stylita anno 503. ad Sacra noftra perductus traditur Theodoreto in Philotheo, Cofmae Presbytero in Vita S. Simeonis, ac Jofue Stylitae in Chronico de Bello Perf. apud Affemanum Bibl. Orient. T. I. p. 247. fq., 273, ac 281. *Monderum* Saracenorum eumdem juxta Sinum Perficum alterum Phylarchum, *Anaftafio* imperante, circa annum 512. Chrifti

sti fidem amplexum referunt Theodorus Lector lib.2. p. 564, & Abilfeda in Tabulis Geogr. n. 270. *Monderi*, sive *Alamonderi* filius *Naamanes* alter sub *Mauritio* Imp. Christo quoque dedisse nomen perhibetur Evagrio lib.6. capp.2, & 22. *Naamanis* filios Saracenorum item ad Persicum sinum Regulos *Monderum*, & *Hasanum*, una cum filia *Henda*, ad Christiana perinde Sacra transmigrasse produnt Amrus Maris Epitomator in vita Jesujabi Arzunitae apud Assemanum Bibl. Orient. T. III. p. 110. Denique ab *Hamro* Saracenorum eumdem juxta sinum Persicum Dynasta *Jacobitica* haeresi infecto curatum egregie fuisse, ut quatuor Evangelia e Syriaca in Arabicam linguam a *Johanne* Patriarcha Jacobit. circa annum Christi 640. converterentur, auctor est Gregorius Bar-Hebraeus in Chron. Syr. Par. III. apud Assemanum Bibl. Orient. T.II. p. 335, qui multo plura de Christiana apud Arabes Religione quaquaversum amplificata persequitur in Differt. de Syris Nestor. cap. 10. §. 3. Bibl. Orient. T. IV. p. 591. sqq. Ad haec *Arethas*, qui Arabum *Tajorum* in Phoenicia prope Damascum Phylarchus, & *Abrahamus*, qui Arabum *Homeritarum*, idest in Arabia *Felice* Regulus, adpellantur Dionysio Jacob. Patriar. ex Johannis Asiae Episcopi Chronico in Chron. Syr. apud Assemanum Bibl. Orient. T. III. p. 193, sub *Justiniano* Imp. Christianae fidei addictissimus uterque fuisse legitur apud eumdem Dionysium ibid. Sed enim qui Dionysio Jacobitae Christiani dicuntur, ex his unum quidem *Abrahamum* Catholica integrum fide resplenduisse referunt Metaphrastes in vita S. *Arethae*, Sociorumque Martyrum apud Surium T. V. p. 946, S. Simeon Beth-Arsamensis Episcopus in Epist. ad Mar-Simeonem Gabulae Abbatem apud Assemanum Bibl. Orient. T. I. p. 364. sqq., ac ex Johannis Episcopi Asiae Chronico Dionysius in Chron. ibid. p. 381; ast *Monophysitiea* infectos haeresi fuisse tam *Aretham* Gabalae filium, quam ejus filium *Monderum*, ex Dynastia *Gassanitarum* utrumque, inde liquet, quod *Baradaeo* impense favisse uterque refertur ab Auctore Monophysita Codicis Arab. MS. Collegii Maronitarum de Urbe de *Laudibus* Jacobitarum, sive de *Fide* Syrorum fol. 46. apud Assemanum Bibl. Orient. T. II. p. 64, & a Gregorio Bar-Hebraeo in Chron. Syr. ibid. p. 325, & 331. Nempe *Leone*, *Zenone*,

none, *Anastasio*, ac *Justiniano* imperantibus, Arabes cum *Eutychiana*, tum *Nestoriana* longe, lateque inquinatos haeresi fuisse Patriarcharum tam *Alexandrinorum*, quam *Antiochenorum* opera, prout alterum ex his Arabicae obnoxiae erant Ecclesiae, multis oppido demonstratum dedit Cl. Assemanus Bibl. Orient. T.I. p.359. sqq., & 381. sqq., T.II. p.329. sqq., & 373. sqq., ac T.IV. p.451. sqq., & 605. sqq. *Abrahamum* in Homeritide excepisse *Jaxumus*, hunc vero *Masrukus*, istique successisse *Saiphus* refertur Abilfedae, qui addit *Saiphum* excusso Aethiopum jugo ad Romanum Imperatorum primo confugisse, post ad *Chosroem* Persarum Regem, cujus ope Aethiopes profligare quiverit; sed paullo post *Homeritarum* Regnum Persis cessisse, atque Persicam factum Provinciam usque ad *Mohammedi* tempora. Videndus Assemanus in Hist. Arab. Dissert. 4. §. 28. p. 269. sq.

XL. Hisce haud abs re profecto praenotatis, jam *Saracenorum* plures in Arabia Dynastiae sunt praeterea distinguendae, quarum *Phylarchi* quidam proprio gaudebant jure ab Alienigenarum prorsus immune; *Phylarchi* alii sub *Persarum* jugo, ac subinde *Parthorum* erant; aliique Romano Imperio obnoxii. Atque hasce porro inter Dynastias, *Hirae*, seu *Hirtae* Dynastiae, ab *Hirta* Metropoli ad Sinum Persicum sita Urbe denominatae, *Phylarchi* ad Euphratem, vel ad Persicum eumdem Sinum, vel in Mediterranaeis sub *Persarum* Regum, deinde *Parthorum* ditione degebant: quorum Regulorum series videsis, ut ex Ismaele Abilfeda contexatur Ecchellensi in Hist. Arab. Par.II. cap.2. p.284. sqq., & Herbeloto in Bibl. Orient. p.451. Quò sit sane, aut ego fallor, ut facile *Persicam*, ac postinde *Parthicam* apud hos Arabes Aeram obtinuisse putandum sit; quandiu *Persico*, vicissimque *Parthico* degere sub imperio visi sunt. *Harethae* Dynastiae alterius ad Sinum Arabicum, vel ad Phoenicem Libani, Palaestinamque *Phylarchi* Romano Imperio subjecti erant, quorum Genealogiam recensent iidem Ecchellensis in Hist. Arab. Par. II. cap. 3. p. 215. sq., & Herbelotus in Bibl. Orient. p. 360. Atque profecto Arabes primum ab *Augusto*, postinde a *Trajano* integre Romano subjugatos imperio fuisse Christi anno 103., tumque Barbaris abrogatis

legibus, Romanas Arabes recipere fuisse coactos refert Bardesanes apud Eusebium Praep. Evang. lib. 6. cap. 8. vers. Georgii Trapezuntii. Sub *Severo*, *Macrino*, & *Aureliano* defectionem a Romanis facere saepe tentasse Arabes, sed frustra, ab illis in ordinem redactos, locupletes accedunt testes Spartianus, Julius Capitolinus, & Vopiscus. Ex Saracenis iterum, seu Ismaelitis, sive Arabibus cum *Nomadibus*, tum *Nabataeis*, Romanis qua foedere, qua tributo, qua fide illigatas Tribus fuisse plerasque, obnoxiasque factas indubiam faciunt utique fidem Julianus Orat. 1. p. 165, Pacatus in Panegyr. cap. 22, Procopius de Bello Pers. lib. 1. cap. 17, sqq., Theophylactus Hist. lib. 8. cap. 1. apud Photium Cod. 65. p. 95, Menander Protector in Excerpt. Legat. p. 106, Theodoretus in Therapeut. serm. 9. de Legib. Oper. T. II. edit. Colon. p. 546; adeundusque Spanhemius Orbis Rom. Exercit. 2. Antiq. Roman. T. XI. edit. Ven. p. 135. sqq. Ad haec Arabum portionem haud exiguam in Phoenicia adhuc sub *Moavia*, & *Abdalmalecho* Phylarchis Graecorum imperio fuisse obnoxios, atque secessionem a Graecis facere, inque Romanum quin imo Imperium temere irrumpere tentantes a *Mardaitis*, vulgo *Maronitis*, fuisse compressos, subque *Constantini Pogonati*, ejusque filii *Justiniani* repositos jugo, Vectigalesque factos tradunt Cedrenus in Annal. T. I. seu Par. I. p. 440. sq., edit. Paris., Ven. Byzant. T. VII. p. 347. sq., Theophanes in Chronog. p. 295, & 300, Constantinus Porphyrogenitus de Admin. Imper. cap. 22, Imper. Orient., sive Antiq. Constantinopolit. Bandurii Par. II. Hist. Byzant. edit. Ven. T. XXII. p. 61. sq., Paris. p. 73. sq., Anonymus Syrus in Cod. MS. scripto anno Graecorum 1616, Christi 1305, ex eoque Stephanus Edenensis in vita Johannis Maronis cap. 7. apud Assemanum Bibl. Orient. T. I. p. 501. sq. Quocirca inde consequi videtur, quod Arabibus his haud altera, si me ratio non fugit, aut mea me non fallit opinio, quam *Augustaea* primum, ac *Diocletianaea* perinde, ex quo Romanis Imperatoribus subjacere ceperunt, quamque deinde *Graeca*, postquam Graecorum in eosdem cepit imperium, duravitque, Aera fuerit usurpata. Ast enim in Arabum *Homeritarum*, idest in Arabia *Felice* imperante, Dynastia

nastia *Phylarchi* proprio gaudentes jure, propriam habuisse Aeram videri possunt. Quia tamen *Homeritis* Episcopus tum primum sub *Constantio* Imp. *Theophilus*, Nicephoro teste lib. 9. cap. 18, tum perinde sub *Anastasio Paulus*, testibus eodem Nicephoro, Theophane, ac Johanne Asiae Episcopo apud Assemanum Bibl. Orient. T. I. p. 367, & 376, a Patriarcha Alexandrino praefectus legitur, praeficique inde alii Sacrorum Antistites perrexerunt apud eumdem Assemanum loc. cit. p. 384. sq., veri fit inde valdequam simile, quod *Alexandrina* pariter Aera usu, quoad res saltem attingeret Sacras, Homeritis venerit. Sub *Justino*, ac *Justiniano* subinde *Homeritas* Regi Aethiopiae vectigales fuisse liquet ex Procopio de Bello Pers. lib. 1. cap. 20. perhibente, ab *Abrahamo* Homerita Rege Christiano *Hellestaei* Aethiopum Regis successori pacta fuisse tributa. Antea tamen sub *Anastasio*, & *Zenone* Persarum Regi *Homeritas* paruisse tradit Theodorus Lector lib. 2. p. 567. Qua sub aetate *Zaraba* cognomento *Dunaas*, ex Christiano Verpus, ac impius factus Judaeus, immanisque Christianorum hostis, *Homeritarum* occupato Regno, Aerae apud Arabes *Elephantinae* originem fecit, cujus isthaec caussa fuit. *Zarabae* nempe Regis crudelitate erga Christianos, inque Religionem immanitate commotus *Elesbaanus*, sive aliis dictus *Adadas*, Aethiopiae Rex approbe Christianus, *Artabano* Duce, ingenti cum Militari manu, destinato, captum *Zarabam* interfecit; ejus in locum suffecto *Abrahamo* Rege Christiano, de quo modo dictum. In Aethiopum vero Exercitu ingentis molis *Elephas* fuerat, antehac nunquam Arabibus visus; unde rei novitas Aerae *Elephantinae* locum dedit, & nomen. Quia vero hoc eo contigit anno, quo *Mohammedus* in rei Christianae exitium natus est, ejusdem ideo Natalis annus Aera *Elephantina* notari solet, eamque cum anno 881. a *Victoria Alexandri M.* de *Dario Codomanno* relata, & cum anno 1316. ab initio Regni *Nabuchodonozoraei* concurrisse scribunt unanimi spiritu, & calamo Sciahinsciah, Mashudius, & Ben Salma Scriptores Arabes memorati Abrahamo Ecchellensi in Hist. Arab. Par. I. cap. 10. p. 145: qua ipsa *Elephantis* Aera natalis *Mohammedi* no-

notatus etiam legitur a Petro Ben-Rahebo Auctore Chronici Orient. edit. Ven. p. 41.

XLI. Jam vero, postquam abunde, puto, de usurpatis ab Arabum Phylarchis, varia pro aetate, putandis annis Epochis variis disputatum est; diversis modo de Epochis, quae diversas apud Arabiae Gentes, Regiones, Urbesque usu tam prisco, quam postero venire potuere, disputationem instituere praestat, operaeque pretium est nostrae. Atque principio de Urbibus Arabiae universim loquendo, tam pridem a Graecis Urbes in Arabia plerasque conditas fuisse, atque inter has insigniores *Arethusam*, *Larissam*, *Chalcidem* &c., quae variis deinde bellorum infortuniis funditus deletae fuere, memoriae prodidit Plinius lib. 6. cap. 28; quam postmodum ab *Alexandro Jannaeo* ereptas Arabibus Urbes trans Jordanem duodecim fuisse legimus apud Josephum Antiq. lib. 14. cap. 3. edit. Emendat., quae erant *Medaba*, *Nabailo*, *Livias*, *Tharabasa*, *Agalla*, *Athone*, *Zoara*, *Horone*, *Marissa*, *Rydda*, *Lyssa*, & *Oryba*: queis de Urbibus conferendi, si placet, Usserius in Annal. Vet. Test. p. 417, atque Relandus in Palaest. illust. lib. 3. edit. Norimberg. p. 411, quo loci Josephi textum emendatiorem, quam in editione Petri Lauri Mutin. extat, uterque exhibet. Inde arguere itaque fas est, quod aliis in Arabum Urbibus a Judaeis subactis Aera *Judaica* postmodum, una cum Judaeorum legibus, inducta fuerit, tandiuque obtinuerit, quandiu Judaico obnoxiae imperio manserunt; in aliis vero a Graecis fundatis Aera primum *Graeca* fuerit usurpata. Suffectam postinde Aeram *Philadelphicam* fuisse in Arabiae *Petraeae* saltem Urbibus tum *Rabba*, deinde de *Ptolemaei Philadelphi* nomine, a quo restituta, exornataque Urbs fuerat, *Philadelphia* dicta, tum *Berenices*, (quo sane nomine sex Urbes aliae nuncupatae Stephano de Urbib. p. 65. notantur), quam olim *Asiongaber*, sive *Esiongaber* Numer. XXXIII. 35, Deuter. II. 8, ac III. Reg. IX. 26, & XXII. 49. dictam, *Berenicem* postea Josepho Antiq. lib. 8. cap. 2. teste accedente, in Arabia, non *Deserta* quidem, uti Calmetio in Dict. Bibl. T. I. p. 131. visum, qui & perperam erroris Josephum accusat,

sat, sed *Petraea* ad sinum *Elaniticum* positam, ut ostendit Cellarius in Geogr. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 14. §. 32. p. 583. sq., ubi & contra Vossium, ac Berckelium Urbem hanc non in *Heroopolitico* sinu extra Arabiam, sed ad sinum *Elaniticum* post Elanam Urbem in ortum versus, in Arabia *Petraea* sitam ex Josepho rite probat, a *Philaldelpho* pariter instauratam, de *Berenicis* Matris nomine deinceps adpellandam eumdem statuisse testatur eo loci Stephanus, inde veri fit valdequam simile. Postquam autem in Romanorum potestatem Arabia, si non integra, potior saltem pars *Desertae*, atque *Petraeae* devenit, qua de re modo, ab *Augustis* profecto, eorum vel quo gratiam demererentur, vel quo accepta recolerent beneficia, vel quo receptis apud Romanos se se moribus attemperarent, novas inchoare Aeras Arabibus solemne demum evasisse statim ostendo.

XLII. Itaque a *Bostra*, atque *Petra*, duabus in Arabia principibus Urbibus, incipiendo, ab eo profecto, quo *Trajano* imperante, a *Palma* Syriae Praefecto Arabiae partem, quae *Petraeam* attingit, occupatam, inque ditionem Populi Romani redactam fuisse refert Dio lib. 68. p. 777, cui adstipulari non dubitat Basnagius in Annal. Polit. Eccles. T. II. n. 4. p. 13: (quamquam Eutropius lib. 8, quem pone sequendum duxit Du-Cangius in Not. ad Chron. Pasch. edit. Ven. p. 452. sq., Arabiam a *Trajano* in Romanae Provinciae formam redactam scribens, de utraque sane Arabia *Petraea*, atque *Deserta* a *Trajano* expugnata intelligi debet, atque ita intelligendum inde suadetur, tum quod *Petra* Metropolis postea *Desertae* fuit, atque Palaestinae III, *Bostra* vero *Petraeae* Metropolis perinde facta est, atque Ecclesiastica in Arabiae Provincia, sive Ἐπαρχία, ut est apud Stephanum de Urb. p. 72., apud Willelmum Tyrium lib. 13. cap. 11, in Veteri Ecclesiae Notitia, in Hieroclis Synecdemo, & apud Carolum a S. Paulo in Geogr. Sac. p. 63; tum quod in *Trajani* Nummis apud Patinum p. 175, & Harduinum Num. illust. p. 27, & Hist. Aug. p. 750 in Arabia cusis isthaec sane conspicitur Epigraphe *Arab. Adq.*, & *Arab. Adquis.*, idest *Arabia Adquisita*: quamvis, ut verum fatear, integram a *Trajano* Arabiam *Desertam* haud fuisse adquisitam mox, quum de *Agra* Urbe fiet sermo, planum

num fiet); ab eo, inquam, anno idest Christi 105, Olympiadis *Iphiti* 221. anno 1, *Trajani* 8, *Candido*, & *Quadrato* Coss., Mundi 5613. novam a *Petraeis*, atque *Bostrenis* Epocham fuisse institutam perhibet Auctor Chronici Pasch., sive Alex. p. 253. edit. Paris., Ven. p. 202. Probat id quoque rarus, insignisque *Bostrae* scalptus Imperatori *Septimio Severo* apud Begerum Thes. Brandeb. T. III. p. 129, & apud Belleyum e D. Pellerinii Museo productus in Observat. ad Aeram Bostrae in Arabia Monum. Acad. Inscrip. T. XXX. p. 307. sqq. Nummus, cujus in antica parte cum Templi effigie Numeralis anni nota ΔΡ. 104. conspicitur: qui ductus ab U. C. anno 858, Aerae Christianae 105. optime congruit in annum U.C. 961, Christi 208, *Severi* 15. Vel itaque quod utraque ampliata Urbs, novisque adaucta aedificiis a *Trajano*, adeoque privilegio *Autonomiae* insignita fuerit, in accepti videlicet ab Imperatore beneficii argumentum; vel quod Imperatoris gratiam utraque sibi Urbs aucupandam statuerit, more tum ab *Augusti* victoriis recepto, quo de Svetonius in *Octavio* cap. 59, Epocha inde nova exordienda *Petraeis*, atque *Bostrenis* visa est. Et instauratae quidem a *Trajano* Bostrensis Urbis indicium haud leve praebent Nummi ab Urbis Incolis procusi cum hac epigraphe Ν. ΤΡ. ΒΟϹΤΡΑ, *Nova Trajana Bostra*, veluti legitur in Nummis *Trajani*, *M. Aurelii*, *Commodi*, *Alexandri Severi*, & *Juliae Mamaeae*. Eademque postea *Bostra* Colonia ab *Alexandro Severo* facta, non antea, uti Patinus, & Holstenius persuasum habuere, legitur cum titulo *Colonia Bostra*, ut in Nummis *Juliae Mamaeae*; vel *Colonia Trajana Alexandrina Bostra*, ut in Nummis ejusdem *Mamaeae*; vel *Colonia Bostra Alexandrina*, ut in Nummis *Juliae Aquiliae* apud Tristanum T. II. p. 426, Holstenium in Not. ad Stephanum de Urb. p. 72, Du-Cangium loc. cit., Harduinum Num. illust. p. 35. sq., Cellarium Geogr. Antiq. T. II. p. 589, ac Relandum Palaest. illust. lib. 3. edit. Norimb. p. 495. sq. *Petra* quoque Metropolis facta, & Colonia ab *Hadriano* legitur in Nummis *Hadriani*, *M. Antonini*, *L. Veri*, ac *Severi* cum titulo Αδριάνη Πετρα Μητροπολις *Hadriana Petra Metropolis*. Atque ab eodem sane, cui ab Auctore Chron. Alex. defixa est, anno Chri-

sti

ſti 105, hancce *Petrae*, ac *Boſtrae* Urbium Aerae cardinem ducere haud dubitarunt Petavius in Animad. ad S. Epiphan. T. II. p.134, Du-Cangius in Not. ad Chron. Paſch. p. 452. ſq., Pagius ad an. 105. n. 5. Annal. Eccleſ. T. II. edit. Luc. p. 41. ſq., Baſnagius in Annal. Polit. Eccl. p. 13, aliique vulgo Chronologi. Patinus tamen in Theſ. Mauroceno ex Nummo *Trajani* inſcripto *Arabia* L. IΓ. anno 13. poſteriorem annis 5. Epocham; Fabretus vero p. 290. poſteriorem annis 4. facere haud fuerunt veriti. Verum ex Vaillantio refert Pagius, obſervatque Harduinus in Hiſt. Aug. p. 759, erraſſe oppido Patinum, atque Nummum illum *Hadriano* fore reſtituendum, quem anno probe Imperii 11. Arabicam profectionem adornaſſe conſtat ex Nummis inſcriptis *Arabia* L. IA, Imperii vero anno 13. Arabiam peragraſſe ex Nummis cum nota *Arabia* L. IΓ. ſcalptis fit manifeſtum apud Harduinum Num. Popul. illuſt. p. 27. Idem vero Harduinus ibid. p. 35. ſq., quocum facit Eraſm. Froelichius in Num. Antiq. cap. 4. p. 45, ex Nummo *Severi* cum Nota numerica ET. PΔ. anni 104. primum Arabiae *Adquiſitae* annum fuiſſe Chriſti 106, ideoque *Boſtrenſium* hunc annum 104. fuiſſe Chriſti 209. a Septembri putat. Quo prope abfuit Ludovicus du Four Longuerue de Var. Epoch. Vet. cap. 2. §. 18. p. 69. ſq., Arabiam *Petream* in Romanorum poteſtatem a *Trajano* Aerae Chriſtianae anno 107. fuiſſe tranſductam arbitratus. Sed enim a vulgo recepta Auctoris Chron. Alex. opinione, ulla gravi abſque ratione, haud recedendum.

XLIII. Gloriae tamen, ac famae a *Petra*, & *Boſtra*, ſubactis *Trajano*, ac *Severo* adquiſitae multum detraxit *Agra* Urbs in Arabia *Deſerta* ad Euphratem conſita; unde *Agarenis* haeſiſſe nomen autumant Schvvartzius in Not. ad Cellarii Geog. Antiquam T. II. p. 592, ac Jacobus de Bary in Epiſt. ad Relandum Palaeſt. illuſt. p. 689. ſqq. Auctor eſt nempe Dio Caſſius, ſeu ejuſdem Epitomator Xiphilinus edit. Vet. Bandoli p. 275. a *Trajano* antea, & a *Severo* deinde fruſtra Urbem fuiſſe tentatam, gravi quinimo ab Urbis Incolis utrumque Imperatorem affectum clade fuiſſe, neque ingenti abſque ignominia repulſam utrumque paſſum. Singularis porro, inſigniſque Num-

Nummus extat in Cimeliarchio Electoris Palatini, cujus in antica parte cum figura Viri habetur legenda ZEYC KACIOC *Jupiter Casius*, in postica vero Epigraphe AΓPEYC *Agraeus* legitur: quem sane *Agrae* percussum, atque fortasse, ut perenne *Libertatis* propriae Monumentum esset, haud incongrue auguratur laudatus Jacobus de Bary. Qui *Jovis Casii* nomine apud Agraeos *Osiridem*, sive *Bacchum* venire nullus ideo dubitat, quod antiquissimum *Bacchi*, quem a *Nimbrodo* indistinctum cum Bocharto in Geogr. Sacr. lib. I. cap. 2. Oper. T. II. p. 12. ipse putat, nomen Ζαγρεὺς fuerit; *Agraei* vero nomine *Venator* indicetur, velut ex Sanchoniathone apud Eusebium Praep. Evang. lib. I. cap. 7. post Bochartum observat. Quo loci tradita *Protogono* derivatum *Casii* vocabulum fuisse, ab eodemque *Protogono* descendisse *Hypsuranium*, atque ex isto prognatos *Agreum*, qui *Venationis*, & *Alieum*, qui *Piscationis* artem invenisse apud Phoenices ferebantur. Hisce adstipulari non dubitat eodem Palaest. illust. loci p. 702. Relandus, indeque procul abire sententia adfirmat Sponium in Miscell. Erud. Antiq. sect. 3. Antiq. Graec., & Rom. Suppl. Poleni T. IV. edit. Ven. p. 797. sqq., qui Nummos duos huicce similes *Antonini Caracallae* unum, alterumque inscriptos Ζευς Κασιος, Αγρευς *Jupiter Casius*, & *Aegraeus* Corcyrae etiam adscribendos, Jovique *Casio*, qui illic colebatur, velut alter Corcyrae revera scalptus ostendit Nummus, existimat; *Agraeus* vero nomen esse *Panis* agrestis Dei putat, quem Corcyrae, non secus, ac Athenis, teste Hesychio *Agraeum* fuisse denominatum inde arguit. Quamquam eodem loci Sponius alterum *Trajani* Nummum cum epigraphe ad Templi vestibulum Ζευς Κασιος ad *Jovem Casium*, cujus insignis Aedes in summitate Montis Casii in Syria quidem, haud longe a *Seleucia* Pieriae, cui ideo Urbi *Jupiter Casius* maxime Sacer erat, in Seleuciae Nummis saepe cum *Fulmine*, Urbis symbolo non secus, atque Nummis, scalptus apud Norisium, Spanhemium p. 393, Massonum, & Haymium Thes. Britan. T. I. p. 65. sq., alter siquidem *Casius* Mons erat, (ut de Casio Monte in Scythia ab occasu in ortum longe procurrente sileam), in limitibus Aegypti, & Palaestinae, ibique Templum aliud, in quo *Jupi-*

Jupiter Casius ab Incolis colebatur, testibus Stephano, ac Strabone, in Syria, inquam, siti extabat, referendum haud ambigit, in eaque *Jovis Casii* aede a *Trajano* Crateres Argenteos oblatos fuisse, aliaque ob *Geticam* Victoriam appensa Vota ex Suida V. Κάσιος Lex.T.II. edit.Kust. p.249. advertit.

XLIV. Illustris in Arabia *Petraea* Urbs altera occurrit, *Rabbathammana*, II. Reg. XI, & XII. 27, ac Ezech. XXV. 5. *Rabba*, deinde vero ex *Rabbath*, & *Ammon* denominata, *Rabbathammana* Deuter. III. 1, II. Reg. XVII. 27, Hierem. XLIX. 2, & Ezech. XXI. 20, *Ammonitarum* olim Regia in Colle sita, de qua Josephus Antiq. lib.4. cap.5, Polybius lib.5. cap.71, Eusebius, ac S. Hieronymus de Loc. Hebr. Haec postea *Astarte* dicta Stephano de Urb. p.268. sq. teste, belli, aut fortunae postremo casu excisa, a *Ptolemaeo Philadelpho* deinde restituta, aedificiisque exornata, ab eo perinde *Philadelphiae* nomen retulit, Josepho de Bello Jud. lib.3. cap.4, Stephano de Urb. p.268, ac S. Hieronymo in Ezech. cap.25. referentibus: unde *Philadelpham* tandiu Aeram ibi frequentatam, quandiu sub *Ptolemaeorum* mansit potestate, dubitare nefas est. Postquam vero Latronum hancce circa Urbem receptacula a *Pompejo* anno U.C. 691, ante Christi natalem 63. diruta fuere, deletaque funditus, Josepho de Bello Jud. lib. I. cap.5, ac Strabone lib.16. p.763. testibus, inde factum Usserius in Annal. Vet. Test. p.430. putat, ut nova hinc a *Rabbathammonitis*, sive *Philadelphiensibus* in facti memoriam Epocha institueretur. Parum hinc abfuit Norisius de Epochis Syromaced. Dissert. 3. cap.9. §.2. Oper. T.II. p.323. sq., ubi novae huic Epochae instituendae caussam eam fuisse conjicit, quod, una cum Urbibus aliis Coelesyriae, atque Palaestinae Damasco, Gadara, Dora, Gaza, Raphia, Seleucia, a *Pompejo* ab Arabum tyrannide liberata quoque *Philadelphia*, fuisque deinceps vivere legibus permissa, & *Autonomia* donata, fuisset. Quam sane Aeram ab anno 2. Olympiadis 179, *Pisone*, & *Gabinio* Coss., qui fuit ante Christi natalem 63, incepisse, atque inde *Philadelphiensibus* annos putare in more positum tradit Auctor Chronici Alex. p.185. edit. Paris, Ven. p.148. In eo tamen is emendandus, quod annus 2. Olymp. 179.

recte quidem cum anno Christi ante natalem 63, U. C. 691. concurrit, ipse vero cum eodem anno *Pisonis*, & *Gabinii* Consulatum copulat, qui caeteroquin in U. C. annum 696, Olymp. 180. annum 3. incidit: quo in peccati genere is perpetuus est, ut quinquennio nempe Consulum perturbet seriem, praevertatque. Confirmant id Nummi, praeter eos, qui postea *Hadriano*, *Antonino Pio*, *M. Aurelio*, & *L. Vero* inscripti sunt apud Patinum p. 200, ac Spanhemium p. 896, Nummi, inquam, *Titi*, ac *Domitiani* cum Inscriptione Φιλαδελφέων L. ΓΜΡ. anni 143. in Cimelio D. Foucaltii, & Regio apud Morellium, Norisium loc. cit., & Harduinum Num. illust. p. 179, in Chron. Vet. Test. p. 613, & Hist. Aug. p. 736, & 738; qui annus 143. cum anno *Titi* postremo, *Domitiani* primo, U. C. 833, Christi 80. concurrit, Aerae initio ducto ab anno U. C. 691, ante Christi natalem 63; quo ipso anno Syria, cum Phoenice, ac Caele syria, Romanam in Provinciam a *Pompejo* redacta est; cui ideo isthaec fuisse caussa novae istiusmodi Epochae instituendae visa est: videndique hac etiam de Aera Scaliger Isag. Can. lib. 3. p. 301, ac Spanhemius de Praest., & Usu Numis. p. 871. Atque diligenter haec demum Urbs distinguenda est ab Urbe in Arabia *Petraea* altera *Rabbath-Moba*, aut *Rabbath-Moab*, sic efferenda, ut observat Holstenius in Not. ad Stephanum p. 268, non vero *Rab-Math-moma* Ῥαζμαθμώμα, velut apud Ptolemaeum Geogr. lib. 5. cap. 17. corrupte legitur; quae olim quidem & ipsa *Rabba* simpliciter adpellata Josue XIII. 25, *Moabitarum* a *Lothi* filio *Moab* descendentium olim Regia, postinde *Areopolis* cognominata, legitur apud Eusebium, & S. Hieronymum in Onomast. Nummi extant sane Romanis sub Augustis *Septimii Severi* hac in Urbe cusi cum Epigraphe ῬΑΒΒΑΘΜΩΜΗΝΩΝ, notaque Numerali BMP. anno 142. apud Relandum Palaest. illust. lib. 3. de Urbib. edit. Ultraj. p. 953, Norimberg. p. 707, qui Aerae caput ab anno U. C. 811, Aerae Christianae 58, *Neronis* 4. ducendum statuit. Quo ipso anno, *Neronis* 4, Christi 58, U. C. 811. nempe, ab Autumno una cum Aera *Carrhenorum* in Arabia, quae Mesopotamiae adjacet, in Nummo *M. Aurelii*, ejusdem anno 11, ea Civitate tunc a *Corbulone* jussa cum

cum Romanis foedus inire, *Rabbathmobitarum*, sive ut ipse legit, *Rabbathmomenorum*, velut in Nummis legi confirmant cum Relandus loc. cit., tum Schvvartzius in Not. ad Cellarium Geogr. T. II. p. 573, Aeram etiam in Nummo *M. Aurelii Antonini Caracallae* in Thes. Regio cum Nota EP. anni 105, qui est *Septimii Severi* 5, ab Autumno Christi anni 197; atque in altero *Septimii Severi* in Cimelio D. Foucaltii cum Nota anni BMP. 142, Relando etiam relato, qui ejusdem *Severi* est annus 7, Christi 199, inchoare censet Harduinus in Num. Popul. illust. p. 143, in Chron. Vet. Test. p. 636, & 638, ac Hist. Aug. p. 800: qua de Aera Froelichius etiam in Not. Element. Num. Antiq. cap. 4. p. 49. agit, in eadem de ipsius exordio opinione versatus.

XLV. Quò suum ad exitum tum primo vergere *Syromacedonum* in Asia, Syriaque Regnum incipiebat, atque mutuis se petere bellis, afficereque cladibus duo *Demetrii* II. filii, uterinique Fratres *Antiochus* VIII. *Gryphus*, & *Antiochus* IX. *Cyzicenus* haud desistebant, a *Seleucidis* defectione facta, qua Armenii, qua Judaei, qua Arabes, opportunitate arrepta, Syriam in partes distrahere, ad seque pro viribus pertrahere conati sunt: adeoque *Tigranes* superiorem Syriae partem Armeniae Regno adjungere visus est, Josepho Antiq. lib. 13. cap. 14, ac Strabone lib. 16 p. 518. testibus; *Zoilus* Caesaream, ac Doram occupare; *Dionysius* Tripolim ad se rapere; *Strato* Berooeam sibi subdere; *Mennaeus* Chalcidem, & Heliopolim invadere; *Arethas* suam in potestatem Damascum redigere; *Sampsiceramus* Emesam, & Arethusam captas in Regnum erigere. De prioribus jam vero hisce Urbibus heic non loquor, quod vel de harum aliis jam loquutus alibi fuerim; vel, ex his aliae a veteri *Seleucidarum* Aera usurpanda haud abstinuerint; vel de nova ab harum aliis Urbibus adhibita deinceps Epocha suo infra opportuniori loco mihi loquendum suppetet; ideoque geminas intra dumtaxat Urbium *Emesae*, & *Arethusae* Epochas oratio heic nostra se continebit. Tam vero *Emesae* Urbis antiquissimae, scribente Ammiano Marcell. lib. 14. cap. 26. Vales. cap. 8, quam *Arethusae* unius ex conditis a *Seleuco Nicatore* Urbibus, (quas ideo Ἀδελφῶν titulo in

 Num-

Nummis saepius inscriptas legi alibi cum Massono adverti), teste Appiano in Syr. p. 201, unam *Seleucidarum* tandiu Aeram obtinuisse, quandiu Seleucidis utraque obnoxia Urbs fuit, res est omnem prorsus extra dubitationis aleam posita. Quin etiam devexiorem usque ad aetatem, sub *Augustis* eamdem, saltem *Emesae*, *Seleucidarum* Aeram frequentari non desiisse, liquido docent nos Nummi. Enim vero extant scalpti *Emesae* Nummi, inscripti *Antonino Caracallae*, a quo *Coloniae* titulo decorata Urbs est, ac *Juliae Domnae* matri cum epigraphe EMICHNΩN KOΛΩNIAC, figura *Mulieris* Turritae, ac Numerali nota EKΦ. anni 525; vel cum figura *Lapidis* rotundi, sensimque fastigiati, propemodum ad Coni formam, (quem Nigri coloris, e Caelo decidisse creditum, *Solis* imaginem, Symbolumque fuisse Tutelaris *Emesenorum* Numinis tradit Herodianus lib. 5. cap. 8; e quo *M. Aurelium Antoninum* cognomen *Elagabali* sibi adsumpsisse, a *Sole* nempe, cujus ipse apud *Emesam* Sacerdotio defungi gloriae habuit, scribunt Lampridius in ejus vita cap. 1, Ammianus Marc. lib. 26. cap. 18. Valles. cap. 6, ac Vopiscus in Aureliano cap. 25, videndusque Seldenus de Diis Syris Syntag. 2,); cumque Notis HKΦ. anni 528. apud Patinum p. 304, Harduinum in Num. Popul. illust. p. 53. sq., ac Norisium de Epoch. Syrom. dissert. 3. cap. 2. §. 3. p. 97. sqq. Qui postremus annos his in Nummis notatos Aerae *Seleucidarum* esse non dubitat; quae quum injerit ab Autumno U. C. 442, ante Christi natalem 312, ejusdem annus 525, & 528. cepit ideo ab Autumno anni U. C. 966, & 969, Christianae Aerae 213, & 216, *Caracallae* 3, & 6. Nec alteram, quam *Seleucidarum* usu aliquando *Emesenis* venisse Epocham, persuasum quoque fuit Harduino in Num. illust. p. 53. sq., in Chron. Vet. Test. p. 576, & in Hist. Aug. p. 768, 806, 808. sq., & 847, Vaillantio in Num. Colon. T. II. p. 53, Longuerue de Var. Epoch. cap. 2. §. 15. p. 67, quo loci id confirmat Eusebii testimonio Hist. Eccl. lib. 1. cap. 13. de Actis *S. Thadaei*, & *Abgari*, & in Chronico edit. S. Hieronymi T. VIII. p. 539, ubi ab anno 1. Olymp. 117, quo cepit Aera *Seleucidarum*, inde tempora *Edessenos*, queiscum *Emesenos* convenisse constat, sua computare scribit, Froelichio Num. Antiq. cap. 4.

cap.4. p.46, atque Bimardo de la Baſtie in Annot. ad Joberti Scient. Num. in Addit. §.4. edit. Ven. T.II. p.370. ſq., ubi ex Haymio in Theſ. Britan.T.I. p.282. edit. Vindob. 1763. rarum exhibet Nummum *Sulpicii Antonini* Tyranni, (quem *Sulpitiae Memmiae*, Uxoris primae *Alexandri Severi*, fratrem, atque *Sulpitii* Viri Conſularis, eidem *Alexandro* ſanguine propinqui, filium arguit Haymius ibid.), ſub *Valeriano*, & *Gallieno* Imp. in parte antica inſcriptum Αυτοκ. Σουλπ. Αντωνινος ϹεϹ., in poſtica vero Templi figuram referentem ſex Columnis inſtructi, inter quas Lapis figurae Conicae, quem *Solis*, ſeu *Elagabali* Numinis eſse ſymbolum modo audivimus ex Herodiano, Ammiano, & Vopiſco, conſpicitur, cum Epigraphe ΕΜΙϹϹΩΝ ΚΟΛΩΝ. *Emiſſenorum Colonia*, Notaque Numerali ΕΞΦ. anni 565; qui ducti ab anno U.C. 442, ante Chriſtianam Aeram 312. in annum incidunt U.C. 1006, Chriſti ab Autumno 253, *Valeriani*, & *Gallieni* 2: unde patet Nummum illum perperam *Antonino Caracallae* a Pataroło, aut *Elagabalo* a Maffejo in Select. Gallic. Antiq. p. 110. adſcriptum fuiſse.

XLVI. Verumtamen altera habenda ratio eſt *Arethuſae* Urbis alterius Regni a *Sampſiceramo* Arabe inſtituti: etſi enim antehac una *Seleucidarum* etiam indubitanter Epocha uſurpata ibi fuerit, novo poſtinde tamen cum Imperio novam inſtitutam Epocham fuiſſe dubitare neutiquam ſinunt Nummi *Arethuſae* percuſſi. Quod mirari profecto mihi valdequam ſubit, quo demum factum ſit, ut *Emeſae* quidem vetus *Seleucidarum* Aera integra permanſerit, *Arethuſae* vero nova *Sampſiceramaea* fuerit inducta; fatendumque ſane hujuſce diſcriminis cauſſam hactenus in obſcuro latere. E Regio itaque Galliarum Cimeliarchio inſignem geminum, eumque rarum exhibent Nummum *Arethuſae* cuſum Harduinus in Num. Popul. illuſt. p. 28, in Chron. Vet.Teſt. p.613, & Hiſt.Aug. p.799, & 812, ac Noriſius de Epoch. Syrom. diſſert. 3. cap. 9. §.7. Oper. T II. edit. Veron. p. 351. ſq., in quorum altero *Septimii Severi* haec Inſcriptio habetur ΑΡΕΘΟΥϹΑΤΩΝ ΕΤ. ΓΞϹ. *Arethuſatorum* anno 263; qui, Aerae initio ab Autumno anni U. C. 686, ante Chriſti natalem 68, ducto, incidit in annum *Severi* 3, U. C. 948,

948, Christi 195. In altero vero *Diadumeniano* inscripto, *Arethusae* scalpto Numerales hae notae conspiciuntur ETO. EΠC. anni 285, qui, eodem ab anno U. C. 686, ante Christianam Aeram 68. Aerae ducto exordio, cum anno U. C. 970, Christi 217. concurrit. Quo fit, ut anno U. C. 686, ante Christi natalem 68. Dynastiam *Arethusae*, & *Emesae* novam *Sampsiceramus* inceperit; eodemque pariter anno nova inducta putandis annis fuerit Epocha. Jungendus praelaudatis insignis Nummus alter a Spanhemio in Orbis Rom. Exercit. 11. Antiq. Rom. Graevii T. XI. edit. Ven. p. 111. exhibitus e Cimeliarchio Regio, in quo hinc *Mulier* cum Turrito, velatoque capite, quod *Eleutheriae* insigne esse vice plus simplici admonuimus; illinc *Jupiter* sedens, dexteraque Victoriae signum tenens inspicitur cum Inscriptione APEΘOYCATΩN THΣ IEPAC AYTONOMOY *Arethusatorum Sacrae*, & *Autonomae*, cumque fugientibus aliquot litteris, quibus illius Aera fortassis erat adscripta; quae ab eo forte, quo a *Pompejo* Syriae, ac Coelesyriae Urbibus Libertas indulta fuit, anno U. C. 690, ante Christi natalem 64. ab Autumno, more aliarum multarum, incepisse videtur. Priorem *Arethusae* porro Aeram anno 1. anticipat Erasm. Froelichius in Num. Antiq. cap. 4. p. 44, ejusdem exordium in U. C. annum 685, Christi ante natalem 69. conferens. Quae tamen differentia tanti non est, ut in ea diutius immorari nos opus sit, atque pretium sit operae.

XLVII. Ad reliquas Arabiae Urbes, peculiari aliqua Epocha insignitas aliquando, festino modo progrediendo gradu, veluti tempus urget, instatque, inter hasce praecipua re, nomineque se nobis offert *Beth-Sames* Urbs ad Sinum Arabicum sita, Βαισαμψα Stephano de Urb. p. 62. nuncupata. Atque ita plane legitur in Nummo *Trajani* Βαισαμψηνων apud Goltzium p. 210, Scaligerum in Animad. Euseb. p. 189, & Harduinum Num. illust. p. 32. A *Sames*, idest *Solis* cultu sane, cui maxime mancipata erat, nuncupatam Urbem nullus ambigo; quae suo satis nomine distinguitur ab Urbibus aliis *Soli* etiam dedicatis; velut ab Urbe עֵין שֶׁמֶשׁ *Ain-Semes* Josue XIX. 17, sive בֵּית שֶׁמֶשׁ *Beth-Semes* in Tribu Juda Josue XXI. 16, I. Reg. VI. 12, IV. Reg. XIV. 11, & I. Paralip. VI. 59; ab altera שֶׁמֶשׁ בֵּית

בֵּית *Beth-Sames* in Tribu Nephtali Josue XIX. 38, Jud. I. 33; a tertia in Tribu Dan III. Reg. IV. 9; a quarta עִיר שֶׁמֶשׁ *Hir-Semes* in Tribu Dan Josue XIX. 41, quam ipsam esse cum *Beth-Semes* III. Reg. IV. 9. recensita conjicit Relandus Palaest. illust. lib. I. edit. Ultraj. p. 154, Norimb. p. 113, & lib. 3. p. 656. sq., sive p. 488. sq.; a quinta צִיר חֶרֶם *Ir-Heres* Isaj. XIX. 19, sive ut aliis legitur עֵין שֶׁמֶשׁ *Ain-Schemes*, uti R. Raschio in Ezech. XXX, & Nomenclatori Aegyptio Arabico apud Kircherum in Lingua Aegypt. restituta p. 209, & 242, Abilfedae in Geogr., Avicennae lib. 2. cap. 8, Geographo Nubiensi Par. III. Clim. 3, Calcasendio in Kalend. Arabico apud Seldenum de Syned. lib. 3. cap. 15. p. 1338, R. Benjamino Tudelensi Itin. p. 120, Elmacino apud Hottingerum in Smegm. Orient. lib. I. p. 371, & Golio in Not. ad Alfrag. p. 157, quae *Heliopolis* in Aegypto creditur, quamvis verior eorum sententia Ickenio habeatur, quibus *Ir-Heres*, Isajae loc. cit. memorata, *Leontopolis*, idest *Civitas Leonum*, non vero *Heliopolis*, hoc est *Civitas Solis* visa est: quo de argumento fuse Volum. III. Art. II. de Mens., & Annis Syrorum &c. §. XII. sqq. p. 186. sqq. Praeter *Heliopolim* vero in Aegypto Inferiori, alteramque in Nomo Aegypti, sive Praefectura, *On* olim dictam, Nilo, & Memphi propiorem, quam sinui Arabico, queis de Strabo lib. 17. p. 553. sqq., Diodorus lib. I. cap. I. Par. II. p. 28, ac Ptolemaeus lib. 4. cap. 5; altera fuit *Heliopolis* ad Libanum in Coelesyria sita, *Solis* cultui dicata, quae cum *Chalcide* in potestatem transivit deinde *Ptolemaei* filii *Mennaei*, Strabone teste lib. 16. p. 518, atque Colonia postea *Juris Italici* facta est, qua de Vaillantius in Num. Colon. T. I. p. 228, & T. II. p. 32, 81, 93, & 237, nosque suo infra loco. A *Philippo* Imp. genere Arabe condita Urbs in Agro Bostreno, quam ipsa cum Urbe *Bostra* ab eodem *Philippo* restaurata, ejusque ideo de nomine, veteri proprio mutato, dictam volunt Scaliger ad Euseb., Holstenius Annot. ad Ortelium p. 151, ac Buno in Not. ad Cluverium Introd. Geog. lib. 5. cap. 24. p. 613, *Philippopolis*, a *Bostra* sane distinguenda cum Sex. Aurelio Victore, Zonara, Cedreno, Carolo a S. Paulo in Geogr. Sac. p. 63, ac Cellario Geogr. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 14. §. 41. p. 589. sq.; atque ab eodem

dem *Philippo* Colonia facta, velut ostendunt Nummi ipsi *Philippo*, atque *Marino*, qui Purpuram in Moesia sumpserat, ipso *Philippo* regnante, inscripti *Φιλιπποπολιτων* Κολωνιας apud Harduinum in Hist. Aug. p. 834. sq., novam, receptum juxta morem, in beneficii memoriam, quo tum Urbs a *Philippo* condita fuerat, tum *Colonia* facta, Epocham instituisse, & quidem anno U. C. 997, Christi 244, quo in Oriente *Philippus* morabatur, Praetorio tum Praefectus factus a *Gordiano*, ipsoque paullo post interfecto, ab Exercitu Imperator salutatus, aestimari tam recte potest, quam debet, etsi, quae invicte probent, vetera non suppetant Monumenta.

XLVIII. Sed enim Monumenta non desunt, quibus de novis edoceamur Epochis, quae in Arabiae Urbibus aliis alias ob caussas usurpatae deinde leguntur, ut *Sabae*, ut *Attae*, ut *Nysae*, ut *Amphis*, ut *Canathae*, ut *Mokae*, ut *Singarae*. Atque *Sabae* quidem Urbi, e qua fortasse celebre primo *Sabaeorum* profluxit nomen, prae ceteris primus utique faciendus locus fuerat: sed quia multae hac ipsa *Sabae* adpellatione nobis Urbes se offerunt, huc de his simul omnibus tractatio differenda visa est. Fuit igitur in Aethiopia duplex סבא *Saba* per ס *Samech* distincta ab Arabicis cum ad Persicum Sinum una, tum ad Sinum Arabicum prope *Adulim* posita altera, quae Arabiae sinu interjecto respondet, queis de Psalm. LXXI. 10, Josephus Antiq. lib. 2. cap. 5, Bochartus in Geogr. Sac. lib. 4. cap. 7, ac Cellarius in Geog. Antiq. T. II lib. 4. cap. 8. p. 953. Fuit & gemina in Arabia שבא *Saba* per ש *Schin* distincta ab Aethiopicis, atque una in Arabia *Deserta*, de qua Jobi I. 15, ac Ptolemaeus lib. 5. cap. 19; in Arabia *Felice* altera in Monte posita, unde Reginam ad *Salomonem* profectam, qua de III. Reg. x. 1, & Matth. XII. 42, contra Josephum Antiq. lib. 8. cap. 2, & Grotium in Matth. loc. cit. eamdem ex Aethiopia adducentes verius censent Cellarius Geogr. T. II. lib 3. cap. 14. §. 57. p. 597, ac Buno in Not. ad Cluver Introd Geog. lib. 5. cap. 24. p. 615; quam Urbem totius Regionis Metropolim vocat Diodorus lib 3. cap. 3. p. 86, indeque Gentem totam nomen fuisse sortitam perhibet Agatharcides in Periplo p. 63. apud Photium p. 1372; eamque non procul ab Arabico Sinu in gradu Latitudinis

dinis 16. min. 50. collocant Ptolomaeus loc. cit., ac Stephanus de Urb. p. 276, qua de videndi Holstenius in Not. ad Stephanum ibid., ac Salmasius Exercit. in Solinum p. 491. Ab hac itaque Urbe Metropoli ceteris olim inditam Urbibus Arabiae *Felicis* annos dinumerandi rationem fuisse augurari fas est, etsi quae illa primum fuerit, in obscuro plane lateat. *Attae* quoque post Sinus Persici Fretum sitae Urbis, quae sane distinguenda est ab *Athone*, una cum Urbibus aliis undecim Arabiae *Petraeae* ab *Alexandro* Jannaeo Rege Judaeorum Arabibus dein erepta, qua de Josephus Antiq. lib. 14. cap. 3. edit. Lauri, peculiarem usu frequentatam Epocham perinde fuisse ex Nummis, qui adhuc dum inscripti *Trajano*, atque *Getae* Ατταιτων, sive Ατταητων, Numerali tamen absque nota, prostant apud Harduinum in Num. illust. p. 30, atque Spanhemium p. 896, arguere licet, quamvis ejusdem de initio quidquam vel divinando statui nequeat. Ad *Nysam* in Arabia *Felice* in limine juxta Aegyptum consitam Urbem, *Osiridis*, sive *Bacchi*, unde huic *Dionysii* a Patre *Dio*, idest *Jove*, & loco educationis *Nysa* haesisse nomen fertur, ibidem educati nomine celebrem, qua de Herodotus lib. 2. cap. 146, & lib. 3. cap. 97, Diodorus lib. 1. cap. 2. p. 13. sq., & lib. 3. cap. 5. p. 94. sq., Apollodorus Bibl. lib. 3. cap. 4. p. 159, Scholiastes Aristophanis in *Ranis* p. 222, & Eusebius Praep. Evang. lib. 2. cap. 2, referendos puto Nummos cum *Bacchi* dexteram super caput elevantis, quod *Libertatis* indicium est, figura, & epigraphe ΝΥCΑΙΩΝ, *Augusto*, *Hadriano*, *Faustinae*, *Severo*, *Sabinae*, *Caracallae*, & *Elagabalo* inscriptos apud Ligorium, Erizum p. 336, Tristanum T. II p. 236, Holstenium in Not. ad Stephanum p. 227. sq., & Harduinum p. 126. sq.; unde ego quidem auguror Nummis his *Autonomiam*, Libertatemque sibi ab *Augustis* impertitam gratulari *Nysaeos*, indeque novam exordiri Epocham voluisse. Alias tamen alibi eodem *Nysae* adpellatas nomine Urbes fuisse haud aegre diffiteor, ut *Nysa* in Decapoli Syriae de *Bacchi* etiam nomine, sepulta ibidem Nutrice, dicta, indeque a *Scythis* eò deductis *Scythopolis* denominata, Plinio teste lib. 5. cap. 18, ad quam referendi Nummi *Elagabali*, & *Gordiani Pii*; ut *Nysa* ad fluvium Indum, quam a *Baccho* conditam,

 eoque

eoque de nomine vocatam ferunt Arrianus lib. 5. sub initio, Strabo lib. 15. p. 480, Plinius lib. 6. cap. 21, ac Theophrastus in Hist. Plant. lib. 4. cap. 4; ut *Nysa* in Caria, pridem dicta *Pythopolis* Stephano de Urb. p. 265. sq., ad quam referendi Nummi *Hadriano*, *M. Aurelio*, *L. vero*, *Commodo*, *Julio Maximino*, *Gordiano*, & *Valeriano* scalpti apud Erizum p. 510, Occonem p. 425, Tristanum T. I. p. 500, & T. II. p. 209, Patinum p. 195, 238, & 497, Harduinum p. 126. sq., ac Whelerum Itin. p. 288; ut *Nysa* in Cappadocia S. Gregorii Episcopatu celebris. In *Ampe* Arabiae *Desertae* Urbe ad Tigrim posita *Milesiorum* Coloniam a *Dario*, Mileto capta, Susis abductam, fuisse collocatam tradunt Herodotus lib. 6. cap. 20, & Plinius lib. 6. cap. 28. Quo factum videtur, ut quae *Milesiis* usurpata pridem erat, & *Ampe* frequentata aliquando fuerit Epocha.

XLIX. In Decapoli Syriae, sive in Coelesyria etsi constituta *Canatha* legatur Josepho de Bello Jud. lib. 1. cap. 14, Plinio lib. 5. cap. 18, ac Ptolemaeo lib. 5. cap. 16, Arabiae tamen adcensita est dubio procul omni Stephano de Urb. p. 158, Hierocli in Synecdemo, sive Provinc. Notitia, Eusebio in Onom., S. Hieronymo in Loc. Hebr., in Concilio Chalcedonensi Act. 1, Gennadio Constantinopolit. in Synodica Juris Graeco-Rom. T. I. p. 189, aliisque. Cujus Urbis, antiquissimae utique, mentio Num. XXXII. ult. occurrit, ubi a *Nobacho* capta Urbs *Chanath*, tum in Ammorrhaeorum ditione, a quibus erepta fuerat Ammonitis in Montibus Galaad habitantibus, suo de nomine adpellata deinceps *Nobe* legitur: Vetus ei tamen inter Judaeos feram usque in aetatem mansit nomen, testibus Scriptoribus supracit. *Canathae* jam vero novam institutam deinde fuisse Aeram, eamque quidem anno U. C. 690, ante Christi natalem 64, evidens fit ex singulari *Domitiani* Nummo inscripto KANAΘ., cum nota PNZ. anni 157, qui est U. C. 847, Christi 94, *Domitiani* 14, e quo retroducti anni 157. in annum incidunt U. C. 690, ante Christum 64, apud Harduinum in Num. illust. p. 80, & Hist. Aug. p. 744, quique Aerae *Pompejanae* est annus 1. Ab eo nempe, quo Syriae pars Inferior, quae in Aegyptum vergit, Arabiamque, a *Pompejo* sub-

subacta fuit, coactaeque foedus inire cum Romanis Urbes pleraeque fuere, anno U. C. 690, ante Christi natalem 64, ab Autumno ideft anni istius novam, quae *Pompejana* dicta est, Aeram incipere, annosque deinceps in Nummis obsignare solemne Urbes habuere nonnullae, velut Antiochia ad Hippum, Seleucia in Cilicia, Dora, Gadara, Philadelphia, Gaza, Raphia, ac ita *Canatha* etiam in Arabia. Geminae aliae demum Urbes in Arabia novam ab *Autonomia* Aeram vicissim instituere visae sunt, videlicet *Singara*, & *Mocka*. Atque *Singarae* quidem cusos Nummos *Alexandri Severi*, *M. Aurelii*, *Gordiani*, & *Tranquillinae* Conjugis cum epigraphe ΚΟΛ. ΣΙΝΓΑΡΑ, aut ΑΥΡ. ΣΕΠΡ. ΣΙΝΓΑΡΑ *Colonia Singara*, aut *Aurelia Septimia Singara*, cumque figura *Deae* Turritum caput, atque velatum habentis, quae *Autonomiae*, ac Libertatis indubium est symbolum, e Cimelio Regis Gall. productos inspicere fas est apud Harduinum in Num. Popul. illust. p. 156, & Hist. Aug. p. 828.

L. Urbem, commercio hodie celebrem, *Mockam* quod nunc attinet, insignis ibi cusus *Antonino Pio* extat Nummus apud Patinum p. 230, & in Cimelio D. Foucaltii apud Harduinum p. 108; atque *Septimio Severo* alter inscriptus apud Vaillantium cum epigraphe utrobique ΜΟΚΑ ΙΕΡ. ΑΣΥΛ. ΑΥΤΟ. *ΜΟΚΑ Sacra*, *Inviolabilis*, sive *Asylo Sacrosancta*, *Autonoma*, sive *Libertate gaudens*. Negant porro Harduinus Num. illust. loc. cit., & in Chron. Vet. Test. p. 638, ac post ipsum Jobertus in Scient. Num. §. 23. edit. Ven. T. I. p. 332. sq. in Arabia *Petraea* Urbem hocce *Mockae* nomine vocatam, tituloque insignem extitisse unquam. Quin & Ptolemaeo dicam ideo scribere non verentur, quod lib. 5. cap. 17. *Mockam* in Arabia prope Esbunta posuerit; quin imo Urbem ultra Asiam Minorem, Syriam, atque Palaestinam ullam hisce gavisam aliquando insignibus inficias neuter ire dubitant. Quocirca vocem hancce ΜΟ. ΚΑ. in duas esse dividendam volunt, ut sit ΜΟ'νων ΚΑπιτωλέων *Eorum, qui soli Capitolienses*, a *Jove* nempe *Capitolino* ita denominati. Sed enim vapulat egregie uterque a D. Bimardo de la Bastie in Annot. 23. ad Jobertum in Scient. Num. T. II. p. 302. sqq., ubi observat

Hh 2 recte

recte a Ptolemaeo lib. 5. cap. 15. *Capitoliadem* ab *Aelia Capitolina*, ideſt ab *Jeroſolyma*, quacum illam uterque ille confudit, fuiſſe diſtinctam, utpote quae diſtincta fuerit etiam in Itiner. Antonini p.196, & 198, a Hierocle in Not. Provinc., ubi *Aelia Capitolina* in Provincia I. Palaeſtinae, *Capitolias* vero in Provincia II. ponitur Imper. Orient., ſive Antiq Conſtantinopolit. Par. I. Bandurii T. I. p.49. edit. Pariſ., Ven. Hiſt. Byzant. T. XXII. p.41, in Actis etiam Concilii Hieroſolymitani ſub *Petro* Patriarcha, & Concilii Chalcedonenſis, quibus ſubſcripſiſſe leguntur *Theodoſius*, & *Anianus* uterque *Capitoliadis* Epiſcopus. Ad haec in Nummis *Aeliae Capitolinae* Latinis omnibus *Coloniae* titulum abſque *Epocha*, in Nummis vero *Capitoliadis* omnibus Graecis *Epocham* ſemper, nunquam *Coloniae* titulum legi obſervat: ideoque tam a *Capitoliade*, quam ab *Aelia Capitolina* diſtinguendam fore *Mockam* recte infert: cui Urbi alioqui celebri, quominus *Autonomia*, una cum *Aſyli* jure, conlata fuerit, nihil ideo eſt ſane, quod prohibere potuerit. Jungendus Spanhemius in Orb. Rom. Exer. II. Antiq. Rom. Graevii T. XI. edit. Ven. p.134; quo loci Aethiopes, Axumitas, Iſmaelitas, & Arabes, Populos inter alios gentium ubique *Autonomia*, Libertateque donatos multis oſtendit: quod ex dictis Super. Volum. IV. Proleg. VI. §. 6. abunde patet, quin recoctam, velut ajunt, crambem obtrudere denuo nobis opus ſit: atque peculiaribus de hiſce praecipuarum Arabiae Urbium Epochis ſatis jam, atque ſuper. Poſtquam vero in Arabia *Moslemica* tam nefaria Religio longe, lateque propagata eſt, quam Tyrannica dominatio, pede defixo, rerum eſt potita, priſcis oblitteratis Epochis, abrogatiſque, adeo ut ne veterum memoria manſit, ſic a Moslemis putandis deinceps annis *Hegiram* Arabes mutuati perinde ſunt, ſicut ab his Anni, Menſiumque formam illi pridem hauſerant; ante quam varium annos numerandi Arabum morem viden, ut ex Alkodajo in Hiſt. adferat Vir doctiſſ., ejuſque rei peritiſſimus Pocockius in Specim. Hiſt. Arab. p.172. ſq.

DE

DE AERIS, SEU EPOCHIS

Turcorum, Indo-Turcorum, Taurifcorum, Scytho-Taurorum, Ibero-Scytharum, Getarum, Maffagetarum, Ghoulourorum, Turcomannorum, Iguritarum, Tartarorum, Tartaro-Mogulenfium, Indorum, Siamenfium &c.

ARTICULUS III.

I. **A**Tque de *Hegira*, ad putandos annos tam Arabibus, quam ufu Turcis frequentata, antequam fermo fiat, de *Turcarum* antiquitate, origineque, praeter ea, quae fufiori fuper. Volum. III. de Menf., & Annis Arabum, Moham.&c. Artic. I. §. xx. fqq. p.145. fqq. calamo tradita fuere, pauca modo, quoad ejus fieri poteft, fubtexere praeftat, ut major poftea dicendis lux affundatur. *Turcae* itaque, Gens Herodoto, Plinio, ac Melae antiquiffima, Hebraeis *Thogarmanni* dicti, quod *Thogariis* nomen probe congruit, quorum Urbs praecipua *Thogara* Ptolemaeo Geogr. lib.5. cap.9. in Scythia extra *Imaum* circa Cafios Montes; *Taugaft* Nicephoro, queis ideo *Turcae* Scythicae originis effe videntur; *Turca* Urbs in Perfide magna Chalcocondylae dicitur, qui *Turcas* idcirco Perficae, five Parthicae effe propaginis credidit; a Graecis *Tauri*, atque *Taurifci* promifcue nuncupati, e Monte *Caucafo*, ubi populofiffima, atque libera Gens ad Septentrionale latus inhabitabat, populabundi deinde plerafque in Mundi plagas fe fe effuderunt, omniaque rapinis, caedibus, flagitiis poftquam repleffent, nefariam per tyrannidem arripuerunt, ad feque rapuere. Qui ideo in Norico *Taurifci* denominati fubinde funt; in parva Scythia *Tauri*, atque *Tauro-Scythae*; in Sacarum Regione *Turcheftani* adpellati, *Tangri* quoque a voce *Tangri*, Turcice *Deum* fignificante; unde & *Tangrolipix* primus Gentis Dux, quo de infra, nomen haufiffe videtur; ii omnes, inquam, auctorem *Turk*, five *Turum*, *Cagano* rebellem agnofcunt, veluti referunt Nicephorus, ac Mir-

ckon-

ckondus apud Herbelotum Bibl. Orient. p. 897. sq., & Hornium de Origin. Gent. Americ. lib. 3. cap. 12. p. 183. sq. Qui postremus haud tamen audiendus, ubi *Derbices*, & *Sacas* genere Turcas agit: utrosque namque gente Scythas fuisse discimus ex Ptolemaeo lib. 6. cap. 13, Plinio lib. 6. cap. 17, Diodoro lib. 2. cap. 9. p. 59, ac Strabone lib. 11. p. 352. sqq.; queis Regis nomine praefuisse *Amorrhaeos* perhibet etiam Ctesias: quamvis & Scythico genere fuisse *Turcas* haud inficias eamus; multoque minor eidem Hornio fides adhibenda, ubi *Souriquos*, & *Iroquos* in America Septentrionali, *Tucurros* in Provincia Pasto, *Tucomannos*, in Magellanica *Tirimenes*, in Platana Regione *Surukusios* e Turcis derivasse non tam arguendo, quam divinando adfirmat. Inter Persas itaque, sive Parthos, atque Macedones, sive Syro-Macedones exardescentibus bellis, e numerosis hisce Barbaris ex Indo-Scythia, seu ex Indostania ultra fluvium Ghion, seu Oxum usque ad Sihon, seu Jaxartem fluvium alium in Sogdiana, Militares arcessiri mutuo Copiae solebant, qui Barbarice viventes nec invicem in unam adhuc coalescere Reipublicae formam quiverant, nec contra se invicem arma capessere, inque partem utramque inferre quiescebant. Quum itaque primo *Basilii Porphyrogeniti* tempore factum est, ut primus omnium *Tangrolipix Mucaletus* Cedreno, Zonarae &c. vocatus, sive *Thogrul-Beg-Ben-Mikail Ben-Selgiouk*, aut *Abou Thaleb Mohammedus Rokneddin*, velut adpellandum eum docet Herbelotus Bibl. Orient. p. 1027, qui primus in *Selgiucidarum* Dynastia Sultanus fuit, gentilium ingentem colligere sub se manum potuit, gravissimo cum *Muchumeto*, sive *Massoudo*, filio *Mahumedi* in Dynastia *Gaznevidarum* Sultani secundi in Chorazania imperantium, Persidis idest, Mediae, & Parthiae Sultano, anno *Hegirae* 429, Christi 1037. a die 14. Octobris ineunte, commisso praelio, ingentique adfecto isto clade, Imperium Populis illis ademptum in Populares suos, *Hamadani* defixa Regni sede, primum transtulit: quod Georgiae, Irachiaeque Persicae, atque Babyloniae deinde, sive Bagdadi, *Melko-Rahimo* postremo *Bovidarum*, sive *Dilemitarum* Dynastiae Bagdadi dominantium Sultano capto, accessione *Hegirae* an-

no

no 447, Christi 1055. a die 2. Aprilis amplificavit: quod imo, Graecis postremo subjugatis, in Minorem usque Asiam, hodie Natoliam, propagatum est. A *Scythis* vero aliis inter Pontum Euxinum, ac Mare Caspium incolis, *Turcos* ortos volunt alii, (in quibus *Constantinus* Porphyrogenitus *Sabartoeasphalos* antea dictos Turcas ait, Gentemque prope Chorazaniam olim circumfusam inhabitasse refert), ea ratione ducti, quod aeque Scythis, atque Turcis eamdem utrisque morum, victusque rationem agrestem admodum referentibus eadem paria essent in Commerciis, Foro, & Emporiis: ad quos accedens Tourneminius in Differt. 13. de Cyro Perf. Rege Adpend. Oper. Menochii T. II. p. 435. *Chorsaeos* eosdem promiscue dictos, *Arimaspos* &c., indeque profectos quoque Getas, Massagetas, Gholos, Mogholos, Usbekos, & Boutanes Thibeti Incolas autumat. Ita Scythas videlicet septenis vicibus a Tanai fluvio progressos Asiam Superiorem devastasse, Parthis eadem tempestate rerum summa potientibus, atque Persidis, Mediae, Assyriaeque Provincias obtinentibus; inde peragrata quoque Inferiore Asia, Phrygiam, Cariam, Lydiam, atque Cappadociam suo adjecisse imperio scribunt ex his nonnulli, quos inter Cedrenus in Compend. Hist. T. II, sive Par. II. p. 767. sq. edit. Paris., Ven. Byzant. T. VIII. p. 599. sq., Zonaras Annal. T. II. lib. 17. §. 25. p. 255. sqq. edit. Paris., Ven. Byzant. T. X. p. 200. sqq., Chalcocondylas de Rebus Turcicis lib. 1. p. 4. sqq. edit. Paris., Ven. Byzant. T. XVI. p. 3. sqq., Constantinus Porphyrogenitus de Admin. Imperio cap. 38. Imp. Orient., sive Antiq. Constantinopolit. Bandurii T. I. Byzant. T. XXII. p. 107. sqq. edit. Paris., Ven. p. 87. sqq.

II. Sicuti vero Asiae Superioris, atque Inferioris, Europaeque subinde partem haud modicam vi, armisque domitae laudem omnium primo *Tangrolipixi*, sive *Thogrulo-Bego* adscripsit Zonaras, sic de Asia Inferiori, deque Aegei Insulis Peloponneso, Euboea, Attica, Regionibusque Graeciae aliis, atque perinde, Hellesponto transmisso, de Thracia in Europa, aliisque Provinciis usque ad Danubium victorias retulisse, atque triumphos egisse *Duzalpes*, aliis *Judizalpes*, Dux *Oguziorum*, aliis *Agutiorum*, genere Scytha fertur Chalco-
con-

condylae loco cit., ubi subjungit e Ponto Euxino *Oguziorum* cum ingenti, validaque manu egressos septem Duces alios vi, armisque circumfusas undique occupasse Provincias, easque ita partitos inter se fuisse, ut *Caramano* Mediterranea Phrygiae Ciliciam usque, ac Philadelphiam obtigerit; *Sarchano* Maritimam Joniae Regionem, qua Smyrnam usque patet, *fors addixerit; *Calemo*, ejusdemque filio *Caraso* Lydia usque ad Mysiam occupata fuerit; *Amurae* filiis Paphlagonia cum iis, quae ad Euxinum Pontum vergunt, Provinciis obvenerit; *Cermiano* forse Caria tetigerit; *Othomano*, sic Chalcocondylae dicto, dicendo vero *Osmano*, uti vult Leunclavius in Pandecte Hist. Turcicae eodem Tomo p. 298, cognomento *Gazo*, filio *Ortugulis*, Turcis *Ertuculis*, qui amplificato posthinc longe, lateque imperio, Graecis undique profligatis, absorptisque reliquorum Provinciis, Imperator Turcarum primus audivit, atque primae *Othomanorum*, sive uti Leunclavio dicenda videtur, *Osmanidûm* Dynastiae apud Turcas adhuc dum obtinenti ortum dedit, *Osmano*, inquam, Bithynia una cum Regionibus, quae ad Olympum respiciunt, in partem cesserit: ubi *Prusa* Imperio Turcico prima sedes *Hegirae* anno 687, Christi 1288. a die 6. Febr. posita fuit, quae postea ab *Amurathe* I. *Hadrianopolim* translata, *Constantinopoli* demum eo, quo Urbs capta est, anno Christi 1453, *Hegirae* 857. die 29. Maji a *Mohammete* II. constituta est. Juxta haec itaque Scythae origine sunt *Turcae*; sed Scythia siquidem a Bosphoro Cimmerio, Maeotide Palude, & Tanai fluvio incipiens, atque inter Oceanum Septentrionalem, ac Pontum Euxinum, Mare Hyrcanum, Jaxartem fluvium, & Indicos Montes exporrecta, in extremum Orientem ad Seres usque, sive per illos etiam procurrat, inde factum puto, ut a Scythis, qua magis versus Septentrionem, & Occasum inhabitant, alii, aliique a Scythis magis, qua versus Ortum, atque Meridiem vergunt, *Turcarum* originem repetendam duxerint. Quorum hac utique facile alioqui componi ratione discordia videtur, si distinguantur *Turcae*, ut alii Orientales, seu Indo-Scythae, sive Scythae ad *Indum* fluvium, qui subinde *Turchestani* denominati sunt, quibus de infra; alii Occidentales *Turcae* fuerint, seu Ibero-Scy-

Scythae, aut Scythae ad *Imaum* Montem, quo citerior India a Scythia proprie disterminatur, indeque longissimo Jugo in Septentrionem procurrente Scythiae pars, quae extra Jugum est, dirimitur ab altera, quae intra illud extat; qui proprie *Turcae* sunt, queis de modo nobis est sermo, quibusque primum imperasse ex *Oguziis* genere ducto *Osmanum*, suoque de nomine inde *Osmanidum* nuncupatae *Sultanorum* inter Turcas primae Dynastiae locum ab eodem *Osmano* factum modo dicebam.

III. Antequam tamen ad hanc *Moslemicam* ceteris cunctis illustriorem Dynastiam illustrandam nostra se accingat oratio, dicendi ordo postulat, ut Moslemorum antiquiores, quae longo hanc intervallo praecessere, *Kalipharum* Dynastias paucis, quoad ejus fieri potest, attingam, perstringamque. Quinque igitur a *Mohammedo*, ac deinceps inter Turcas *Kalipharum*, qui rerum in Assyria, Chaldaea, seu Iracha Babylonica, in Arabia, Aegypto, Africa, & Asia Inferiori undequaque potiti sunt, Dynastiae recenseri vulgo solent, *Haschemitarum*, *Ommiadarum*, *Abbassidarum*, *Phatemidarum*, & *Jobidarum*: quas binae deinde *Mamelukorum* excepere Dynastiae, hisque fine demum imposito, ad Turcas denuo imperii summa rediit. Atque prima quidem, *Haschemitarum* dicta, cepit ab ipso insigni Impostore *Mahommete*, sive *Mohammedo*, cognomento *Abulcasemo*, Popularibus *Al-Nabi*, idest *Propheta* cognominato, filio *Abdallae*, qui decimus fuit filiorum *Abdalmotalebi*, cujus a Patre *Haschemo* huicce Dynastiae *Haschemitarum* nomen adhaesit: qui *Mohammedus* Meckae e Tribu *Choraisitica* ex *Ismaele* per *Adnanum* derivata, natus feria 2, *Rabbii* prioris die 12, anno *Elephantis* 1, idest Aerae Christianae 570, die 5, Maji, dominari Medinae cepit anno ipso *Hegirae* 1, Fugae hoc est ab Urbe Mecka ad Medinam feria 5, die 1. *Moharrami*, quae fuit dies 15. *Thamuz*, 21. *Epiphi*, sive 16. Julii, aetatis anno 53. cum Mensibus 2, ac diebus 8, Alexandri M. 933, Christianae Aerae 622; atque mortem oppetiit annos post 9, Menses 11, dies 22, aetatis anno 6, , Christi 631. a die 9. Aprilis incipiente, die 18. Junii, sive *Rabbii* prioris Mensis 3. Arabum die 12, *Hegirae* anno 10,

juxta Abilfedam II: qua de re plura idem Abilfeda in Annal. Moslem. edit. Lipf. Reiskii p.19. fqq., & 55. fq., Petrus Ben-Rahebus Jacobita Auctor Chron. Orient. edit. Ecchellenfis, & Affemani p. 40. fq., Eutychius in Annal., Abulfaragius in Dynaft., Elmacinus in Hift. Sarac., Mirckondus in Hift. Arab., Novairius in Arab. Hift. Par. XIV, aliique plures apud Herbelotum in Bibl. Orient. p.598. fqq. Quo fane loci non audiendus Dominus de Brequigny in *Memoire* Academiae Infcrip. &c. Parif. exhibita, relataque Bernenfibus Excerptoribus Europae Litter. Anni 1760. T. III. p. 239, ubi nedum *Mohammedum* genus ab *Ifmaele* recta duxiffe praefidenter adfirmat, fed ejus imo e progenitoribus Meckae fuiffe Reges, atque Pontifices, quod cum Hiftoria pugnat, haud rite confirmat; quin imo eò *Mohammedum* animo intendiffe temere fuadere conatur, non ut Novam procuderet, fed ut Veterem Patriarcharum Religionem reftitueret: tam id namque *Mohammedo* alienum fuit, quam Veterum Patriarcharum Religio ab *Alcorano* immaniter difcrepat. *Mohammedum* excepit *Abubecrus*, cognomento *Af-fadiq*, ideft *Juftus*, qui primus omnium *Alcoranum* collegit, Syriaeque cepit partem; atque Kaliphatum primus Meckae, ac Medinae injvit. Hunc autem poft annos 2, ac Menfes tres excepit *Omarus*, a quo Syria, Chaldaea, Mefopotamia, Perfis, & Aegyptus occupatae fuere, referentibus Abilfeda p.66. fqq., Ben-Rahebo in Chron. Orient. p. 41, Mirckondo, Ben-Schunah, Houffaino Vaës, aliifque apud Herbelotum Bibl. Orient. p.687. fqq. *Hegirae* anno 23, Chrifti 643. a die 19. Novemb., *Omaro* interfecto fuffectus eft *Othmanus* filius *Affani*, fub quo Chorazania in Afia, Oraque Africae a Tripoli ad fretum ufque Sebtha, infuper Cyprus, aliaeque Infulae Arcipelagi Islemorum fubire jugum coactae funt; quove poft annos 11. occifo, Kaliphatum *Ali* Mohammedi gener obtinuit, ejufque fedem *Hegirae* anno 35, Chrifti 655. a die 11. Julii, *Kuphae* defixit. Eo poft annos 4, ac Menfes 9, *Hegirae* anno 40, Chrifti 660. a Maji die 17. incipiente, interfecto, ejus in locum fubingreffus eft *Haffanus* filius, qui tamen poft Menfes 6. Kaliphatu fe abdicavit, cum ipfoque *Hafchemitarum* Dynaftia Kaliphatus dignitate privata eft, ifto in

Moa-

Moaviam translato *Hegirae* anno 41, Christi 661. a die 7. Maji. Ex *Hassano* tamen, & *Housanno* duobus *Ali* filiis duae stirpes derivarunt, quarum una ex *Hassino* ortum ducens, duos in ramos dissecta in Arabia constitit, atque in Urbibus *Mecka*, quae *Mohammeto* natalem dedit, ac Medina, quae *Mahommeti* sarcophagum possidet, Principatum obtinuit. Altera, quae ex *Housanno* originem agnoscit, in Africam Colonia ducta, Principatum ibi constituit. E duobus jam vero Kaliphis istis *Othomano*, & *Ali* duo celebratissimae prodiere Moslemorum Sectae, odio inter se se plusquam vatiniano usque ad internecionem desaevientes, ita ut Moslemi se se mutuo *Sonnitas*, idest *Fideles* nuncupent, *Schjitas* vero, *Infideles* hoc est, alterius Sectae homines adpellare non desinant: e quibus *Ali* Secta in Perside, & India, *Othomani* in Africa, & Graecia obtinet. Discordiae porrò istius Persas inter se ac Turcas duo in caussa fuere, cum *Mohammedi* successio, tum *Alcorani* interpretatio. Persae namque se descendisse gloriantur ex *Ali*, undecimque *Imannis* ejusdem successoribus, videlicet *Hassano*, *Housano*, *Ali II*, *Mohammedo Bekero*, *Jaffero*, *Mousa*, *Ali III*, *Mohammedo Abstemio*, *Ali IV*, *Hassano II*, & *Mohammedo Mekdi*, quem a Deo raptum servari ad Mundi finem, Gentes ad *Mohammedi* Religionem adducturum jactant. Non alteram vero Perso-Turcae se *Alcorani* explicationem suscipere profitentur, nisi eam, quam *Ali*, ejusque succesoribus Imannis acceptam referunt. Ex adverso Turcae Europaei se *Abubecro*, *Omaro*, ac *Othomano* successisse gloriantur; nec alterum, quam quod ex *Mohammedi* scriptis primo conflavit *Abubecrus*, postmodum *Othomanus* emendavit non tam, quam eo abrogato, alterum simile consarcinavit, *Alcorani* exemplar recipere patiuntur.

IV. Quamquam, ut optime observat Relandus de Relig. Moham. lib.2. cap.1. §. 2. p. 138. sqq., licet Persae, ac Turcae infensissimo se se prosequantur odio, Persarum opinione tamen Turcae quoque in sua Secta salutem consequuntur. *Mohammedus* equidem apud Maraccium in Prooem. ad Prodromum Refut. Alcor. p. 2. Sectas 73, in quas dividendos suos dixit, unam dumtaxat futuram adfirmavit, quae Salutem consequa-

Ii 2 tur.

tur. Ast vero auctor Schafaeus, ideſt Perſa in Compendio Theolog. Moham. apud Relandum quatuor alias, praeter 73. illas, Sectas partitus eſt, 1. *Hanifaeorum*, 2. *Schafaeorum*, 3. *Malikaeorum*, 4. *Hambelitarum*, in quarum unaquaque Salutem adipiſci docet. Turcae porro *Hanifaeae* ſectae ſunt, Perſae *Schafaeae*; iſtiuſque *Schjitae* omnes, ideſt Indi in Regno Golcondae, Oraque Coromandelica; illiuſque *Sonnitae* omnes, hoc eſt Tartari, Arabes, Afri, Indique in Regno Mogolis. Hottingero porro Hiſt. Orient. lib.2. cap. 6. quatuor haſce Sectas velut Haereticas inter ſe opponi perſuaſum fuit. Aſt falli eum oppido demonſtravit Abraham Ecchellenſis de Origin. Nom. Papae cap.27. §. 2. p. 293. ſqq., tum ex Iſmaele Sciahinſciah in Hiſt. Gent., tum ex Gregorio Barhebraeo in Chron. lib.9, ubi quatuor haſce non tam Sectas in Religionis principiis, ac fundamentis diverſas adſtruit, quam Scholas in principiis iiſdem exponendis, Ritibus, aliiſque adiaphoris explicandis ab ſe diſcordes; atque Sectae quidem *Malikaeorum* ortum feciſſe, nomenque *Malechum* filium *Anesi* refert; *Scafaeorum* Sectae *Mohammedum* filium *Adrisi*; Sectae *Hambelitarum Ahmedum* filium *Hambali*; Sectae *Hanifaeorum* denique *Alnahmanum* filium *Thabeti*. Plures jam vero, quam LXXIII. ex Mohammedi falſo Vaticinio futuras referunt Iſmael Sciahinſciah Hiſt. Gent. T.I. cap. de Populis Moslemannis, & apud ipſum Sciahreſtanus in Libro de Veris Relig., & Phantaſticis, inter Mohammedanos exortas fuiſſe Sectas, ac ex his 114. dinumeraſſe ſe teſtatur Abraham Ecchellenſis de Orig. Nom. Papae cap.29. p.386. ſqq., ubi praecipuas ex Barhebraeo in Chron., ex ipſiſque prognatas alias longe plures enumerat. Quarum I.ª Secta dicta eſt *Mohtazlitarum*, e qua Sectae aliae XII. ſubortae ſunt. II.ª *Algiabrijah*, cujuſce Sectatores alii *Alchalasah*, ideſt *Pari*, aliique *Almotuasata*, hoc eſt *Intermedii* vocantur, unde Sectae III. aliae prodiere. III.ª *Alsafatijah* primae e diametro oppoſita, quae aliis IV. ortum fecit. IV.ª *Alchavaregi*, ideſt Schiſmaticorum, unde Sectae XXIX. diverſae prognatae in diverſas Mohammedanos opiniones ſcindunt. V.ª *Almorgiah*, quae & ipſa Sectis VII. aliis viam ſtravit. VI.ª *Alscibijah*, quae Perſarum eſt propria, Summumque Sacer-

cerdotium solis *Ali* posteris adserit, & Sectae IV, quae Turcarum est propria, qui a Summi Pontificis apud se obedientia defecerunt, adversatur; unde diversae Sectae V. aliae subnatae sunt, quarum ultima rursus in Sectas alias X. dispertita est, harumque postrema alias VII. peperit de Sacerdotii Jure qua Persis, qua Turcis adscribendo pugnantes omnes. VII.ª *Algalatho*, VIII.ª *Alsabaijah*, IX.ª *Alkamlijah*, X.ª *Albalbanijah*, XI.ª *Albainijah*, XII.ª *Almjamijah*, XIII.ª *Algarabijah*, XIV.ª *Almotualijah*, XV.ª *Almogaijah*, quae Persarum omnes in *Ali* posteris Sacerdotii Jura divina depraedicant. XVI.ª *Almansurijah*, XVII.ª *Alchotabijah*, XVIII.ª *Almosaighijah*, XIX.ª *Albagelijah*, XX.ª *Almosdhalijah*, XXI.ª *Alchialijah*, XXII.ª *Albasciamijah*, XXIII.ª *Algiualikijah*, XXIV.ª *Alzararijah*, XXV.ª *Alnahmanijah*, XXVI.ª *Aliunasijah*, XXVII.ª *Alnosairijah*, XXVIII.ª *Albatenijah*, XXIX.ª *Aldharijah*, XXX.ª *Alznadakah*, queis de fuse Ecchellensis; quocum conferendus Illust. Praesul Stephanus Evodius Assemanus in Catalogo Cod. MSS. Bibl. Medicae p.252. sqq., ubi ex Ismaele Sciahinschiahio Hist. Gent. T.I. Cap. de Commemor. Populi Moslem., & Sciahrestano Libro de Veris, & Phantasticis Relig., veteres Moslemos in Sectas 117. divisos; hodie vero praeter *Sonniticam*, & *Scibiticam*, sive *Raphediticam*, Sectas 15. alias inter Moslemos obtinere ostendit. Post *Alcoranum* porro summa apud Mohammedanos auctoritate habetur *Sonna*, Liber idest *Traditionum*, quae in Alcorano non memorantur, sed a *Mohammedo* ore traditae, exceptaeque creduntur, uti scribunt Ebno l' Athir, & Ebno l'Kassajus. Primus harum *Traditionum* Collector fuit *Zobarius*, qui eas Chartae mandare incepit *Hegirae* anno 24, ac post ipsum anno *Hegirae* 224. omnes simul collectas *Traditiones* ad eam usque diem jactatas *Albocharius* vulgavit: queis de Compilationibus plura disputat Mohammedus BenAbdalla Akonlaeus in Cod. MS. Bibl. Leidensis; *Sonnae* vero totius Commata enumerata videre licet ab Hottingero in Bibl. Orient. p. 163. sqq., videndique Gagnier in Not. ad Abilfedam in Annal. Moslem. p.33, ac David Millius dissert. 10. de Mohammed. §.38. p.368. sq.: quam vero in pretio *Sonnam* habent Moslemi, Tartari item,

item, Arabes, ac Indi in Mogulis imperio, tam illum parvi pendunt Persae, dirisque devovent.

V. Secunda Islemorum Dynastia, *Ommiadarum* dicta, cepit in *Moavia*, qui ab *Ommiah*, unde Dynastiae huic nomen adhaesit, celebri apud Arabes Viro, suo Abavo scilicet, ortum duxit, *Hegirae* anno 41, Christi 661; qui *Moavia* Syriae olim praefectus, locoque *Ali* postinde Kalipha a Syris, & ab Aegyptiis inauguratus, postremo ab Arabibus quoque, Babyloniisque agnitus est; sub quove Armenia, & Natolia, seu Asia Minore armis conquisita, Moslemorum Imperium mire amplificatum est. Quatuordecim ex hac Dynastia Kaliphae a *Moavia* usque ad *Meruanum*, a *Saleko* interfectum, per annos 90. ab *Hegirae* anno 41, Christi 661, usque ad *Hegirae* annum 132, Christi 749. ab Augusti die 20, in Assyria, Aegypto, & Africa rerum potiti feruntur: queis de *Ommiadis* Abilfeda in Annal. Moslem. p. 83. sqq., 97. sqq., 101. sqq., & 138. sq., Ben-Rahebus in Chron. Orient. p. 43. sqq., Arabesque Scriptores alii Herbeloto relati Bibl. Orient. p. 586. sq., ac 691. sq., ac De Guignesio Hist. gen. Hun. T. I. Par. I. lib. 6. p. 325. sq. Tertia *Abbassidarum* Dynastia ab *Abbaso*, uno ex decem filiis *Abdalmotalebi* filii *Haschemi*, sive uno ex decem Fratribus *Abdallae* patris *Mohammedi*, denominata est, cepitque in *Abdalla Sacphacho* ex posteris *Abbasi*, qui, postquam *Ommiadum* familiam ad Viros usque octoginta ferro delevisset, *Kuphae* tum Kaliphatum *Hegirae* anno 132, Christi 749. auspicatus est. Cujus a successore *Abdalla Abugiaphar*o Bagdado deinde constructa, hanc in Urbem *Hegirae* anno 145, Christi 762. a die 1. Aprilis Kaliphatus sedes e Kupha translata est. Atque in Dynastia isthac duravit utique Kaliphatus annis 523. Arabicis, sive Lunaribus Mensium 2, ac dierum 23, in Kaliphis 37, ab *Hegirae* anno 132, Christi 749. usque ad annum *Hegirae* 656, Christi 1258. a Jan. die 8, ab *Abdalla Socphacho* idest usque ad *Abdallam Mostasenum*: sub quo ab *Hulacho Chano*, sive *Holagu* Mogulensium, ac Tartarorum Imperatore *Hegirae* anno 656, Christi 1258. *Moharrami* die 18. Bagdadum Urbs obsessa, *Saphari* die 12, die Lunae 12, *Mechiri* die 3, anno *Martyrum* 974, ut habet Ben-Rahebus in Chron.

Orient.

Orient. p 57, sive anno *Graecorum* 1569. Fer. 2, die 4. Februarii, 28. *Moharrami*, ut habet Amrus apud Assemanum Bibl. Orient. T. II. p. 455, & T. IV. p. 102, sive die Sabbathi, Mensis 1. die 28, ut habet Abulfaragius in utroque Chronico Arab., & Syro apud eumdem Assemanum T. IV. p. 102, capta est, finisque Dynastiae *Abbassidarum* impositus: qua de conferendi, scilicet, Petrus Ben-Rahebus in Chron. Orient. cit. p. 47. sqq., Abilfeda in Annal. Moslem. p. 138. sqq., & 147. sqq., Rabi Alackar, Khondemirus, Mirckondus, Auctor *Tarikh Al-Abbas*, idest Chronici *Abbassidarum*, & Auctores Persae *Bina-Kiti*, de Constructione Mundi, ac *Thecat-Raouat*, Historiae fidelis, aliique apud Herbelotum in Bibl. Orient. p. 4. sq., 730. sq., 689. sq., & 632. sq., ac De Guignesium Hist. gen. Hun. Par. I. T. I. lib. 6. p. 327. sqq. Ex hacce tamen in Assyria extincta, altera in Aegypto, ullo tamen absque imperio, sed uno *Kaliphae* titulo contenta, exsurrexit *Abbassidarum* Dynastia. Capta nempe Bagdado, interfectoque *Mostasemo*, e Tartaris elapsus *Ahmedus* genere Abbasida, ac primo in Arabiam, postinde in Aegyptum profugus Hegirae anno 659, Aerae Christianae 1261, Kaliphae titulum adsumere ultro citroque ab Aegypti Sultano permissus est. In eadem itaque Dynastia *Ahmedum* excepere Kaliphae alii *Abbassidae* XIX. usque ad Hegirae annum 945, Christi 1538, quo a Turcis Kalipharum in Aegypto Dynastia extincta est: qua de conferendus De Guignesius Hist. gen. Hun. T. I. lib. 6. p. 331. sqq.

VI. Itaque *Abbasidarum*, uti dicebam, in Assyria extincta Dynastia, in Africa, & Aegypto, ubi ab *Abbasidis* Hegirae anno 292, Aerae Christianae 905. *Thoulonidarum* Hegirae anno 270, Christi 884. ab *Ahmedo* filio *Thoulonis* fundata Dynastia abolita jam fuerat, *Aglabitarum* Dynastiae, quae ab *Ibrahimo* filio *Aglabi*, unde nomen tulit, Hegirae anno 184, Aerae Christianae 800. post annos 108. fine imposito, altera *Phatemidarum*, quibus altera perinde in Aegypto *Ikhscibditarum* Hegirae anno 334, Christi 946. fundata ab *Ikhscibdito* Dynastia, annos post 22. exterminata fuit, Hegirae anno 357. nempe, Christianae Aerae 968, *Phatemidarum*, inquam, exsurrexit Dynastia, nomine derivato, non utique a *Pha-*

a *Phateme*, uti quibusdam est visum, quae Libyae Regio est, sed a *Phate*, sive *Phatemia*, sive *Phatima* filia *Mohammedi*, Uxoreque *Ali*, unde *Alidarum* etiam Dynastia nuncupata saepius est. Sicuti vero *Abbassidae* Kaliphae cognominati sunt omnes *Billae*, aut *Lillae*, idest *Dei jussu* regnantes, sic *Phatemidae*, proprium quisque praeter nomen, *Ledivillae* cognomen, idest *in Dei fide*, adsumpisse leguntur. Incepit haec itaque Dynastia in Africa *Hegirae* anno 296, Christianae Aerae 908. a die 30. Septemb. ineunte in *Abdalla Mohadio*, a quo Kaliphatus sedes *Hegirae* anno 298, Christi 910. a Septemb. die 9. *Salgiamasae* in Provincia Cyrenensi defixa est, ubi *Emir-Al-Munemim*, hoc est *Imperator Fidelium* fer. 2. *Dilhegae* die 7. inauguratus est. Qui hunc quartus excepit, *Maadus Moezzus* anno 358. *Hegirae*, Christi a die 25. Novemb. 968. Aegypto occupata, extinctoque ibidem *Abbassidarum*, cujus reliquiae illò confugerant, cum stirpe nomine, atque *Cairo*, Urbe deinde celebratissima, aedificata, Kaliphatus ibi sedem erexit. Qui vero postinde octavus imperavit Kalipha *Maadus Mostanserus* anno *Hegirae* 427, Christi 1036. a die 5. Novembris initio ducto, Bagdado capta, ejusque Kalipha *Mothi* vinculis constricto, atque sublatis ibidem *Abbassidarum* reliquiis, Imperator proclamatus est. Quae *Phatemidarum* Dynastia, postquam *Cairi* duratset in Kaliphis XIV. per annos 272. Arabicos a *Mohadio* usque ad *Adhedum*, ab *Hegirae* anno 296, Christi 908. usque ad *Hegirae* annum 567, Christianae Aerae 1171. a die 4. Septemb., eodem finem accepit anno, quo cum Kaliphatu Bagdadi, ad *Saladinum* Aegypti quoque Regnum translatum est: qua de Dynastia fusius Ben-Rahebus in Chron. Orient. p. 58. sqq., Constantinus Porphyrog. de Adm. Imp. cap. 15. Antiq. Constantinopolit. Bandurii T. I. Par. II. p. 68. sq. edit. Paris., Ven. p. 57, Abilfeda in Annal. Moslem. p. 228. sqq., Ben-Schonah, Dahebi, Abdalla Al-Basri, Abubecrus Al-Balani, Sojouthi in Praefat. Tarikh Al-Kolapha, sive Historia Kalipharum, Khondemirus, aliique apud Herbelotum in Bibl. Orient. p. 60. sq., & 342. sqq., ac DeGuignesium Hist. gen. Hun. T. I. p. 365. sqq. Inde itaque quinta *Jobidarum* incepit Dynastia a *Jobo* patre denominata, cujus

cujus filius *Joseph Naserus Saladinus*, qua ipsa die *Adbedus* postremus *Phatemidarum* Kalipha obiit, *Moharrami* 10, Aegypti Regnum obtinuit *Hegirae* anno 567, Christianae Aerae 1171. a die 4. Septemb. ineunte; eodemque anno *Ali* doctrina abrogata, *Othomani* dogmata observanda deinceps jussit. [illegible] longe [illegible] lateque adquisitis, atque Victoriis contra [illegible] *girae* anno 570. Hierapoli potitus; anno 572. [illegible] evasit *Saladinus*: qui *He*[illegible] da excitatis; anno 573. Francis ingenti adfectis [illegible]anea[illegible] lone suam transducta in potestatem; anno 577. Arabia *Felice* subjugata; anno 579. Aleppo, Scythopoli, Tiberiade, Edessa, Callinico, Nisibi, Singara, Amida superatis; anno 581. Majapharchino subacta, alteroque Francis praelio fusis, atque captis *Guidone* Rege, ejusque fratre *Gofredo*, Accone, Magdalo, Caipha, Joppe, Nazareth, Sephoria, Caesarea, Neapoli, Berytho, Sidone, Torono, Byblo expugnatis; anno 583. Jerosolyma, Hunino, Antarado, Gabala, Laodicaea, aliisque in Palaestina occupatis Urbibus; anno demum 589, Christi 1193, Damasci finem vivendi fecit. Ex *Saladini* posteris Kaliphatum in Africa, Aegypto, & Assyria obtinere perrexerunt alii X. usque ad *Hegirae* annum 652, Christi 1254. a die 21. Februarii, quo *Jobidarum* postremus Kalipha *Malekus El-Aschraf* regno pulsus est, ipsiusque locum *Ibegus Moezzedinus* genere Mameluchus, atque Dynastiae *Baharitarum* fundator occupavit.

VII. Atque sexta isthaec *Baharitarum* Dynastia in Aegypto, ac Syria in Kaliphis XXVIII. ab Hegirae anno 652, Aerae Christianae 1254. usque ad annum Hegirae 784, Christi 1382. obtinuit, quo a *Barkoko Abousaido* genere quoque Mameluko ea Dynastia extincta, altera VII. *Circassensium* fundata est. Quae ipsa Kaliphas XXVIII. usque ad Hegirae annum 923. Christianae Aerae 1517. a Januarii die 24. initum habuit: quo anno a *Selimo* Turcarum Imperatore Aegypti Regnum in Turcas translatum est. Quo tamen anno vita functus est *Saladinus*, anno Hegirae 589, Christi 1193, partito ipsius inter filios imperio, novae fundatae Dynastiae in Syria fuere,

 veluti

veluti Aleppi a *Gajatheddino*, quae anno post Hegirae 659, Aerae Christianae 1260. ab *Houlagou* filio *Gingbischani* Mogulensium Khano exterminata est; veluti Damasci a *Noureddino*, quae in Regibus VIII. duravit usque ad Hegirae annum 643, Christi 1245, quo a *Malecho Al-Nasero* Aleppi Rege III. eversa est, subindeque ad Mogulenses etiam Damascus transiit; velut Hamae a *Mansoro* destr... Christi 1263. ab ...rae anno 732, Aerae Christ...terminata est; veluti Khelath a *sereddin*..., anno deinde Hegirae 630, Christi 1232. a *Selgiucidis* Iconii deleta; veluti Miafarakini a *Schehabeddino*, a Mogulis perinde Hegirae anno 658, Christianae Aerae 1259. abolita; velut in Jemen, Arabia Felice idest, a *Tourano* Saladini fratre Hegirae anno 569, Christi 1173. fundata, *Abbassidis* loco pulsis, cui, postquam in Regibus v. durasset, finem demum fecit Hegirae anno 637, Aerae Christianae 1239. *Noureddinus Omarus* genere Turcomannus, qua de Dynastia infra. Missas facio Dynastias minoris alias momenti, a quibus velut in partes Kalipharum discerptum vice plus simplici Imperium est; adeundi de his interea Petrus Ben-Rahebus in Chron. Orient. p.66. sqq., Khondemirus, Abulfaragius, Omad Al Kateb, Ben-Schunah, Abd-Alharetus, Ebn-Al-Athir, Joseph Ben-Tangri Virdi, sive Tangribardi, Abdalla Al-Demeschkhi, Arabesque Scriptores alii in vita Saladini, & Nuradini Herbeloto recensiti Bibl. Orient. p.742. sqq., De Guignesio Hist. gen. Hun. T.I. Par. I. lib. 6. p. 333. sqq., & Cl. Stephan. Evod. Assemano in Catalogo Cod. Mss. Bibl. Medic. p.221. sqq.

VIII. Ab his Ibero-Scytharum, sive Turcarum in Africa, Aegypto potissime, dominantium Dynastiis gradus modo faciundus ad Indo-Scytharum, sive Turchestanorum in Asia imperantium Dynastias, antequam nempe ad Turcanorum *Osmanidum*, longe, lateque in Asia, Europa, & Africa transfusis in se antiquis fere Dynastiis omnibus, hodiedum dominantium Dynastiam nostra se reflectat oratio, unde ex his lux haud levis de *Hegira*, aliisque Turcarum, Turchestanorum, Tur-

Turcomannorum, Tartarorum &c. deinceps Aeris dicendis adfulgeat. A *Turko* porro, unde plurale *Atrak*, quo *Turcae* Arabibus denominari solent, qui *Japheti* filius primogenitus falso, perperamque fertur apud Mohammedum Khavendschal, vulgo Mirckondum in libro *Raoudhat Alsapha*, idest *Horto Delitiarum*, Aboulgazium Bahadur Hist. gener. Tartar., & apud Khondemirum in libro *Khilaffat Alakhbar*, hoc est *Epitome Historiae* memoratos Herbeloto Bibl. Orient. p.897, ac De Guignesio Hist. gen. Hun. Par. II. T.I. p.4. sqq., a *Turko*, inquam, Turchestanorum omnium primo Imperium fundatum praecit. apud Scriptores fertur, eoque ferme tempore, quo in Iracha Persica ab altero *Japheti* filio quinto *Keimako*, sive *Kajumaratho*, (qui Scriptoribus aliis *Sethi* frater, aliisque *Mahalaelis* filius sit, quo de Herbelotus p.243. sq.), Persico factum Imperio exordium fuit. E *Turki* posteris quatuor primum conflatas fuisse Tribus perhibent, quae postea ab *Ogouzkano* in tribus vigintiquatuor, istaeque postremo duas in alas *Dexteram*, atque *Laevam*, Mogulis, ac Tartaris *Givangar*, & *Berangar* dictas, fuerint dispertitae; indeque suam *Tartaros*, ac *Mogulos* originem sortitos esse: ita Triumviri illi fluxam alioqui valdequam fidem, sublestamque gerentes. *Turko* nempe filii quinque fuisse *Ilmiugeh*, *Toutek*, *Genghel*, *Basegia*, & *Ilak* feruntur, (Aboulghazio *Tounack*, *Zakale*, *Berzazar*, *Amlak*, & *Ghaz* denominati); ex *Ilmiugeh* prognatus *Ilingeh*, ex istoque filii duo progeniti *Tatar*, & *Mogul* originem, nomenque *Tataris*, & *Mogulis* fecisse. *Tatarorum* jam vero in prima ista Dynastia sequentes Mirckondo Reges octo memorantur apud Herbelotum in Bibl. Orient. p.875. nempe *Ilingeh*, *Tatar*, *Bouka*, *Bilingeh*, *Issali*, *Aksar*, *Ordou*, *Sounig*, sive *Sidigh*, (quibus *Baidou* filium *Ordou* Herbeloto praeteritum ex Aboulgazio De Guignesius p.7. adjungit); cum quo finem haec Dynastia habuit. In *Mogulorum* vero Dynastia prima novem Reges eidem recensentur *Mogol*, *Karak*, *Ogouz*, *Ghun*, *Aik*, *Ilduz*, *Menghel*, *Thonghur*, & *Il*, qui postremus a *Tour* filio *Pheridouni* Persarum Regis in prima Dynastia *Pischdadiensium* septimi a *Giamscide* prognati, a *Tour*, inquam, Tartariae Orientalis, & Cathajae, idest

Kk 2 Tran-

Transoxanae Regionis, sive Provinciarum ultra Gihonem, seu Oxum Rege, unde suo de *Tour* nomine dicta ea Regio universa *Tourania* est, deindeque *Turchestania*, devictus *Il*, inquam, primae *Mogulorum* Dynastiae finem regnandi fecit: qua de re Auctores Leb-Tarikh, & Tarikh Cozideh, Khondemirus, Ben-Schohnah, Hafes in Bahariftan, Saadi, Mirkondus, aliique Persae Scriptores, Arabesque apud Herbelotum Bibl. Orient. p.347. sq., & 597. sq. Ex *Ogouz* tamen posteris *Hian*, & *Tegouz*, (De Guignesio Hist. gen. Hun T.I. Par.I. lib.5. p.274. *Kajano*, & *Nago* dictis), prognati *Kiat*, & *Derlighin* Mogulorum imperium paullo deinde post restituisse feruntur: quod maximum perinde in splendorem a *Gingbischano* Arabibus, *Cinghiskano* Persis, *Cangio* Latinis, *Rege Regum*, ut notat etiam Renaudotius in Hist. Patriarch. Alexand. p.597, ita cognominato *Tamugino*, origine Mogulo, e stirpe *Ogouz*, sive *Ilis* per *Kiat*, sive *Kiam* descendente, restitutum, & erectum est: quo de *Gingbiscano* memoriae proditum est a Gregorio Bar-Hebraeo, vulgo Abulfaragio in Chron.Syro, & ab Haythono libro de Tartaris capp.2, & 16. illum, ut Mogulenses, Tartarique litterarum hactenus ignari prorsus litteris ab *Iguritis*, Gente idest Cathajae, sive Borealis Sinae, edocerentur, a quibus Idololatria etiam imbutos illos tradunt, egregie, obnixeque curasse. Itaque ab *Hegirae* anno 600, Christianae Aerae 1203. a die 10. Septemb. initio ducto usque ad annum *Hegirae* 615, Christi 1218. a Martii die 30. *Tamuginus*, sive *Gingbiscanus* Mogulis, ac Tartaris subjugatis Tribubus omnibus, Cathajae *Nigrae*, sive Cara-Cathajae Regno, *Kuslecko* Rege devicto, potitus; Transoxana Regione prorsus omni, profligato *Mohammedo Kovarezmo* Schako, in potestatem transducta; ab *Hegirae* anno 617, Christi 1220. a die 8. Martii Chorazania, & Chovarezmia a Gihone, seu Oxo fluvio usque ad Mare Caspium occupata, *Solimano* Schako in fugam propulso; Perside quoque, *Gelaleddino* Rege debellato, pervastata, anno demum *Hegirae* 624, Christi 1226. a Januar. die 2. incipiente, hominem exuit, diviso ante obitum quatuor inter filios Imperio; adeo ut *Octajo*, cognominato *Caano*, Mogulis, & Cathajae Regna obtigerint; *Giagatajo*
Tran-

Transoxana, Arabibus *Macvaralnahar*, hodie *Zagathaja*, seu *Uzbechia*, hoc est *Turcheftania* forte cesserit; *Tulikano* Chorazania, & Persia; & *Giougio* Regio omnis reliqua usque ad Mare Caspium obvenerit. In hacce porro, quae una, ordineque decima Abulfaragio ponitur, *Mogulorum* Dynastia, in quam reliquae deinde tres transfusae fuere, quatuordecim sibi invicem suffecti Reges ab *Hegirae* anno 599, Christi 1202. a *Tamugino*, sive *Ginghischano*, ac deinceps per annos 137. usque ad annum *Hegirae* 736, Christi 1335. ab Aug. die 21, imperasse leguntur apud Mirckondum, Abulfaragium, ejusque Continuatorem in Chron. Syr., Khondemirum, aliosque memoratos Herbeloto Bibl. Orient. p. 381. sqq., De Guignesio Hist. gen. Hun. T. I. p. 282. sqq., & Assemano in Differt. de Syris Nest. §. 4. sq. Bibl. Orient. T. IV. p. 101. sqq., & p. 468. sqq. Quorum ex *Ginghischano* quintum *Houlagu*, sive *Hulachum-Khanum* prae aliis celebrem evasisse, ab eoque *Hegirae* anno 651, Christi 1253. Perside, Media, Chaldaea, Syria, Mesopotamia, Natolia, Arabia, Georgia, Armenia &c. domitis, *Abdalla Mostasemo Abbassidarum* Kalipha devicto, captaque Bagdado *Hegirae* anno 656, Christi 1258, atque Syria anno *Hegirae* 658, Christi 1259. occupata, capto, interfectoque *Al-Maleko Al-Nasero* postremo ex *Saladini* posteris in Syria Kalipha Damasci regnantibus, *Tartarorum*, sive *Mogulorum* Imperium maximum in splendorem erectum fuisse supra diximus, quo de Herbelotus fusius p. 453. sq., ac De Guignesius p. 283. sqq.; postremus tandem *Arba Chanus Hegirae* anno 736, Christi 1335. a *Timure*, vulgo *Tamerlano* Magno Transoxana, sive Turcheftania exspoliatus, *Timuridum* Dynastiae III. inter Mogulenses imperandi locum fecit.

IX. Itaque *Timur*, ut de innumeris, egregiisque istius gestis nonnihil obiter attingatur, *Timur*, inquam, *Lenk*, idest *Claudus* Persice cognominatus, Turcice *Demur Capi*, idest *Porta Ferrea*, Latinis vulgo *Tamerlanus*, e stirpe *Ginghischani*, dictus postinde *Sabebkeranus*, hoc est *Dominus Conjunctionis Magnae*, Planetarum videlicet, *Hegirae* anno 771. debellato *Togatimoure* Getarum Rege supra Caspium, qui & ipse e *Ginghischano* per *Giagatajum* descenderat; anno

782.

782. Chorazania, devicto *Gajatheddino* Rege, potitus; Georgiana item, superato *Khogiabo Ali Moviado* Principe; anno 785. Provinciis Siſtania, Candahara, Zableſtania, Segeſtania, Mazanderania &c. in poteſtatem transfuſis, atque his in Regionibus rerum potientibus *Cothbeddino Schako*, & *Emir Valaeo* profligatis; anno 787. Iracha Perſica, & Aderbigiana conquiſitis; anno 790. defuncto *Sojourgatmiſcho* e ſtirpe *Ginghiſcani* Rege, Cathajae imperio ad ſe rapto; anno 793. *Toctamiſcho*, altero e *Ginghiſchani* progenie per *Giougi* deſcendente, in Provinciis a Septentrione Maris Caſpii uſque ad Occaſum regnante, debellato; anno 795. Bagdado, Tagrido ad Tigrim in Chaldaea, Amida, & Mardina in Meſopotamia, Georgia, ſive Gurgiſtania adquiſitis, anno 798. imperii ſede in Urbe *Sultania*, ſive *Hamadano* defixa; anno 800. Indoſtania, *Mahumedo* Sultano devicto, uſque ad Gangem invaſa; anno 802. e Chaldaea *Ahmedo Ben-Avis Gialairo* Sultano, eque Meſopotamia *Cara Joſepho* Khano pulſis, eorumdem dominio potitus; anno 803. in Natolia Urbibus Sivaz, ideſt Sebaſte Ciliciae, & Malatia in Syria, debellato *Al-Maleko Al-Naſero* Sultano ſecundo *Mameluchorum* in Dynaſtia *Circaſſiorum*, Urbibuſque Aleppo, Emeſa, Hamah, Balbeko, & Damaſco captis; anno 804. Armenia ſub jugum miſſa, in Anatolia vero, & Caramania ſubactis Urbibus Samoſata, Caeſarea, & Ancyra, captoque *Bajazetho* Turcarum Sultano; anno 805. Aegypto quoque in ditionem redacta; demum anno *Hegirae* 807, Chriſti 1404. a die 10. Julii, dum Expeditionem ad Sinas meditaretur, die 17. *Schaban* mortalitatem explevit; cujus poſteri adhuc dum in Mogolo, ſeu Indoſtania rerum potiri, regnareque perhibentur: quo de plura Mirckondus, ejuſque filius Khondemirus, Ahmed Ben-Arabſchal, Auctor Tarikh Montekheb, Ben Schuhnah, Auctor Leb-Tarikh, Abilfeda, Maragus, Scherfeddinus, Auctor Nighiariſtan, Abulfaragius, Ebn-Schiochna, Haythonus &c. apud Herbelotum Bibl. Orient. p. 877. ſqq., De Guigneſium T. I. Hiſt. p. 297. ſqq., & apud Aſſemanum Bibl. Orient. T. IV. p. 468. ſqq.; quibus jungendi, qui fuſe res geſtas Hiſtoria perſecuti ſunt, *Ginghiſchani* Petitus de la Croix Pater Pariſ. 1710, atque *Timuris* P. Vattierus ex Arabica Golii. X. An-

X. Antequam tamen ad hanc *Tamerlani* Imperium dignitatem, tamque grande decus adsurgeret, in Turchestania, Transoxania, Persia, Chorazania, Indostania &c. pleraeque aliae, ex hisque praecipuae sexdecim dominatae fuisse Dy... feruntur, quarum brevem ecce tibi epilogum. I.ª *Thaeridum* dicta est, quae a *Thabero Ben-Houssaino*, unde nomen habuit, anno *Hegirae* 205, Aerae Christianae 820. a Junii die 17. inchoante, incepit; atque postquam in Regibus v. per annos 56. durasset, in *Mohammedo* finivit, qui Regnum *Jacobo* filio *Leithi* Dynastiae *Soffaridum* cedere coactus fuit. II.ª *Soffaridum* itaque fuit, quae a *Leitho Soffaro* denominata, fundataque *Hegirae* anno 248, Christi 862. a die 7. Martii, post annos 57. in *Thabero* Principe tertio, ab *Ismaele Alsamano* Dynastiae *Samanidum* devicto finem habuit: queis de Herbelotus in Bibl. Orient. p. 815. sq., & 1017. sq. III.ª *Samanidum*, quae cognominata, institutaque ab *Ismaele Samano*, e stirpe *Joubini* Regis quarti in Dynastia Persica *Saxanidum*, anno *Hegirae* 261, Christi 874. ab Octob. die 16, in Regibus x. substitit annis 128. circiter, usque ad *Hegirae* annum 389, Christi 999. a die 13. Decem., quo *Abdamalecho* II. debellato, ejus Regno potitus est *Mohammedus Sebektegbinus* in Segestania regnans. IV.ª *Dilemitarum* fuit, quae a *Wahschoudano* Hegirae anno 315, Aere Christianae 927. in *Dilem*, unde nomen tulit, ad Maris Caspii latus Meridionale consita Regione fundata, indeque in Ghilaniam, Georgiam, Tabarestaniam, totamque ferme Persidem amplificata in Sultano x. *Manoudgebero* anno Hegirae 403, Christi 1012. finem accepit, hinc a *Gaznevidis*, illinc a *Bovidis* absorpta. V.ª *Bovidarum* suo a fundatore *Aboul-Hassano* de patris *Boviabae*, e stirpe *Saxanidarum* prosati, nomine sic adpellata: quae postquam ab Hegirae anno 322, Christianae Aerae 933. in Sultanis VIII. integra stetisset, Hegirae demum anno 447, Christi 1055. a *Thoghrulbego* abolita est. Ex hacce porro Dynastia, amplis Persidis inter se divisis Provinciis, Sultani alii Bagdadi, Aspahani alii regnasse leguntur, queis de Herbelotus Bibl. Orient. p. 312. sqq., & p. 751. sq., ac De-Guignesius Hist. gen. Hun. T. I. p. 406. sqq. VI.ª *Gaznevidarum*, ab Urbe in confinibus

nibus Chorazaniae, & Zablestaniae citra Gangem consita sic denominata est, quae a *Sebeksegbino* inchoata *Hegirae* anno 384, Christianae Aerae 994. a Febr. die 15, in Regibus XIII. per annos 195. usque ad *Hegirae* annum 579. Christi 1183. substitit: donec idest *Chosroes* Schakus Principatu exspoliatus fuit ab *Hassano Gaurio*, a quo deinceps alia fundata *Ghauridarum* Dynastia est: qua de Herbelotus p. 364, & 755. sqq., ac De-Guignesius p. 239. sq. VII.ª *Selgiucidarum* cognominata est, ex qua quinque aliae prodiere Dynastiae, quarum I.ª in Perside a *Selgiucho* usque ad *Thogrul Ben-Arslanum* in Regibus XVII. per annos 161. ab *Hegirae* anno 429, Christi 1037. a die 14. Octob. usque ad *Hegirae* annum 593, Christianae Aerae 1196. a Novemb. die 24, quo *Thogrul* devictus a *Tekescho* Chorazamitarum Sultano, interfectusque huic Regnum reliquit. II.ª *Caderdiensium* fuit in Caramania Persica, a *Cadherdo* fratre *Thogrulis* denominata, incepitque *Hegirae* anno 433, Christi 1041. ab Aug. 31, ac postquam in Sultanis XI. per annos 150. durasset usque ad *Hegirae* annum 583, Christi 1187. a die 13. Mart., quo *Mohammedus* Schachus devictus a *Maleko Dinaro* e stirpe *Ali*, huic Principatum cessit. III.ª *Coutoulmischdarum* in Natolia, sive Asia Minore, quae a *Solimano* filio *Coutoulmischidis*, unde Dynastiae nomen adhaesit, e stirpe *Selgiuchi* anno *Hegirae* 467, Christianae Aerae 1074. ab Aug. die 27. fundata in *Masoudo* filio *Azzedini* Rege XVII. a *Gazano* Mogolis Khano loco pulso *Hegirae* anno 708, Christi 1308. a die 21. Jun. finem accepit. IV.ª *Toutoschitarum* denominata, fundataque a *Toutoscho* genere *Selgiucida* in Syria, Aleppi sede Regni defixa, *Hegirae* anno 471, Christi 1078. a Julii die 14. inchoato, post annos 40, *Hegirae* anno 511, Christi 1117. a die 5. Maji, cum *Mohammedo* Sultano *Rhedovani* filio desiit, Aleppi Regno in *Ilghazium* Maredini Regem translato. V.ª *Decacensium* a filio *Toutouschi* altero, *Rhedovani* fratre, Damasci Hegirae anno 488, Aerae Christianae 1095. a Jan. die 11. fundata post annos 60. in *Modgiredino* Sultano IX. Regno Damasci a *Noureddino* e Dynastia *Atabekidarum* Sultano Aleppi regnante exspoliato defecit: queis de Dynastiis Khondemirus, Auctores Leb-Tarikh, Nighia-

ghiariſtan, Takovim Al-Tarikh, Kiatib Zadeh, Abilfeda, Bondari, Ben-Schounah, Benelatir &c. apud Herbelotum Bibl. Orient. p. 679, & 799. ſqq., ac De-Guigneſium Hiſt. gen. Hun. Par. I. T. I. p. 241. ſqq.

XI. Ad praecipuas in Khoraſania, Perſide, Indoſtania &c. fundatas ante *Tamerlani* aetatem Dynaſtias gradu reflexo, VIII.ª *Kharifmienſium* occurrit, quae ab Urbe *Khariſmo*, Regioneque ampliſſima nomen obtinuit, a *Cothbeddino Muhamedo* incepta *Hegirae* anno 491, Aerae Chriſtianae 1097. a die 9. Decemb., annos 138. in Sultanis IX. ſtetit, ac tandem Hegirae anno 628, Chriſti 1230. a Novemb. die 9. in *Gelaleddino Mankberno* deſiit, in *Ginghiſchanum* dominio tranſducto; queis de Herbelotus p. 360. ſqq., 370. ſqq., 532. ſq., & 1001. ſq. IX.ª *Gauritarum* Dynaſtia fundata, ut ſuperius innui, ab *Aleddino Haſſano Gaurio* anno *Hegirae* 545, Chriſti 1150. a die 30. April., poſtquam in Sultanis V. per annos 64. ſtetiſſet, in *Muhamedo Ben-Gajateddino* finita eſt *Hegirae* anno 609, Chriſti 1112. a Junii die 3, transfuſo in Dynaſtiam *Khariſmienſium* imperio. Cujuſce tamen Dynaſtiae ramus alter, dictae etiam *Iletmisbadum* a cognomine *Schamſedini* filii Fakhreddini, in Chorazainae parte altera Septentrionali, a *Fakreddino* fratre *Seiſedini* ſecundi *Gauritarum* Sultani initae, ſubſtitit in quatuor aliis Sultanis ab *Hegirae* anno 609, Chriſti 1212. a Jun. die 3, paucos poſt annos deſiit in *Gelaleddino*, occupata Provincia a *Khariſmienſibus*; atque ex his in *Cinghiſchani*, indeque in *Tamerlani* poſteros, una cum ceteris Indoſtaniae Regionibus translata. X.ª *Cara Cathajorum* nomen obtinuit a loco, ubi natus eſt ipſius fundator *Barak Hagebus* in Cathaja *Nigra*, a quo Dynaſtia iſthaec in Caramania Perſica inſtituta *Hegirae* anno 621, Chriſtianae Aerae 1224. a Jan. die 24. inito, annos 86. duravit in Sultanis VIII. uſque ad *Hegirae* annum 766, Chriſti 1364. a die 28. Septemb., quo *Mohammedus Ben-Hegiagius* dominio a *Timure* exſpoliatus eſt. XI.ª *Modhafferitarum* Dynaſtia *Hegirae* anno 718, Chriſti 1318. a die 5. Martii, in *Mobarezeddino Al-Modhaffero*, unde deſumpſit & nomen, inchoata, Sultanos VII, Schirazi defixa Regni ſede, per annos 77. uſque

ad *Hegirae* annum 795, Christi 1392. a Novemb. die 17, recensuit, extincta demum in *Zino Alabedino*, dominio a *Tamerlano* exspoliato. XII.ª *Ilekhaniorum*, qui genere Turchestani sunt, denominata ab *Hassano Ilekano*, cognomento *Buzruko*, idest *Magno*, e stirpe *Gingbischani* profecto, *Hegirae* anno 737, Christi 1336. a die 10. Aug., Imperioque in Mediam, & Assyriam late amplificato, Bagdadi sede defixa, annos 76. duravit in Sultanis v. usque ad *Ahmedum*, qui *Hegirae* anno 813, Christi 1410. a Maji die 6, a *Cara Josepho*, quo de modo, Turcomannorum Rege interfectus, suam eidem in Mesopotamia, Parthia, & Media partem imperii permisit. XIII.ª *Joubanidarum*, sive *Gioubanitarum* in Aderbigiana, & Iracha Persica Dynastia instituta ab *Hassano Kugiucko*, i dest *Parvo* cognominato, a *Giouba Hassani* Avo sic nuncupata, *Hegirae* anno 738, Christi 1337. a die 30. Julii, post annos 20. in *Maleko Aschrafo*, Regno a *Gianibeko* Captachae Khano spoliato, defecit; queis de Herbelotus p. 149. sq., & Assemanus Bibl. Orient. T. IV. p. 133. sqq. XIVª *Turcomannorum* in Media, Armenia, Mesopotamia &c. *Arietis Nigri* dicta, Turcice *Cara Coinlu*, Graecis *Mauroprobatidarum* denominata, fundata a *Cara Josepho* filio *Cara Mohammedi*, ex *Oguziorum* stirpe descendentis, *Hegirae* anno 810, Aerae Christianae 1407. a Junii die 8. inchoato, post annos 63. defecit in *Hassano Ali* quarto in hac Dynastia Sultano *Hegirae* anno 873, Christi 1468. a die 22. Jul., quo is ab *Hassano Bego*, vulgo *Uzun Cassano* interfectus est. XV.ª *Turcomanorum* in Turchestania *Arietis Albi* nuncupata, Turcis *Ak Cojunlu*, Graecis *Asproprobitadarum* cognominata, ab Insignibus nempe in Vexillis, atque Stemmatibus usurpatis, fundatorem habuit *Hegirae* anno 800. circiter, Aerae Christianae 1397, *Thour Ali Begum*, post quem in Dynastia quintus *Hassanus Begus*, vulgo *Uzun Cassanus* dominii alterius supra *Hassanum Ali*, ut supra innui, conquisiti accessione Imperium amplificavit: qui *Uzun Cassanus* demum a *Mohammedo* II. Turcarum Sultano *Hegirae* anno 883, Christi 1478. a die 4. April. interfectus est; atque denique in *Morado* Sultano xiv. Dynastia haec defecit *Hegirae* anno 914, Christi 1508. a Maji

Maji die 3, quo eo Bagdado expulso, ejusdem dominio potitus est *Schah Ismael* Persiae *Sofi*. XVI.ª *Turcomannorum* Dynastia in Aegypto fuit denique, a *Moezzeddino Ibeko* fundata *Hegirae* anno 648, Christi 1250. a die 5. April., *Baberitarum* ab Urbe Capitali, & *Mamelukorum* a *Maleko Saleh* Aegypti Rege etiam dicta, sub quo fundata est, duravitque usque ad *Hegirae* annum 784, Christi 1382. a Martii die 17, quo *Al-Maleko Al-Ascharafo* postremo *Mamelukorum* Sultano XXIX. defuncto, horum dominium a Circassis occupatum est: queis deHerbelotus p.41, 174.sq., 253.sq., & 901.sq., DeGuignesius Hist. T.I. p.263. sqq., & Assemanus Bibl. Orient. T.IV. p.101. sqq. ac 133. sqq. Mitto caeteras minoris durationis, atque momenti Dynastias alias, quae parum huc faciunt, queis de caeteroqui loc. cit. Herbelotus, Assemanus, De Guignesius, nosque super Volum. III. de Mens., & Annis Arabum, Moham., Tart., Mogul. &c. Art.I. §.XV. sqq. p.139. sqq.

XII. Postquam vero in *Gingbischani* primum, tum in *Tamerlani* postinde Dynastiae hae ad unam omnes transfusae potestatem fuere, a *Tamerlani* posteris Chorazaniae, ac Turchestaniae imperium, caeteris cum Assyriae Provinciis amplissimis, ereptum postremo est a *Schaibeko Khano* Uzbekorum Sultano, e *Gingbischani* stirpe prognato, *Hegirae* anno 900, Christianae Aerae 1494. ab Octob. die 2. ineunte; ita tamen, ut in Transoxaniam, seu Indostaniam se recipientes *Tamerlani* reliquiae *Mogulorum* ibidem fundarint Imperium, quod hodie dum penes illos stare fertur. Nempe a *Schaibeko* profligatus *Baborus* e posteris *Tamerlami* postremus Imperator, *Hegirae* anno 937, Christi 1530. a die 25. Aug. in Indiam secedens, ac *Debli* Imperii sede defixa, ibidem *Mogulorum* Imperii fundamenta jecit, Imperatorumque, qui adhuc dum illic imperant, Dynastiae III. exordium dedit. In Chorazania vero, & Turchestania *Uzbeckorum* Dynastiae II, quae Persis *Daulat Al-Uzbekiat* dicitur, locum fecit *Hegirae* anno 904, Christi 1498. a die 19. Aug. incepto, *Schaibeckus*: qui tamen *Hegirae* anno 916, Christi 1510. ab April. die 10, a *Schako Ismaele*, Persice *Sofi*, eo ipso nempe, a quo *Moradus* e stirpe *Uzun-Cassani* postremus *Hegirae* anno 920, Christi 1514. a die

 26. Febr.,

26. Febr., interfectus Dynastiae Turcomannorum *Arietis Albi* finem fecerat, interfectus & ipse Successores in Regno Chorazaniae, & Turcheftaniae excepit quinque alios ex se prognatos usque ad *Hegirae* annum 948, Christi 1541. a die 27. April., queis cum Persiae Regibus ex *Schako Ismaele Sofi* progenitis bellum perpetuum deinceps fuit ad hanc usque diem. Is tamen *Schakus Ismael* tandem *Hegirae* anno 920, Christi 1514. a *Selimo* I. *Othomanidum* Sultano profligatus, Regni parte facessere, eamque Turcis relinquere coactus est: queis de Herbelotus p. 382, 598, 761. sq., 901, & 916, ac De Guignesius p. 343. sq. A *Ginghischano* porro, ut superius innui, rerum potiente, totamque Chorazainam populabundo, atque dein in Arabiam profecto, tum e Parthia Sultanus *Aladinus*, sive *Saladinus*, e Dynastia *Selgiucidarum*, dicta a *Selgiude*, qui primus in ea Dynastia Parthis imperavit, quem imo *Selgiudem* eumdem fuisse cum *Tangrolipixe* Zonarae memorato censent Reineccius, & Leunclavius in Pandecte Hist. Turc. p. 396. edit. Paris., Ven. p. 302. sq., in Joniam, hodie Caramaniam, ubi Provincias sui nonnullas juris fecit, profugere compulsus fuit; tum *Solimanus* Urbi *Meckae*, quae *Moslemorum* tum Regni sedes erat, qui ex *Oguziis* originem traxisse & ipse fertur, a *Saladino* praefectus, Urbe in *Ginghischani* potestatem transducta, inde ad Euphratem aufugere & ipse coactus fuit, cujus in trajectione aquis obrutus vitam amisit. Fuere tamen *Solimano* filii tres superstites, *Sungurges*, *Gundogdes*, & *Ertucules*; quorum duobus prioribus in Parthiam regressis, posterior *Ertucules* in Asiam Minorem ad *Saladinum* profectus, Regionem inhabitandam ab eodem accepit. Erant vero *Ertuculi* tergemini filii *Gundus*, *Sarigates*, & *Osmanus*, queis cum, ingentique collecta manu, *Engurim*, olim *Ancyram* in Galatia ab *Augusto* inter Mare Ponticum, & Asianum conditam, deinde se conferens, eodem loci sibi, suisque deinceps sedem *Hegirae* anno 699, Christi 1299. a Septemb. die 28. inito, constituit; indeque *Osmanidum* Imperio, Dynastiaeque initium dedit, quo nempe anno, *Saladino* adnuente, *Osmanus*, sive *Othomanus*, Turcis *Gazi*, idest *Conquaestor* cognominatus, *Sultani* titulum adsumpsit: qua de re Annales Tur-

Turcici Constantinopoli anno Christi 1551. Vindobonam advecti p.311. edit. Paris., Ven. Hist. Byzant. T.XVI. p.245, Abilfeda, Saededdinus Auctor Tag-Al-Tarikh, Marakeschius, Benschonah, Auctorque Tarikh Othomani apud Herbelotum Bibl. Orient. p.697, & 822, atque De Guignesium Hist. gen. Hun. Par.I. T.I. p.270. sqq.

XIII. Jam vero quot fuere in Turcomania, seu Turchestania, Indo-Scythia, seu Indostania &c. Dynastiae hactenus dinumeratae, haeque diversae, totidem obtinuisse, sex hoc est supra decem saltem, diversas Epochas non dubium, nisi ei, qui de omnibus dubitet, esse potest. Sicuti vero Dynastiae hae demum omnes in duas tum primum *Gingbischani*, tum postea *Tamerlani* transfusae Dynastias confluxere, illaque perinde istam, absorpta, in unam coaluit; quae denuo in geminam *Tartarorum*, ac *Mogulensium* Orientalem dispertita est; sic Epochae illae tot primum, idest non minores quam sexdecim diversae, quot pridem diversae fuere Dynastiae, in geminas *Gingbischani*, ac *Tamerlani* postquam confluxissent, atque perinde ex duabus hisce una fuisset conflata, in duasque rursus *Mogulensium*, ac *Tartarorum* dispertita, tum demum ad unam omnes ab una *Osmanidum*, sive Turcarum *Hegira* Occidentali absumptae, in hanc deinceps unam coaluere. Qua de *Hegira* tamen antequam loquar, de Religionis Christianae dogmatibus, cum eisdemque una Christianis Aeris, vastissimis in Regionibus illis ubique propagatis, obiter attingere praestat. Atque in Scythia utraque quidem intra, & extra Imaum, Sogdianis, & Sacis, Bactris, Margis, & Hyrcanis, ac ultra Hyrcanum Mare usque ad Gog, & Magog in Turchestania, Tocharestania, & Transoxania Gilanis, Gergianis, Casiis, Charaunis, Zagathianis, Kaimachis, Kovaresmiis &c. usque, & ultra Gangem a SS. Apostolis *Thoma*, & *Andrea* Evangelium, ac deinde a *S. Aghaeo S. Adaei* discipulo unius ex Discipulis LXX. fuisse annuntiatum ex Origene in Gen. lib.3, Eusebio Hist. Eccl. lib. 3. cap. 1, Ruffino lib. 1. cap.9, Auctore Recognit. lib.9. cap.29, Hippolyto in Synop., S. Gregorio Naz. Orat. 21, Sophronio apud S. Hieronymum cap.8, Socrate lib.1. cap.15, Thoma Margensi, Ebedjesu Sobensi,

bensi, Elia Damasceno, Mari Salomonis, Gregorio Bar-Hebraeo, Amro Maris &c. multis ostendit Cl. Assemanus in Bibl. Orient. T.IV. dissert. de Syris Nestor. p.16. sqq., & p.476. sqq. Et vero ab Ecclesiae Seculo IV. in Chorozania, Turchestania, Chasgarana, Transoxania, Cathaja &c. Ecclesias Cathedrales extitisse, a Syris quammaxime Nestorianis institutas, fundatasque, ut *Maruae* anno 334; ut *Tusae* anno 430; ut *Harae* anno 411; ut *Samarchandae* anno 509; ut ut *Cambalae* anno 636; ut *Sarchasae* anno 714; ut *Balchae* anno 780; ut *Chumdanae* anno 781; ut *Rajae* anno 836; ut *Can-fu* anno 877; ut *Tabrestanae* anno 893; ut *Tajounae* anno 987; ut *Cheritae* anno 1000; ut *Tanguthi* anno 1064, dicere ut praeteream de florentissima, sequiori sub aetate Missionariorum opera per Orientem inlata, Catholica Religione, pergit ostendere: cui jungendus Renaudotius in Not. ad Veteres Relationes Itiner. in Indiam anno 851, & in Sinas anno 877. p.319. sq. Quamobrem cum Religione Christiana non aliam profecto, quam apud ipsos frequentatam, cum primum *Graecorum*, tum postea *Romanorum* Aeram, eò fuisse ab illis Christianae Religionis propagatoribus invectam; neque alteram, quam hanc ipsam apud eos, qui Religioni Christianae nomen dedissent, quoad res saltem spectaret Sacras, fuisse perinde usurpatam persuasum ego quidem habeo: quod ipsum tam patet ex celebri Monumento Sinico Lapideo in Urbe Sigan-fu Provinciae Xensi anno Christi 1625. reperto, quod Syriaca sane Graecorum Epocha, hoc est *Chaldaica* anni 1902, idest Christi anno 781. obsignatum legitur, quove de fuse Assemanus in Dissert. de Syris Nestor. §.7. Bibl. Orient. T. IV. p. 338. sqq.; quam confirmatur documentis aliis plurimis e Scriptoribus Syris, earum Regionum aliquando incolis, petitis, velut ostensum dedi Volum.IV. Artic. II. de Epochis Babyl., Chald., Assyr. &c. §. IX. p.280. sqq. Quamquam quia Populis vulgo illis Turcomaniae, Turchestaniae, Chorazaniae, Tocharestaniae, Transoxanae, Cathajae, Tartariae &c. vulgari, familiarique recepta usu, frequentataque ad hanc usque diem *Hegira* fuit, ad hanc ideo nostram jam properare demum orationem oportet.

XIV. Atque principio *Hegirae* quidem nomine, quae *Alli-*

Alligera nuncupata legitur a Roberto Retenensi in *Alcorano* ex Arabico in Latinum verso, jamdiuque edito jussu V. Petri Abb. Cluniacensis, anno *Alexandri* M. 403, *Persarum* 511, *Alligerae*, idest *Hegirae* 537, Christi 1143, (a Julii die 16. inchoato) inter Codices MSS. Bibl. Reg. Paris. n. 1202. teste Oudino T.II. p.1161, & inter Cod. MSS. Taur. Athenaei n.156. apud Pasinum Τῶν Μακαριτῶν T. II. p. 46, *Hegirae*, inquam, nomine *Mohammedi* Pseudo-Prophetae, insignisque Plani *Fuga* intelligitur, qua declinandae *Choraizitarum*, qui rerum Meckae potientes, atque Idololatriae deditissimi aegre admodum ferebant, ea abolita novam, eaque haud sane meliorem, a *Mohammedo* Religionem superstrui, persecutionis gratia, Mecka se surripuit, seque Medinam, olim *Jatreb* dictam, dierum decem itinere a Mecka distantem, recepit. *Hegirae* jam vero institutor fertur vulgo *Omarus* secundus post *Mohammedum* Medinae, & Meckae Kalipha, a quo Moslemi, nulli tum adhuc temporis Aerae publicis in consignandis Actis adsueti, hanc primum edocti fuerint; atque ita quidem, ut nonnisi post annum 17. a *Mohammedi* fuga *Hegirae* usus tum primum ab *Omaro* inductus fuerit, obtinereque deinceps apud Moslemos inceperit; si fides adhibenda Elmacino in Hist. Sarac. lib.1. cap.3, Khondemiro, & Ben-Schunah apud Herbelotum in Bibl. Orient. p.444, & 857, Abilfedae in Annal. Moslem. edit. Reiskii Lips. p.19. sq., aliisque: qua de re Pridaeus in Vita Mohammedi, ac Hottingerus in Hist. Orient. p. 260. sqq. De *Hegirae* tamen initio, quo ea nempe ab anno ineunda sit, nec inter Arabes ipsos, ac Moslemos, nec Syros inter, Graecos, ac Latinos satis utrinque convenit. *Hegiram* namque ab anno Aerae Christianae 622. exordiuntur Abulfaragius in Hist. Dynast., & Elmacinus in Hist. Sarac., qui *Mohammedum* Genti praefuisse annis *Lunaribus* 10, diebus 71, idest *Solaribus* annis 9, Mensibus 11, die 1. excepta, referunt, obiisseque *Hegirae* anno 11, die 12. *Rabbii* prioris, Fer. 2, hoc est Christi anno 632, die 17. Junii. Ismael Abilfeda vero in Annal. Moslem. p. 19. sq. *Mohammedi* fugam die 8. *Rabbii* prioris, aetatis anno 53, cum Mensibus 2, ac diebus 8, consignat, ejusdem ante obitum anno 9, Mensibus 11, ac diebus

bus 22, Aerae Christianae 631, *Diocletiani* 339; a Moslemis attamen *Hegirae* initium in annis recensendis a die 1. Mensis I. *Muharrami* repeti solere subjungens. Sed enim errat in anno Christi 631, qui fuit dumtaxat 622, a quo revera *Diocletianaeus* 339. incepit. Cum Abilfeda faciunt alioquin Ulug Beighus de Epoch. cap. 1, & Ismael Sciahinschiah in Praelud. Hist. Gentium apud Ecchellensem in Hist. Arab. Chronico Orient. adsuta cap. 10. edit. Ven. p. 145. sq. Qui testis accedit ex Moslemorum sententia *Hegirae* caput diebus 68. a proprio loco, & tempore, quo revera contigit, idest a die 8. Mensis 3. *Rabbii* prioris, retrotrahendum fore ad diem 1. Mensis I. *Muharrami*, ut Epocha videlicet isthaec in ipso Anni principio, inque primi Mensis Kalendis suam fixam deinceps, firmamque sedem haberet; adeoque e decem annis, ac duobus Mensibus, quos *Mohammedus* supervixisse *Hegirae* fertur, dies 68. fore demendos, adeo ut post *Hegiram* is annos 9, Menses 11, dies 22. dumtaxat superstes fuerit. Quò fit, ut Scaliger de Emend. Temp. lib. 2. p. 136. palam deceptus fuerit, contra omnium Arabum fidem Arabici Anni principium *Rabbium* priorem statuens, velut eodem loci Ecchellensis rite advertit.

XV. Alteram ex adverso de *Hegirae* cardine animo opinionem induit Dionysius Jacob. Patriarcha Antioch. in Chronico Syro fol. 45; quo loci *Mohammedo* a promulgato *Alcorano* Principatus annos 7. dumtaxat adscribit, eumque periisse scribit anno *Graecorum* 938, qui fuit Christi 627; atque *Hegiram* ab anno Mundi 6130, *Graecorum* 933, Aerae Christianae 624, cujus Natalem nempe confert in annum *Graecorum*, non 311. juxta Chaldaeos, sed 309. juxta Syros alios, repetit apud Assemanum in Bibl. Orient. T. II. p. 102. sqq., & 315. A quo parum tamen abfuit in vita *Jesujabi* Amrus scribens Arabum sub eodem *Jesujabo* Imperium cepisse *Graecorum* anno 935. apud eundem Assemanum loc. cit. p. 418. Amassi Mohamedanus auctor vicissim est *Mohammedi* fugam anno 630 Aerae Cristianae, a *Moysis* obitu 2347. contigisse. Ben Cassemus e contra Mundi anno 5800. juxta Graecos, vel 4571. juxta Latinos eamdem consignat apud Herbelotum in Bibl. Orient. p. 444. Ex adverso Noemus Jacob. Patriarcha Turabdinensis in Mesopotamia in Breviario Chronici Arab. Cod.

Cod.MSS. 30. fol. 138. apud Aſſemanum Bibl. Orient. T. II. p. 468. ſqq. ab eo, quo ipſe ſcribebat, anno *Graecorum* 1807, Chriſti 1496, retroducto anno 1498, juxta Syros nempe, qui Chriſtum D. natum anno *Graecorum* 309. ſupponunt, anno, inquam, 1498. Chriſti natalem, anno 950. *Mohammedi* ortum, anno 901, *Fugam*, anno 885. obitum conſignat. Quo tamen in computo errare oppido Nohemum advertit ibidem Aſſemanus in Not. Fuga namque *Mohammedi* anno 874. conſignanda erat, qui *Graecorum* anno 933, quo fuga contigit, additus efficit annum 1807, quo ipſe ſcribebat; Obitus vero in annum 864 conferendus fuerat; quo Chriſti ideſt 632, quove revera Planum obiiſſe illum die 17. Junii *Hegirae* anno 11, die 12. *Rabii* prioris; Fer. 2; poſtquam Genti Moslemicae praefuiſſet annis *Lunaribus* 10, ac diebus 7, ideſt *Solaribus* annis 9, Menſibus 11, die una minus, ex Scriptorum Arabum fide Abulfaragius in Hiſt. Dynaſt., & Elmacinus in Hiſt. Sarac. referunt apud eumdem Aſſemanum T. II. p. 102. Saidus Ebn Batrikus, ideſt Eutychius viciſſim in Annal. T. II. p. 227. *Hegirae* initium ab anno Chriſti 614, *Diocletiani* 338, *Alexandri* 933, Mundi 6114. repetere non dubitavit, ſed ejus computus longo a veritate aberrat intervallo: Aerae namque *Diocletianaeae* capite ab anno Chriſti 284. ducto, *Diocletiani* annus 338. cum Chriſti anno 622. recte concurrit, non cum anno 614; *Alexandrinae* vero Aerae exordio ab anno ante Chriſti natalem 312. deducto, *Alexandri* annus 933, non in Chriſti annum 614, bene vero in annum 622. incidit. Adhaec *Fugam* illam nocte 1. Menſis *Rabbii* prioris, Arabibus, ac Moslemis *Al-Aoval*, contigiſſe Houſſanius Vaës auctor eſt: die 8. Abilfeda p. 19, die 12. ejuſdem Menſis, anno *Mohammedi* a promulgato *Alcorano* 14. propugnant Arabes, & Moslemi alii apud Herbelotum p. 444; etſi *Hegirae* initium a die 1. Menſis 1. *Muharrami*, Feria 5, quae Feriae 6. noſtrae reſpondet, repetendum unanimes ſtatuant. Vulgata itaque, receptaque ſententia eſt *Hegiram* incepiſſe Chriſti anno 622, die 16. Julii, Feria 5. *Secundum medium Calculum*, ſive Feria 6. *Secundum Lunae Phaſin*, ut habet Ulug Beighus de Var. Epoch. cap. 1, a Phaſi ſiquidem *Novilunii* hujus ad Phaſin ſequentis *Novilunii Hegi-*

rae annos computare Moslemis positum in more sit. Atque ita plane de *Hegirae* cardine a Feria 6. Julii die 16, Christi anno 622. repetendo, praeter Abulfaragium, Sciahinsciahum, Abilfedam, Ulug Beighum, Elmacinum, Scriptoresque alios plerosque Arabes, Moslemosque apud Herbelotum, ac de Guignesium T. I. p. 43. sq., probe conveniunt, qui suis eamdem in scriptis Aeram usurparunt Syri, Coptique, Scriptores Christiani Nestoriani speciatim, ac Jacobitae, Gelaleddinus Asiutensis in Chronico Kalipharum Arab. Vatic. 46, Zacharias Coptorum Patriarcha 64. in Synodica ad Johannem Abdon Patriarcham Antioch. apud Paulum Ebn-Regia in libro de Fide Patrum fol. 321, Johannes Garirus Damascenus in Not. ad Ethicam Bar-Hebraei, Abraham Bassorensis in Dialogo cum Monacho Sinensi anno *Graecorum* 1737, *Arabum* 830. exarato, Leo Africanus in vita Johannis Mesve, Raphael Diaconus Abdalsajadi filius Aegyptius in Cod. MS. 3. Copto, & Arab. de Officiis Eccles. apud Cl. Assemanum Bibl. Orient. T. II. p. 151. sq., & 303, ac T. III. p. 501. sq., 610, & 640. sqq. Unde patet turpiter lapsos fuisse Genebrardum, Gordonum, aliosque Chronologos persuasum habentes Arabibus, Turcis, Afrisque *Hegirae* initium ab anno Christi 591, aut insequenti deduci: quod tam Computis Astronomicis, & Chronologicis Morinus, observans Caelestes *Neomenias* duobus hodie diebus anticipare Moslemicas, atque *Lunam* primam illis tum pronunciari, quum jam est tertia, quam Diplomatibus, pactisque Conuentis adversari Langletus confirmant.

XVI. Jam vero Moslemis, non secus ac universim Arabibus, *Lunaris* est Annus, isque diebus modo 354. horis 8. min. 48, modo diebus 355. constans, ideoque Vagus, *Periodo* annorum 30. demum ope abipsis in ordinem redigi dicitur. Nempe Ulug Beigho Magni *Tamerlani* nepoti Seculi XV. Scriptori de Celebr. Epochis cap. 1. edit. Gravii Lond. p. 8. sqq., Gravio ipsi in Calculo *Hegirae*, Mullero in Tabul. Ann. Arab., Erpenio in Computo *Hegirae*, Origano in Ephemerid., Ubboni Emmio in Oper. Chronolog., Labbaeo in Chronolg. Thecnica, Petavio Doct. Temp. lib. 7. cap. 22, Leunclavio in Pandecte Hist. Turc. cap. 11, Ricciolio in Chron. Reform. T. I. lib. 1.

lib. 1. cap. 24, Petro a Valle in Epist. 32, ad Morinum, ubi advertit annorum 1000. spatio *Julianum* annis 9. a *Moslemico* excedi, Morino in Epist. 25. ad Petrum a Valle Antiq. Eccles. Orient. p. 129. sqq., & 199. sqq., Frereto, & Aubaeo laudatis D. Langleto in Serm. Praelim ad Tabul. Chronolog. edit. Ven. T.I. p. 167. sqq., & p. 342. sqq., ubi a Labbaeo, Erpenio, ac Ricciolio *Hegirae* calculos neque exacte initos, neque cum Julianis collatos rite convenire ostendit, scite observatum est Moslemicum annum *Lunarem* ex Mensibus 12. utique alternatim *Plenis*, & *Cavis* conflari, ita ut Mensis 1. *Muharramus* dierum 30. sit, Mensis 2. *Sapharrus* dies 29. habeat, sicque deinceps reliqui, adeo ut sex *Pleni*, sex *Cavi* sint. Moslemicam vero *Periodum* ex annis 30. *Lunaribus* partim *Cavis* dierum 354, partim *Plenis* dierum 355. conflatam esse, ita nempe, ut ex annis 30. anni 19. *Pleni* sint, reliqui anni 11. sint *Cavi*, iique sint in *Periodo* 2. 5. 7. 10. 13. 15. 18. 21. 24. 26. 29., dies vero superabundans *Dulhagiae*, sive *Zihidghegho* Mensi postremo, singulis annis undecim, adjungatur, qui *Plenus* ideo dierum 30. fit. Ast enim anni *Lunares* 30, quorum 11. diebus 354, alii 19. diebus 355. singuli conficiuntur, idest *Lunares* anni 30. dies 354. singuli habentes dies efficiunt 10620, horae vero 8. ac minuta 48. super annos *Lunares* 30. dierum 354. abundantes multiplicatae per 30. annos efficiunt horas 264, sive dies 11: qui & dies 11. adjecti diebus 10620. dant summam dierum 10631. Annus jam autem *Solaris* est dierum 365. hor. 5. min. 49, ut saepe dictum est, ideoque *Lunarem* Islemicum excedit diebus 10. horis 12. min. 1: quò fit insuper, ut Anni *Solares* 30. colligant dies 10957. hor. 12; a quibus ablati dies 10631, quot in *Periodo* Islemica annorum 30. insunt, relinquunt dies 326. hor. 21: ideoque *Solares* anni 30. totidem *Lunares* Islemicos 30. excedunt diebus 326. horis 12: ideoque Islemicus annus *Lunaris* post annos 30, sive *Periodo* Islemica annorum 30. expleta, diebus 326. horis 12. citius, quam *Solaris* init: qui dies 326. ducti in horas 24. efficiunt horas 7824, queis adjunctae horae 12, quae praeter dies 326. annis 30. anticipantur, efficiunt horas 7836, quot post annos 30. *Lunares*, *Islemicus* Annum *Julianum* antevertit. Inde fit itaque, quod

annis *Julianis* 33. elapsis, Annus *Islemicus* 1. anticipetur, cum diebus insuper 4, horis 18. min. 48. In annis enim *Julianis* 33. insunt dies 12053. horae 6. m. 0, in annis vero totidem *Islemicis* 33. insunt dies 11694. horae 2. min. 24. Differentia est dierum 359. hor. 3. min. 36: ab hac summa detractis diebus 354. horis 8. min 48, sive integro anno *Islemico* ablato, reliqui sunt dies 4. hor. 18. min. 48. Itaque annis *Julianis* 33. expletis, Annus 1. *Islemicus* cum diebus 4. hor. 18. min. 48. retroagitur. Inde fit insuper, ut in *Hegira* Anni principium annorum 538. spatio per anni totius tempestates ullo absque froeno libere pervagetur, nec ad idem prorsus, quo primum inceperat, Anni caput, ac punctum regrediatur, idest ad eamdem Feriam, ejusdemque Mensis eamdem diem: quamvis alterutram, diem idest, aut Feriam, post annos vel *Islemicos* 235, vel *Julianos* 228. assequi possit.

XVII. Hisce praehabitis, ut jam propositum quempiam in *Hegira* annum, diem, ac feriam in Aera Christiana respondentem quis assequi possit, sequentes tres ex Ulug Beigho Regulas sequendas proponit Beveregius inter alios Instit. Chronolog. lib. 1. cap. 17. p. 96. sq. I.ª Ut proposito cuilibet Aerae Christianae anno sciatur quotus in *Hegira* respondeat annus *Islemicus*, hac utendum est regula. Ab anno Christi proposito auferendi sunt prius anni 621, (quot videlicet *Hegiram* antevertisse vidimus), residuum dividendum est per 33, quotus dividendo est addendus, & summa dabit annum *Hegirae* proposito Christi anno respondentem, vel eidem proximum; quod per calculum *Neomeniae* istius anni discernendum est. E. g. Proposito anno *Gregorianae* Correctionis 1582, si quaeratur, quotus in *Hegira* respondeat annus *Islemicus*, ab anno prius 1582. detrahendi sunt anni 621, reliqui 961. dividendi per 33, quotus 29. addendus est divisis 961, & summa 990. in *Hegira* vel est ipsemet annus *Islemicus*, qui Christi anno 1582. incepit, vel annus est *Islemicus* ipsi Christi anno 1582. proximus. Quod ut innotescat, calculandum ejusdem initium est. Per Regulam itaque mox tradendam constabit annum *Hegirae* 989. exjisse anno Christi 1582. die 25. Januarii; annus igitur *Hegirae* 990. eodem Christi anno 1582. a Januarii die 26. in-

26. incepit. II.ª Ut propoſito quolibet Aerae Chriſtianae anno dies inveniatur, quo in *Hegira* ei reſpondens *Islemicus* annus incepit, hac utendum eſt regula. Anni *Islemici* completi dividendi ſunt per 30, tum primo quotus multiplicandus eſt per 7836, (quot nempe horis annos *Julianos* 30. anticipari a totidem *Islemicis* annis 30. ſupra diximus), tum deinde reſiduum in eumdem numerum 7836. ducendum eſt, tum ejus productum iterum dividendum eſt per 30, diviſionis vero quotus producto ex prima multiplicatione addendus eſt, tum praeterea ſumma dividenda per 8766, (quot videlicet horae in anno *Juliano* ſunt), tum hujuſce diviſionis quotus, (unitate adaugendus, quoties excedat numerum 196), detrahendus eſt ab annis *Islemicis* primo diviſis, tumque demum reſiduum additum numero 622, (quo nempe *Hegirae* annus 1. incepit), dabit in Aera Chriſtiana annum, quo *Islemicus* quaeſitus injit. Tum deinde ultimae diviſionis reſiduo diviſo per 24, & quoto, (unitate adaucto, ſi reſiduum ſit majus 12), detracto a diebus 196 (hoc eſt a die 15. Julii, quae dies eſt 196. a die 1. Januarii), ſi vero dies hi plures 196. ſint, quoto dempto a diebus 561, (quippe tunc diebus 196. addendi ſunt *Juliani* anni 1. dies 365, qui cum 196. collecti efficient dies 561.), reliquus erit dies a Kalendis Januariis, qui *Neomeniam* Menſis 1. *Muharrami* praecedit, ſeu in quo annus *Islemicus* in praecedenti *Juliano* anno completur. E. g. Abilfeda in Annal. Moslem. p.82. ſq., & Abulfaragio in Dynaſt.9. p.185. referentibus, *Ali* filius *Abu Thalebi*, qui *Mohammedi* patruelis fuit, quique ejuſdem *Mohammedi* filiam *Phatimam* Uxorem habuit, quartus poſt ipſum *Mohammedum* Kalipha *Chuphae* inauguratus fuit *Hegirae* anno 35, *Dulhagiae* ultimi Menſis die 25. Fer.6. Itaque primo ab *Hegirae* anno 35. propoſito unitas eſt auferenda, ut habeatur annus *Islemicus* completus. Completi deinde anni 34. dividendi ſunt per 30: quotus eſt 1, reſiduum 4; quotus 1. ducendus eſt in 7836, qui producit eumdem numerum 7836; reſiduum 4. ducendum eſt quoque in 7836, quo producitur 31344. Productum hoc 31344. dividendum eſt per 30, & quotus eſt 1044, qui additus 7836. efficit 8880: quae ſumma rurſus diviſa per 8766. dat pro quoto 1, ac pro reſiduo

duo 114; quod per 24, (quot sunt horae diei), divisum in quoto indicat 4, in residuo 18. Tum quotus 1. penultimae divisionis auferendus est ab *Hegirae* annis 34. completis, residuo 33. addendi sunt *622*, & summa *655*. est annus Christi, quo in *Hegira* Annus *Islemicus* 34. exivit. Rursus quotus 4. ultimae divisionis unitate adaugendus est, (quippe residuum 18. est plusquam 12.), ac numerus 5. detrahendus est a *196*, reliquus 191. indicat diem 191. a Kalendis Januariis qui est Julii dies 10, quo *Hegirae* annus 34. exivit, indeque die Julii 11. annus *Hegirae* 35. in Aerae Christianae anno *655*. incepit. III.ª Ut proposito cuilibet in *Hegira* anno *Islemico* Feria in anno *Juliano* respondens reperiatur, a qua *Islemicus* Annus incepit, sequens tenenda regula est. Annus *Hegirae* propositus dividendus primo est per 210, quotoque neglecto, residuum per 30. dividendum est, quotus deinde in 5. ducendus, eoque seorsim reservato, anni residui, si *Embolimaei* in 5, si *Communes* in 4. multiplicandi sunt: productum ex utraque multiplicatione quoto prius reservato adjungendum est; summa deinde *6*. adaucta per 7. dividenda, ac residuum erit Feria desinentis anni. E g. *Hegirae* Annus 35, quem anno Christi *655*. Julii die 11. cepisse modo diximus, per 210. dividi nequit: itaque 35. diviso per 30, quotus est 1, residuum 5. Quotus vero 1. ductus in 5. producit 5, quod productum reservandum prius est. Residuum itaque 5. est annus 5. *Triacontaeteridis* Islemicae, sive Periodi annorum 30. *Arabicae* incipiens; ante quem ex quatuor annis jam expletis 1. *Embolimaeus* est, alii 3. *Communes*. Itaque 1. multiplicandus est in 5, & producit 5, alii 3. multiplicati in 4. efficiunt 12: numeris jam vero 5, & 12, idest 17. additum productum 5. prius reservatum efficit 22; huicce summae 22. additi *6*. dant 28, qui divisi per 7. relinquunt 0, idest 7, (quoties enim residuum est 0, tum ipse quotus 7. habetur pro residuo): igitur *Hegirae* annus *Islemicus* 35. feria 7, idest Sabbatho, incepit. Atque hisce de hactenus, videndusque Petavius inter alios Doct. temp. lib. 7. cap. 22, quo loci de Methodo inveniendi in Aera Christiana Annum, diemque Hegirae affatim agit.

XVIII. Pro Coronide de Indorum, Mogulensium, Indosta-

doſtanorum, Sinenſium, Japoniorum &c. demum Aeris diſſerendum profecto maneret: quandoquidem attamen horum de Periodis, atque Cyclis, queis ad putandos Annos uti pridem, hodieque dum Populi hi ſolent, abunde, opinor, affatimque diſputatum eſt, ubi horum de Annis ſermo factus eſt, diſputationem idcirco de hiſce denuo non exordiar, ſed ad unam Indorum Siamenſium Aeram, finitimis etiam frequentatam Gentibus, luſtrandam orationem excurrere ſinam. Atque Siamenſibus quidem Indis gemina putandis annis Aera in more poſita fertur, *Civilis* una, altera *Aſtronomica*. De priori, ſive *Civili* porro agens P. Richaudius Soc. J. in Notis ad Siamenſium Aeram, Kalend., & Aſtronomiam Monum. Acad. Scient. Pariſ. T. VII. Par. II. p. 769. ſqq. fide adfirmat ſua ab Aſtrologo defuncti Regis Siami percepiſſe ſe apud Siamenſes *Civilem* annos computandi Aeram ab unoquoque Rege Regni initio ſui diverſam, pro diverſo Regis cujuſque ingenio, inſtitui ſolere. A defuncto itaque Rege ſuae ab obitu Dei *Sommonokodonis*, quae annis retro 2232. contigiſſe fertur, qui Aerae Chriſtianae fuit annus 1688, Aerae exordium factum fuiſſe; Aeram vero ab ejuſdem Patre inſtitutam, ſub ejuſque Regno uſurpatam annorum 1000. circiter ſummam haud exceſſiſſe. Ejus adhaec anni 2232. exordium a die ultima Martii Chriſtianae Aerae anni 1688, qua die *Novilunium* obtigit, triduo ſolemniter a Siamenſibus Louveaeae totius Siami Regni Metropoli celebratum fuiſſe. Quò fit, ut retroducti anni 2231. a die Martii 31. pro *Civilis* Siamenſis Epochae exordio indicent annum Chriſti ante natalem 544, Martii diem 27, quae in Sabbathum incidit: atque *Civilem* hanc Aeram utique a defuncto Siami Rege fuiſſe inſtitutam inde liquido patet, quod annis 544. additi anni 1688. efficiunt annos 2232. Haec ex Richaudio de *Civili* Siamenſium Aera; quam perinde Caſſinus in Not. ad Regulas Aſtronomiae Indicae e Codice Mſ. Siamenſi, Pariſios a D. De la Loubiere Regis Galliarum ad Siamenſem Regem Oratore relato, decerptas §. 3. Monum. Acad. Scient. Pariſ. T. VIII. p. 248. ſqq., multis ex Epiſtolis Regis Siamenſis Oratorum, atque P. Tachardi Soc. J. in Itinere 2. Siam. editis, confirmandam, illuſtrandamque ſuſcepit.

XIX.

XIX. Ex Epistolis itaque Siamensium Oratorum Aerae Christianae anno 1687. die 24. Junii exaratis, notaque obsignatis Mensis 8, die 1. decurrentis anni *Pitosapsosc*, Aerae Siamensis anno 2231, P. Tachardi vero notatis Mense 8, *Plenilunio* 2. anni *Jhob-Napasoc*, Siamensis Aerae 2231, observat Vir doctiss. *Plenilunium* illud contigisse die 25. Junii, *Lunarem* Mensem tum decurrentem fuisse tertium post *Aequinoctium* Vernum, atque primum Vernum post *Aequinoctium* Mensem a die 12. Aprilis ejusdem anni 1687. incepisse, ideoque primum post *Aequinoctium* Vernum Mensem fuisse revera sextum, etsi numeratus sit quintus dumtaxat *Civilis* Anni, cepisseque a die 15. Novembris anni 1686. Eumdem Annum *Embolimaeum*, Mensium 13. idest, fuisse; *Intercalarem* tamen Mensem haud fuisse numeratum observat. Die 20. namque Octobris ejusdem anni *Lunae* 2. anni 2231. dies 15. dinumerata est; inter *Plenilunium* Junii vero, & Octobris quatuor *Lunares* interfuere Menses; quamvis tres dumtaxat in numerum ducti fuerint, utpote a *Plenilunio* Junii Mensis 8, & ab Octobris *Plenilunio* Mensis 11. dumtaxat numerati fuerint Menses: quò fit, ut eo temporis spatio *Intercalaris* quidem intercesserit Mensis, qui tamen haud fuerit numeratus. *Intercalaris* rursus Mensis eo anno 2231. insertus ostenditur ex Litteris Regis Siamensis eodem exaratis anno, Aerae Christianae idest 1687, cum nota diei 3. decurrentis *Lunae* 1. anni *Civilis* 2231: ideoque quum Junii *Luna* fuerit 8. ejusdem anni, *Luna* Decembris fuit 14, quae *Luna* 1. computata est anni sequentis 2232. Quamvis in Litteris aliis a Domino De la Loubere relatis *Luna* undecima Decembris anno 2231, & 2232. tributa legitur: quod indicio esse videtur, argumentoque duplicem etiam Siamensibus usu Annum venisse *Civilem* hoc est, & *Astronomicum*, veluti super. Volum II. de Mens., & Annis Indorum, Malab., Coromand, Indostan., Siamensium, &c. Artic.II. §.XXVIII. p.405. sq. ostensum dedimus, adeo ut eadem sane *Luna*, quae Anni *Civilis* erat prima, *Astronomici* postrema esset, aut penultima.

XX. Altera sequiori apud Siamenses adhibita sub aetate Aera *Astronomica* est; quam ab Aerae Christianae anno

no 638. die 21. Martii, juxta formam *Juliani* anni, quae in Sabbathum incidit, hora 3. matutina in Siamensi Meridiano incepisse multis ostendere adnixus est praelaud. Vir Cl. Cassinus in Not. ad Regulas Astron. Ind. Monum. Acad. Scient. cit. T.VIII. p.216. sqq.; eamque a defuncti Regis Siamensis, a quo *Civilis* instituta Epocha est, Patre inductam fuisse inde facile ostendit P. Ricaudius in Not. ad Siamensem Aeram Monum. Acad. Scient. Parif. cit. T VI. Par.II. p.770. sqq., quod annis 1000. dumtaxat in usu Epocha istiusmodi fuit: Aerae quippe Christianae annus fuisset Aerae *Siamensis* 1050; quo tamen anno, jamque ab annis 50. eadem usurpari Aera desierat: Annus 1051. quippe *Astronomicae* istiusmodi Aerae cum anno 2232. Aerae *Civilis* concurrit, incepitque annus iste a *Luna* 1. die 31. Martii hora 7. minutis 27.' in Meridiano Siamensi. *Astronomica* itaque Aera istiusmodi ex Codice MS. Siamensi de Regulis Astronomiae Indicae a Cassino inde suadetur, tum quod eo in Codice Regula traditur anni decurrentis Menses computandi a Mense 5. in anno *Embolimaeo* Mensium 13, & a Mense 6. in anno *Communi* Mensium 12: quae sane Regula locum habere nequit, nisi duabus in annorum Epochis, quarum una a Mense 5, aut 6, *Astronomica* idest, altera a Mense 1, idest *Civilis*, incipiat; tum quod eodem in Codice altera tradita Regula legitur, Annum reperiendi cujuspiam Natalem, ejusdem aetatem subtrahendo ab annorum numero, qui ab Aera elapsi sunt: nisi enim *Astronomica* in usu fuisset Epocha, unaque *Civilis* usurpata, inanis omnino ejusmodi Regula fuisset: in *Civili* siquidem Aera cujuslibet Natalis annus, ullius absque Regulae ope, liquido, atque statim innotescat. Ex Notis jam vero, quibus eo in Codice Ms. Siamensis Aera isthaec *Astronomica* adfecta legitur, nempe *Sole* in Apogeo existente signo 2, gradu 20, qui fuit in *Geminis* gradus 20, diebus 621. ab Aerae initio, ad regressum Apogei *Lunae* ad initium *Zodiaci* intercedentibus: cujusmodi *Lunae* Apogeus fuit in *Capricorni* gradu 21; *Luna* quippe dierum 621. spatio signa 2, & gradus 9. conficit; ideoque *Lunae* Apogeus, qui annorum $8\frac{2}{3}$ spatio revolutionem perficit suam, annorum 100. intervallo duodecies ad eumdem *Zo-*

diaci gradum regreditur; quumque Aerae Christianae anno 638. die 21. Martii, quae in Sabbathum incurrit, *Lunae* Apogeus fuerit in *Capricorni* gradu 21, *Novilunium* Vernum, sive *Aequinoctiale* eadem die hora 3. matutina in Meridiano Siamensi contigerit; *Sol* vero medio motu in *Arietis* gradu 1. extiterit, atque *Solis* Apogeus in *Geminorum* gradu 20; inde Vir doctiss. conficit hacce Die, Mense, & Anno *Astronomicam* hancce Siamensium Aeram incepisse, eamque annis 5, diebus 278. ab *Izdegerdis* Aera distare *Persica*, quae ab Aerae Christianae anno 632. die 16. Junii exordium auspicata est.

DE EPOCHIS, SEU AERIS

Syrorum, Syro-Chaldaeorum, Medo-Syrorum, Syro-Palaestinorum, Caelo-Syrorum, Syro-Damascenorum, Cyrrhestico-Syrorum, Phoenicum, Syro-Phoenicum, Leuco-Syrorum, Macedonum, Syro-Macedonum, sive Graeco-Syrorum &c.

Articulus IV.

I. AD Urbium, atque Populorum Epochas peculiares explanandas antequam nostra se accingat oratio, rei ordo recte postulare videtur, ut de iis, quae universali Populis usu aliquando venerunt, Epochis sermo imprimis instituatur: qui neque institui recte poterit, nisi prius in eorumdem Populorum Origines, Antiquitatesque inquisitio fiat. *Syriae* itaque nomine hocce loci amplissime sumpto veniebat olim tum *Syria* Tigrim inter, & Euphratem consita, quae ipsa est ארם נהרים *Aram Duorum Fluminum*, idest Mesopotamia, *Aram-Naharaim*, atque פדן ארם *Paddan-Aram* denominata; unde *Aramaei* vulgo hanc inhabitantes partem vocari solebant; tum Syria *Chaldaea*, atque *Media*, proprie *Assyria* pridem adpellata, quae a Septentrione conterminam Armeniam *Majorem* habet, ab Ortu Media concluditur, a Meridie Susiana, & Babylonia, ab Occasu Tigri, atque Mesopotamia; unde Assyrii olim aut *Syro-Chaldaei*, aut *Medo-Syri* denominati sunt,

ſunt, qui ſcilicet vel ad Euphratem, vel ad Tigrim, vel ad Perſidis fines, qua Meridiem reſpicit, Strabone lib. 13 p. 363. teſte, inhabitant Populi; tum Syria *Palaeſtina*, quo pridem nomine Maritimus Syriae tractus, & quidquid Aegypto tenus eſt, intelligi profecto ſolebat; tum Syria *Damaſcena*, quae Palaeſtinae eſt propior, a *Davide* II. Reg. VIII. 6. capta, quaeque proprie ad Caeleſyriam pertinet, cujuſque olim Indigenis *Syro-Damaſcenorum* adhaeſit nomen; tum Syria *Zobaea* צובה, cujus olim Rex *Hadar-Ezer* a *Davide* victus legitur II. Reg. VIII. 3. ſq., & x. 6. ſqq., quaeque cum *Emath Soba*, ſive cum *Chammath Tzoba*, in qua *Tadmor*, forte *Palmyra*, a *Salomone* condita eſt, eadem fuiſſe creditur, II. Paralip. VIII. 3. ſq., eaque Caele-Syriae pars erat; tum Syria *Maacha* ארם מעכה. II. Reg. x. 8, & I. Paralip. XIX. 6, quam potius, quam Urbem Palaeſtinae trans Jordanem, uti Bocharto Geogr. Sacr. lib. 2. cap. 6. Oper. T. II. p. 79. viſum eſt, Regionem verius fuiſſe probat Relandus Palaeſt. illuſt. lib. 1. cap. 24. edit. Ultraj. p. 112, Norimberg. p. 82, quamque contra Ptolemaeum, a quo haud longe ab Orientali Aſphaltididis littore, ac finibus Arabiae Petraeae fuerat poſita, tractum fuiſſe Syriae ſub Hermone Monte in limite Manaſſitidis Transjordaneae, ideoque Caele-Syriae partem fuiſſe, liquidis Deuter. III. 14, & Joſue XII. 5. locis probat Cellarius Geogr. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 12. §. 104. p. 387; tum בת רחב ארם *Bethrehob Aram*, Syria *Rohob*, & *Iſtob*, cujuſce Reges a *Davide* ſubjugati leguntur II. Reg. x. 8. ſqq., Regio ad limitem Palaeſtinae Septentrionalem poſita, Tribuique *Aſeri* tributa, atque cum Sidone conjuncta Num. XIII. 22, Joſue XIX. 28, ac Judic. I. 31, ideoque proprie ad Phoenicem pertinens. Quam in rem ſupracit. praeter Scriptores, conferendus etiam Gatakerus Adverſariorum Miſcellan. Poſthum. cap. 21, ubi de Veteris *Syriae* nominibus nonnulla ſuppeditat, juncto Reiskio in Not. ad Cluverium Introd. Geogr. lib. 5. cap. 20. p. 587. ſq.

II. Proprio itaque *Syriae* nomine heic intelligitur Regio, quae ab Ortu Meſopotamia, & Aſſyria, ſive Chaldaea definita, ab Arctos Armenia, ab Auſtro Arabia Petraea, ab Occaſu Aegypti parte, ab Amano, & Tauro Montibus inter Mare Mediter-

raneum, ac Euphratem in Meridiem procurrit ad Aegyptum usque, Arabiamque Petraeam exporrecta, cujusce de situ, ac dimensione Strabo lib. 16. sub init., Mela lib. 1. cap. 11, ac Plinius lib. 5. cap. 12. Inde *Syri* denominati sunt itaque, qui Regiones hisce definitas limitibus inhabitant, cujusmodi sunt Syria *Inferior*, quae ad Meridiem extenditur; Syria *Superior*, quae ad Septentrionem vergit; *Commagene*, ubi principes Urbes Germanicia, Antiochia ad Taurum, Samosata ad Euphratem, Zeugma; *Seleucis* Regio, ubi Seleucia Pieria, Laodicea ad Mare, Aradus Insula, Antaradus; *Seleucis* Mediterranea, ubi Antiochia ad Orontem, Gephyra, Seleucia ad Belum, Apamea, Emesa, Larissa ad Orontem, Epiphanea, Arethusa; *Cyrrhestica* Regio, ubi Cyrrhus, Heraclea, Hierapolis, Berrhoea, unde *Syro-Cyrrhestici* dicti indigenae sunt; *Chalcidene*, ubi Metropolis Chalcis; *Chalybonitis*, ubi caput Chalybon, sive Chalep, vulgo *Aleppus* credita; *Palmyrene*, ubi princeps Urbs Palmyra haud longe ab Euphrate posita, Thapsacus, hodie Amphipolis; *Caelesyria*, dicta etiam *Syria-Cava*, ac *Syria-Caele*, ubi praecipuae Urbes Heliopolis, Abila, *Lysania* cognominata, Damascus, Laodicea Cabiosa, seu ad Libanum, unde *Caelosyrorum* iis cognomen adhaesit, qui Regionem insedent, quae duobus Montibus *Libano* prope Tripolim, & *Antilibano* prope Sidonem definitur, velut habet Strabo lib. 16. p. 519, quocum facit Plinius lib. 5. cap. 20, quique pag. sq. latius adhuc ad eos *Caelosyrorum* nomen extendit, qui Regionem occupant omnem, quae supra Seleucidem in Aegyptum, Arabiamque recedit, atque Phoeniciae, Arabiae, Samariae, & Galilaeae contigua est, quaeque, ut innui, & *Syria-Caele*, & *Cava-Syria*, sive plana dici solet; *Phoenices*, ubi nobiliores inter Urbes Simyra, Orthosia, Tripolis, Botrys, Byblus, Leontopolis, Berytus, Sidon, Sarepta, Tyrus, Arca, Gabala, unde *Phoenices* sic vel a *Φοινίκοις* a *Palmis* eodem nomine elatis; vel a viro *Φοίνιξ* Tyrio denominato, de quo Sanchoniathon apud Eusebium Praep. Evang. lib. 1. cap. 7, Silius Ital., Stephanus de Urb. p. 347, nosque infra Cap. seq., quum de Coloniis; vel a *Φοίνιξαι*, quod lingua Perrhaeborum in Thessalia significat *Trucidare*, quod nempe Phoenices Maria navigantes obvios in Navibus homines neca-

re

re barbare solerent, derivato nomine; quo de fuse Bochartus Geogr. Sac. Par. I. lib. 1. cap. 1. p. 344. sqq., sic dicti, qui Maritimum inter Seleucidem Pieriam, ac Mediterraneam, atque Palaestinam proprie dictam positum tractum inhabitant, de quo Strabo lib. 16. p. 518; *Syro-Phoenices* vero, qui Mediterraneam incolunt Phoenicem, sive tractum, qui magis a Mari recedit, atque utrumque attingit terminum, qui Syriae Phoenicem adnectit. E Syria deinde abductis, deductisque longe Colonis, *Syrorum* vetus, cum novo Regionis adquisito, mansit nomen. Itaque *Liby-Phoenices* ii adpellati deinceps sunt, qui commercii caussa in interiorem Africam penetrarunt, ibique demorati mixtum Afris Punicum genus, atque cognomen adepti sunt, uti Livius observavit Dec. 3. lib. 1. cap. 7, vet. edit. cap. 22. *Leuco-Syri* nuncupati leguntur illi Syro-Phoenices idest, sive Phoenices ipsi, quos in Pontum, & ad Maeotidem usque Paludem, aut Bosphorum enavigasse explicite tradit Lucianus in *Toxari* T. I. p. 594, quique Cappadociae a Tauro ad Pontum usque Euxinum incumbunt: quae duas olim Regio in Satrapias a Persis, in duo post Regna a Macedonibus divisa fuerat, quarum una Cappadocia ad *Taurum*, sive *Magna*, altera Cappadocia ad *Pontum*, sive *Pontica* dicta, qua de Strabo lib. 12. sub init., hi, inquam, Herodoto lib. 1. capp. 6, & 72, Strabone lib. 12. p. 374, ac Plinio lib. 6. cap. 3. testibus, a Graecis *Leuco-Syri*, hoc est *Syri Albi* denominati sunt, tam ii nempe, qui Cappadociam incolunt ad Pontum Euxinum, circa Thermodoontis fluvii ostia, quam & ii, qui Cappadociam insedent ad Austrum prope Ciliciam, ad Pyrami fluvii fontes, qui Stephano Byzant. teste prius *Leucosyrus* fuerat adpellatus. Ad haec qui *Macedones* antea, sic a *Macedone* filio *Lycaonis* Emathiae Regis, Aeliano de Animal. lib. 10. cap. 48. teste, sive a *Macedone Aeoli* filio, *Deucalionis* nepote, testibus Hellanico, ac Stephano de Urb. p. 196, sive a *Macedone Herculis* filio, Diodoro lib. 1. p. 12. teste, dicti sunt, Regiones ab Occasu Jonio Mari, ab Aquilone Scardo Monte, & Orbelo, ab Ortu Mari Aegeo, ab Austro Thessalia, & Epiro definitas, atque conclusas, incertis olim sedibus, inhabitantes, a *Philippo* Rege demum inco-

incolere Urbes jussi, legibusque instructi sunt, velut ejsdem *Alexander* exprobrasse legitur apud Arrianum lib. 7; iidem postea *Syromacedones* dici exinde cepere, quo Syriam postquam occupassent, suis una cum institutis, Legibus, Colonisque, *Syriae* Populis nomen induxerunt, ipsique *Syriae* vicissim iniquilini facti, inde quoque nomen induerunt.

III. Hisce jam vero Populis universim principio unam, eamdemque profecto *Alexandraeam* usu Aeram venisse, qua perinde abrogata, peculiaribus aliis, pro Gentis cujuslibet ingenio, & placito, locus est factus, queis de infra agendum proprio erit loco; atque postinde hisce quoque abjectis, Epocham *Augustaeam* ambabus admissam ulnis fuisse, quum res omnem profecto extra dubitationis aleam posita sit, de generali hac utraque proinde agere prius Aera oportet, qua m ad singulares Urbium ab his inhabitatarum Epochas nostra se transferat oratio. Atque principio duplex quidem *Alexandraea* distingui Aera vulgo solet; prima, quae *Philippica* etiam dicta est, non a *Philippo* utique *Alexandri* Patre, uti falso visum Scaligero de Emend. Temp. lib. 2. p. 83, & lib. 5. p. 423; bene vero a *Philippo Alexandri* fratre, cognomento *Aridaeo*, uti docent Justinus lib. 13. cap. 13. cap. 3, Diodorus lib. 18. p. 582, ac Theo in Canone Regio Astronomico, & in Fragm. ad Canones Ptolemaicos Astron. apud Dodvvellum in Adpend. ad Differt. Cyprian. §. 29. p. 150. sq., 164, & 169, prima, inquam, ab *Alexandri* M. obitu petita, quae Ptolemaeo in Almag., Theoni in Can. Astron., ac Aegyptiis praesertim usu Astronomis venit, adeo ut Annus ejusdem primus, non a die utique *Alexandri* emortuali, sed a Neomenia *Thot* anni Aegyptiaci, in quo *Alexander* vivendi finem fecerat, exordium ceperit, velut expresse observatum est Censorino de die Nat. cap. 21. Quo porro anno prima isthaec *Alexandraea* injerit Epocha, lis est inter Chronologos necdum composita. Namque Scaligero de Emend. lib. 1. p. 84, Petavio de Doctr. Temp. lib. 10. cap. 33. sqq., & Rat. Temp. Par. II. lib. 3. cap. 12., Ricciolio in Chron. Refor. T. I. lib. 3. capp. 4, & 7, Langleio in Tabul. Chron. T. I. edit. Ven. p. 175, Froelichio in Annal. Reg. Syr. Proleg. Par. I. cap. 3. p. 13, & Annal. p. 2, De Vignolio Chron.

lio Chron. Hist. Sac. T. II. lib. 6. cap. 4. p. 700, aliisque persuasum est, *Alexandrum* obiisse die 19. Julii Periodi Julianae anno 4390, Olympiadis 114. anno 1, U. C. 430, Nabonassari 424, ante Christi natalem 324, ante Seleucidarum Aeram 12; istoque anno ideo Neomeniam *Thot*, sive Aerae istiusmodi primae annum primum ineundum esse. Quod ex Ptolemaei, ac Theonis calculo probare nituntur, quibus a Neomenia *Thot* anni 1. Nabonassari, quae in Februarii diem 26, Periodi Jul. 3967. incidit, ad obitum *Alexandri*, sive ad Neomeniam *Thot* anni *Alexandri* emortualis anni computantur Aegyptiaci 424, qui annos efficiunt Julianos 423, diesque 259, quique putati ab anno Periodi Jul. 3967, die 26. Februarii desinunt in Novembris diem 11, Periodi Jul. annum 4390, Olymp. 114. annum 1, ante Christi natalem 324, ante Seleucidarum Aeram 12.

IV. Verumtamen Usserius in Annal. Vet. Test. p. 209. sqq., eumque pone sequuti Ludovicus du Four Longuerue de Var. Epochis Vet. cap. 2. p. 46. sqq., Pagius in Appar. Chron. ad Annales Baronii n. 25. edit. Luc. p. 335, Corsinius in Dissert. Agonisticis dissert. 3. *Nemea* §. 9. p. 63. sq., & in Fastis Atticis T. IV. ad Olymp. 114. p. 50. sqq., aliique *Alexandri* M. obitum consignandum fore haud dubitant Maji die 21, aut 22, anni Periodi Jul. sq. 4391, Olymp. 114. anno 1. exeunte, U. C. 431, Nabonassari 425, ante Christi natalem 323, ante Seleucidarum Aeram 11. Ast Aegyptios Astronomos, facilionis calculi gratia, ad annos suos tum adhuc vagos Aeram hancce primam ab se excogitatam accommodantes, Neomeniam *Thot* a Mense 7. ante obitum *Alexandri*, quae tum in diem 12. Novembris inciderat, fuisse auspicatos; atque ita ab hac ipsa die 12. Novembris Aerae *Philippicae* initium ducere Albategnium, Alfraganum, Arabesque alios observant; qua ipsa Aera quoque usum Auctorem Chaldaeum Codicis Nitriensis Vatic. 1. vitae S. Theodotae Martyris adnotat Cl. Stephanus Evodius Assemanus in Actis SS. Martyr. Occident. T. II. in Admonit. praevia p. 213. sq. Probant id vero nobilis Doctiss. illorum Virorum quadriga testimonio cum Josephi adv. Appion. lib. 1, tum Eusebii Demonst. Evang. lib. 8. vers. Georgii Trape-

Trapezuntii p. 133, & in Chronico verſ. S. Hieronymi Oper. T. VIII. edit. Vallarſii p. 535, a quibus *Alexandri* obitus anno 1. Olymp. 114. illigatur, exeunti nempe; ubi conferendus Vallarſius in Not.; notat vero Longuerue mendum in Codicem irrepſiſſe S. Hieronymi, aut S. Hieronymum mendoſo Euſebiano Codice uſum, dum in Daniel. Cap. IX. Oper. T. V. p. 686. legit Olympiadem 113; Arriani item de Expedit. Alex. lib. 7. ſub finem, ac Diodori lib. 17. ſub fin. auctoritate ſcribentium Olympiade 114. ineunte, Archonte Athenis *Hegeſia Alexandrum* objiſſe; Diodori iterum lib. 18. p. 584. ſq., ac liquido Juſtini lib. 12. cap. 15, & lib. 13. cap. 5, teſtimonio, qui litteras *Alexandri* ab India regreſsi ad Graecos inſcriptas, lectaſque in Olympico Agone referunt: quibus fit, quod Olymp. 114. anno 1. ad finem vergente, *Daeſii* Macedonici die 28, ſive *Thargelionis* Attici die 6. *Alexander* e vivis exceſſerit, ut habent Ariſtobulus apud Arrianum loc. cit., Aelianus Var. Hiſtor. lib. 2. cap. 25., ac Diaria apud Plutarchum in Alex., qui ſane Olympiadis 114. annus 1. exiens in Periodi Jul. annum 4391, Urbis Romae 431, Nabonaſſari 425, ante Chriſti natalem 323, ante Seleucidarum Aeram annum 11. incidit.

V. Altera, quae de *Alexandri* quoque nomine inſigniri Epocha ſolet, priori illa *Philippica* longe celebrior, atque frequentior, eſt Aera *Seleucidarum*, derivato a *Seleuco Nicatore*, ideſt *Victore*, nomine, dicta etiam a Gente *Graecorum*, locoque *Syro-Macedonum*: quae exordium ducit ab anno 12. poſt obitum *Alexandri*, quo a *Seleuco Nicatore* nova in Aſia, non qua Syriam Superiorem Euphratem, ac Taurum inter, & Mediterraneum Mare, ac Caeleſyriam, neque qua cis-Euphratenſem Syriam complectitur, ut Harduino in Chron. Vet. Teſt. p. 575. ſq., & p. 581. ſq. perſuaſum eſt, qua poſtrema quoque *Nicator* Regni anno 11. dumtaxat, ideſt Olympiadis 119. anno 4, ante Chriſti natalem 301, U. C. 453. potitus eſt, qua de re abunde Noriſius de Epochis Syromaced. diſſert. 2. cap. 1. Oper. T. II. edit. Veron. p. 70. ſqq.; ſed qua Superiores Aſiae Satrapias apud Babyloniam quammaxime comprehendit, nova, inquam, in Aſia Monar-

Monarchia instituta est, anno idest Periodi Jul. 4402, Olympiadis 117. anno 1, U. C. 442, ante Christianam Aeram 312, qua de Aera Eusebius Demons. Evang. lib. 8. p. 133, & in Chron. ad an. 1. Olymp. 117, Abrahami 1075, (quos a Kalendis Octobris, non Septembris, uti Pagio dictum ad an. 101. n. 6, exordiri solet Eusebius), Oper. S. Hieron. T. VIII. p. 540, S. Hieronymus in Daniel IX. Oper. T. V. p. 686, ac Syncellus in Chronog. p. 264. sq., & 274. edit. Paris., Ven. p. 210. sqq., & 218. Aeram hanc ergo, qua de multa non congeram, sparta ista siquidem a Viris doctiss., atque Norisio quammaxime, abunde exornata jam fuerit, cepisse ab *Autumno*, ejusque Mensem primum, ab Autumnali *Aequinoctio* incipientem, non utique *Dium*, ut aliquibus persuasum est, sed *Hyperberetaeum* fuisse demonstratum liquido dedit Emin. Norisius de Epochis Syromaced. dissert. 2. cap. 1. p. 72. sqq. tum Ulug Beighi de Epoch. Celeb. testimonio, qui capp. 2, & 4. *Graecam* hanc Epocham a morte *Alexandri* anno 12. cepisse indubitanter adfirmat, Aeraque priorem *Arabica* diebus 340700, *Persica* vero diebus 344324. adstruit. Jam vero Epocha *Arabica*, idest *Hegira* injit anno U. C. 1375, Aerae Christianae 622. die 15. Julii; a Kalendis autem Octobris anni U. C. 442. ad Kalendas Octobris anni U. C. 1375. intercedunt anni Juliani 933, qui efficiunt dies 340778, a quibus demptis diebus 78, habebitur dies 15 Julii, quo Epocha *Arabica* incepit. Epocha item *Persica*, hoc est *Izdegerdis* die 16. Junii U. C. anno 1385, Aerae Christianae 632. incepit, Alfragano, Alkabitio, Albumansaro &c. testibus apud Ricciolium in Chron. Reform. lib. 5. cap. 11. n. 2, Herbelotum Bibl. Orient. p. 485, & 857, ac De Guignesium Hist. gen. Hun. T. I. in Tab. Epoch. Orient. p. XLIV. sq.; a Kalendis vero Octobris anni U. C. 442. dies numerando 344324. pervenietur ad diem 16. Junii anni U. C. 1385, sive Christi 632. Nummis praeterea ejusdem Aerae caput Norisio demonstratum est; tribusque praesertim, atque primo *Hadriani* in Gaza Medicea obsignato a *Tripolitis* anno *Seleucidarum* HKY, 428: siquidem vero *Hadrianus* imperium Augusti die 11. adjecerit, U. C. anno 870, Christi 117, inde retroducti anni 428.

in annum incidunt U.C. 442, ante Christi natalem 312, indeque Epocham istam *Autumno* ejusdem anni cepisse fit evidens. Secundo *Antonini Caracallae* Nummo ab *Emisenis* cuso anno ΗΚΦ. 528. *Seleucidarum*: qui ab Octobri anni U.C. 442, ante Christianam Aeram 312. ducti finiunt in annum Christi 216, U. C. 969; insequente vero anno U. C. 970, Christi 217. die 8. Aprilis *Caracalla* interfectus fuit. Quo liquido patet Epocham *Seleucidarum* haud incepisse ab Octobri anni U. C. 443, ante Christi natalem 311, ut nonnulli volunt: nam alioquin *Emisenorum* annus 528. desjisset in annum U. C. 970, Christi 217; quo ipso ante Menses 6. *Caracalla* vivendi finem jam fecerat. Tertio *Antonini Elagabali* Nummo in Museo Josephi Magnavaccae Bonon. *Tripoli* etiam scalpto anno ΓΛΦ. *Seleucidarum* 533: quumque *Elagabalus* Mense Martio anni U.C. 975, Christianae Aerae 222. interfectus fuerit, inde patet annum 533. cepisse ab *Autumno* anni Christi 221, U. C. 974, ideoque Aerae initium ab anno U. C. 442, ante Christi natalem 312. non esse removendum. Videndi Norisius cit. Differt. 2. cap. 1. sq., ubi Nummis aliis idipsum egregie confirmat, atque Froelichius in Proleg. ad Annal. Reg. Syr. Par. III. cap. 2. p. 38., sqq. quo loci Aerae istiusmodi exordium multis Seleucidarum Regum Nummis illustrat, in tutoque collocat: queiscum conferendi Petavius Doct. temp. lib. 10. cap. 40. sqq., ac Ricciolius Chronolog. Reform. T. I. lib. 3. capp. 4, & 7, ubi Aeram hanc, ejusque cardinem Eclipsium etiam ope demonstrant, atque corroborant.

VI. Aera jam vero isthaec *Contractuum* Judaeis nuncupari consuevit ideo, quod eadem in Contractibus, ac Nundinis publicae Tabulae, privataeque Epocha ista obsignari ipsis occeperint, eademque retenta apud ipsos post etiam fuerit, quam sub *Simone Macchabaeo*, Seleucidarum excusso jugo, nova ab anno 1. Regiminis ejusdem *Simonis* usurpari cepit: qua de utraque Epocha explicitissimus est locus geminus Macchab. lib. 1. cap. 13. v. 41. sq., & cap. 14. v. 27. Tam vero Judaeis, quam Syris generali vocabulo Aera *Graecorum* denominari olim solebat, veluti Scriptoribus utriusque libri Macchabaeorum, ita tamen, ut anni Aerae istiusce caput *Nisan*, sive *Xanthicus* Syromacedonum aliis constitutus sit, annum idest ab *Aequinoctio* Verno incipientibus,

novam

novam juxta Anni *Sacri* Judaici formam institutum; atque hancce quidem sequutus est Scriptor libri 1. Macchab. cap. 6. v. 20. sqq., ipsumque sequutus Josephus; aliis vero, juxta formam veteris Judaici Anni *Civilis*, istiusmodi Aerae initium a Neomenia *Thisri*, sive ab *Hyperberetaeo* Syro-Macedonico, ab Autumnali nempe *Aequinoctio*, prout ipsis *Seleucidis* incepta fuerat, retinendum fore visum est; atque ita Scriptori lib. 2. Macchab. cap. 11. vers. 29. sqq. usurpata fuit. Quo pacto duo Scriptores illi Sacri, vel Dodvvello de Cyclis p. 433, velque Basnagio Hist. Jud. Par. I. T. II. lib. 2. cap. 5. §. 7. sqq. edit. Hagaecom. p. 93. probe conciliantur; quin opinionem amplecti cogamur Scaligeri de Emend. Temp. lib. 5. p. 431. sq., ac Usserii in Annal. Vet. Test. p. 235. in fine existimantium *Antiocho* V. *Eupatori* litteris signandis, quarum mentio Scriptori lib. 2. Macchab. cap. 11. fit, usui Aeram venisse *Chaldaicam*, quae anno integro *Syro-Macedonica* posterior, seriorque est: id siquidem insolens *Seleucidis* omnino fuisse putandum sit, Aera uti *Chaldaica* eos voluisse Syris inusitata. Qua de re conferendi Norisius de Epoch. Syromaced. dissert. 2. cap. 1. p. 78. sqq., Longuerue de Var. Epoch. Vet. cap. 2. §. 4. p. 52. sqq., ac Froelichius quammaxime in Proleg. ad Annal. Reg. Syriae Par. II. cap. 2. sqq. p. 22. sqq., ubi pugna, siqua utrumque inter Scriptorem istum videatur intercedere, approbe composita est, rationesque, siqua turbatae videri queant, temporum optime digestae sunt, atque ordinatae. Huicce porro *Contractuum* Aerae adhaesisse Judaeos usque ad annum Aerae Christianae 1040, observat Worstius in *Tzemach David*, & apud ipsum Rabbi Azaria, quoad usque nempe undique ab Oriente pulsi, in Occidentem, Hispaniam, puta, Gallias, Angliam, Germaniam, Italiam &c. se recipientes a Christianis rationem annos computandi a *Creatione* Mundi desumpserunt: ita tamen ut annus 1. a *Creatione* Mundi ipsis sit annus Periodi Julianae 953, juxta Worstium ab *Aequinoctio* Autumnali inceptus, aut 1142, juxta Scaligerum, juxta alios 1202: qua de re alibi me copiose disputare memini.

VII. Ad haec denominari Aera isthaec Arabibus solet *Tarick Dzul-Karnain* a duobus Cornibus idest, per quae aut

duo Regna majora Arabiae vicina, Aegypti, ac Syriae; aut duo Cornua *Alexandri M.*, qui *Jovis Hammonis* filius credi voluit, testibus Athenaeo Deipnos. lib. *6*, Abulfaragio Dynast. *5*, & Clemente Alex. in Protrept., unde Inscriptio apud Philostratum de vita Apollonii lib. 11. cap. *6*; ac Nummi apud Spanhemium de Praest. Num. edit. Rom. p. 101. sq., alias T. I. dissert. 7. §. 2, & Froelichium in Annal. Reg. Syr. p. 3. sq. extant cum effigie *Alexandri Cornigeri*, aut epigraphe *Hammonis* filii. Quamquam Arabes haec aut ignorasse, aut omnem in *Alexandro* Idololatriae memoriam execratos fuisse observat Steph. Evodius Assemanus in Actis SS. Martyr. Orient. in Admonit. praevia ad Martyrium S. Jacobi Intercisi T. I. p. 241. sq., ideoque longe verius arguit Arabibus *Unicornem Alexandrum* fuisse adpellatum, quod ex Daniele didicissent Graecorum Regem Persici eversorem Imperii *Hircum* cognominatum, *Bicornem* vero, quod duo *Solis* cornua, Orientem scilicet, & Occidentem *Alexander* obtinuerit. Inde ad ejus Successores cum Imperii dignitate transjisse eadem quoque capitis insignia, *Cornua* videlicet, adparent in Nummis *Seleuci*, *Antigoni*, *Ptolemaeorum*, *Lysimachi*, & *Tryphonis* apud Villalpandum, Spanhemium, Vaillantium in Hist. Reg. Syr., Froelichium p. 11. sqq. &c., adeo ut, Paulo Veneto referente lib. 1. cap. 25, Provinciae *Balaxiae* Reges, qui ab *Alexandro* genus se ducere gloriabantur, de *Alexandri* cognomine se *Dzulkarneaim*, sive Δικέρωτος *Bicornigeros* adpellare delectarentur: quo de *Cornuum* insigni Syriae Regum proprio facto plura dabunt Spanhemius dissert. 5, Vaillantius Hist. Reg. Syr. p. 37, & 151, ac Longuerue de Var. Epoch. cap. 3. §. 9. p. 112. sq. Atque hinc utique profectum opinor, ut alios silentio premam, quod in singulari *Seleuci* I. *Nicatoris* Nummo apud Haymium Thesauri Britan. T. I. p. 28, ac Froelichium in Annal. Reg. Syr. p. 13, & Regum Veter. Num. Anecd. p. 37, ipsius Caput Taurinis duobus Cornibus exornatum adpareat: *Alexandri* nempe exemplo, gemina pro symbolo Cornua ab ipso adsumpta fuisse. Quamquam neque repugnabo, si qui *Taurina* tulisse *Seleucum* Cornua velit vel a *Robore*, quo Taurum in Sacrificio *Alexandri* obluctantem domuit, Appiano in Syriacis p. 124. teste, juncto Suida Lex. T. II. p. 296; vel a *Baccho*, cujus ipse cultui addictus erat; cujusque

jusque Imago Taurinis adornata Cornibus tam in Nummis, quam apud Scriptores Euripidem in Bacch., Nonnum Dionys. lib. 12. v. 201, Plutarchum de Isid., Diodorum lib. 3. cap. 5. p. 104, Athenaeum lib. 15, Hesychium &c., ideo nempe quod, bubulis in Conviviis ad vina compotanda uti Cornibus Veteres solerent, testibus Athenaeo loc. cit., Xenophonte Cyroped. lib. 6. in fine, Dydimo, ac Eustathio ad Iliad. 8, & 13, Nemesiano Eclog. 10, Plinio lib. 11. cap. 37. &c.; vel a *Regia* potentia, cujusce symbolum apud Chaldaeos, Phoenices, Hebraeos &c. fuisse Cornua liquet ex Daniele VII. 24; vel a *Jo* filia *Inachi*, cui Statua in Urbe Nino ditionis *Seleuci* duobus instructa Cornibus posita fuerat, Philostrato referente in vita Apollonii lib. 1. cap. 18; cujusque ad honorem, atque imitationem gemina pariter aeneae *Seleuci* Statuae *Taurina* Cornua ab Atheniensibus adjuncta fuisse refert Libanius in *Antiochico* p. 349. edit. Paris. 1647. Videndi, qui de Cornibus Diis, Heroibus, ac Regibus apponi solitis erudite prae aliis agunt Spanhemius de Praest. Num. T. I. dissert. 7. p. 387, Haymius Thesau. Britan. T. I. p. 28. sq., De Wilde in Num. Select. p. 29. sq., & p. 70. sq., Froelichius in Vet. Regum Num. Anecd. p. 37. sq. &c. Arabibus denique Astronomis, veteribusque apud eos Scriptoribus Aerae istiusmodi capui a die 6. Septembris, Feria 5. ante Christi natalem anno 310. deduci olim consuevisse observat Herbelotus in Bibl. Orient. p. 857, sicut & a Chaldaeis, aliisque Syris ab anno 311. inchoari solitam alibi ostendimus.

VIII. Unicam jam vero istam *Syromacedonum* Aeram, sive *Seleucidarum*, usu pridem venisse, nunc ut de Judaeis, Chaldaeis, Assyriis, Syro-Medis, Parthis, Mesopotamenis, seu Aramaeis, Aegyptiis, Arabibus, Aethiopibus, aliisque, queis de abunde me loqui alibi memini (*Memini* porro verbum cum praeterito non conjungendum, sed cum praesenti monuit Agraetius de Orthog., & propriet. Serm., conferendus tamen Achilles Statius Observat. difficil. locor. cap. 15.), taceam, deque Urbibus, in quibus eadem *Syromacedonum* Aera procul dubio frequentata est, utpote quae a *Seleuco* I. *Nicatore* aut conditae, aut instauratae, aut nova Graeca eisdem indita fuere nomina, cujusmodi fuere in *Parthia* Sotera, Calliope, Charis, Hecatompolis, Achaja; in *Media* Laodicea, Apamea,

mea, Rhaga; in *Mesopotamia* Nicephorium; in *Armenia* Nicopolis; in *Scythia* Alexandrescata, queis de Strabo lib. 16. p. 516; & Appianus in Syriac. p. 201, nosque abunde, opinor, alibi disputavimus; taceamque de Urbibus aliis in *Decapoli* Pella, Philadelphia, Capitoliade, Scythopoli, Gadara, & Hippo, quam utramque *Antiochiam* fuisse adpellatam, forte ab *Antiocho* III. *Magno*, refert Stephanus, usu, inquam, venisse Syris, Commagenis, Seleucidensibus, Euphratesiis, Cyrrhesticis, Chalybonitidis, Chalcidicis, Palmyrenis, Coelosyris, Phoenicibus, Syro-Phoenicibus, Leuco-Syris, Bithynis, Cappadocibus, Paphlagonibus &c.; neque ab hac alteram in Urbibus ab hisce Populis inhabitatis adhibitam pridem Epocham fuisse, multis oppido indubium fit. Atque frequentatam utique fuisse *Germaniciae*, in Commagenes Urbe nempe in confinio trium Provinciarum Ciliciae, Syriae, & Cappadociae posita, quam *Caesareae* nomen etiam praetulisse in Nummis *Juliae Domnae*, & *Juliae Mamaeae*, *Severi*, & *Pescennii* observant Holstenius in Notis ad Stephanum de Urb. p. 84, Spanhemius de Praest. Num. p. 590, ac post ipsos Cellarius Geogr. Antiq. T.II. lib. 3. cap. 12. §. 7. p. 338; *Caesareae* quoque ad Libanum, *Arcae* pridem ab *Arco* filio *Chanaam* aedificatae, S. Isidoro teste Etymolog. lib. 15. cap. 1, dictae, ubi *Alexandro M.* Templum olim dicatum fuisse refert Lampridius in Alex. Severo, a *Julio* Caesare postea suo de nomine adpellatae, raro, insignique liquet ex Nummo *M. Aurelio*, patre *Antonino* Pio in vivis adhuc agente, inscripto cum Nota HNY anni 458. apud Haymium Thes. Britan. T. I. p. 255. sqq., qui *Antonini Pii* fuit annus 18, Aerae Christianae 134. Eadem Seleucidarum Aera usu perinde *Antiochiae* ad Taurum venit; *Samosatae* item ad Marsyam fluvium, quae Commagenes fuit caput, Plinio teste lib. 5. cap. 24, Regiaque *Antiochi* sedes, teste Strabone lib. 16. p. 516; *Singae* quoque inde patet, quod tota in *Commagene*, medio deinde aevo *Euphratesia* dicta, Provincia una isthaec *Syromacedonum* Aera obtinuerit. Quam obtinuisse perinde *Seleuciae* ad Pierium Montem, unde Provinciae universae *Seleucidis Pieriae* nomen adhaesit, de *Seleuci Nicatoris*, a quo non condita, sed amplificata, munitaque Urbs fuit, nomine dicta, Strabone teste

lib. 16.

lib.16. p. 517, liquet ex Nummo *Alexandri* I, cognomento *Theopatoris*, idest *Deopatre* nati, ex *Antiocho* IV. nempe, *Theo Epiphane* dicto, vulgo *Balae* obsignato ϛΞP. anno 166. apud Vaillantium Hist. Reg. Syr. p.262, ac Froelichium Annal. Reg. Syr. p.67, qui Regni *Alexandri* fuit annus 4, ante Christi natalem 147. ab Autumno inceptus; alteroque *Antiochi* IX. *Cyziceni* Seleuciae Pieriae, velut ostendit *Fulmen* Urbis insigne, quo de multa egregie disputat Vir doctiss. Longuerue de Var. Epoch. cap.3. §.9. p.112. sq., procuso Nummo cum Notis ΘqP. anni 199, qui fuit Regni *Antiochi* annus 3, Christianam ante Aeram 112. ab Autumno injens apud eosdem Vaillantium p.348, ac Froelichium p. 99. Posthac vero, *Seleucidarum* idest anno 204, U. C. 645, ante Christi natalem 109. novam ab *Autonomia* a Syriae Regibus impetrata Epocham *Seleuciae* fuisse institutam suo infra loco palam fiet. Adhaec vero sicut *Antiochiae*, sic etiam *Seleuciae* Epocham tum *Pompejanam*, tum *Caesarianam*, tum *Augustaeam* inductam fuisse paullo inferius in aprico ponemus: sed quae non diu obtinuere; namque postrema *Augustaea* sub *Tiberio* antiquata, priscam *Syro-Macedonum* non utique, uti nonnemini visum, bene vero *Caesarianam*, aut *Pompejanam* tam *Antiochiae*, quam *Seleuciae* fuisse instauratam discimus ex insigni Ludovici Borbonii Cenomanensis Ducis Nummo Seleuciae cuso, ac signato BC. anno 202. *Seleuciensium*, qui fuit U. C. 907, aut 892, Aerae Christianae 154, aut 139, apud Norisium de Epochis Syrom. p.280: quò faciunt praeterea Nummi complures alii *Autonomia* obsignati apud Spanhemium de Praest. Num. p.289. sq., qua de re fusius infra.

IX. In eadem Seleucide Pieria eamdem *Syro-Macedonum* Epocham *Laodiceae* ad Mare fuisse usurpatam arguere fas est ex Nummis *Alexandri* I. *Balae*, & *Antiochi* VIII. *Grypi* apud Froelichium Annal. p.65, & 93, qui Laodiceae scalpti videntur, unus Seleucidarum anno 164, *Alexandri* 2; alter vero 189, *Antiochi* 2, quo Laodicea potitus fuerat. Usurpatam & *Aradi* Insulae, & *Antaradi* Urbis eidem Insulae adversae docent nos Strabo lib.16. p.519, ac Livius lib.35, sive Decad. 4. lib.5. cap.36, ubi tam Aradios, quam Antaradios Sy-

Syriae Regibus obtemperasse liquido tradunt. In Seleucidis etiam Mediterraneae Provincia eamdem diu *Syro-Macedonum* Aeram obtinuisse, & *Antiochiae* quidem ad Orontem docemur Nummis ibi cusis cum notis ΖΣ. anni 207, ΑΚΣ. 221, Αὐτονόμου titulo adjecto, ΓΚΣ. 223, ϛΚΣ. 226, & ΑΛΣ. 231. apud Spanhemium, Harduinum Num. Popul. illust. p. 612, ac Froelichium p. 103, 111, 113, & 117. *Seleuciae* item ad Belum, inde licet inferre, quod in caeteris *Seleucidis* Urbibus eamdem obtinuisse Aeram indubium sit. Ita namque *Apameae* ad Orontem, seu Axium, velut innotescit ex Nummo *Alexandri* I. *Balae* notato litteris ΓΞΡ. anni 163; alteroque cum *Jovis* effigie Apameae scalpto, nota ΖΛΣ. anni 237, ac epigraphe Ι'ερας καὶ Α'σύλε apud Harduinum p. 24. sq., 600, & 612, Froelichium p. 64, & 117, ac Norisium p. 84. sqq., ubi ab Auctore Chronici Alex. ad an. 3. Olymp. 117, U. C. 444. p. 171. edit. Paris., Ven. p. 137. biennio erratum observat, dum ab eo anno Annos *Apameenses* numerare suos occepisse scribit, qui cum Syromacedonibus aliis ab Olympiadis 117. anno 1, U. C. 442. inchoabant; ibique recte animadvertit *Apameam* a primis Macedonibus *Pellam* fuisse nuncupatam, referente Strabone lib. 16. p. 517, postea de *Apameae* Uxoris, non Matris, quae *Laodice* fuit, ut perperam scripsit Stephanus de Urb. p. 38, emendatus ibidem ab Holstenio, nomine a *Seleuco Nicatore* cognominatam *Apameam*, ideoque supina hallucinatione *Pellam* hancce cum altera *Pella* in Decapoli Syriae a Casaubono in Not. ad Strabonem fuisse confusam. Ita *Emesae* & istam obtinuisse Aeram liquido docent Nummi *Caracallae* apud Harduinum p. 53. sq., ac Norisium p. 98. sqq. cum Notis annorum ΚΦ. 520, ΕΚΦ. 525, ΖΚΦ. 527, & ΗΚΦ. 528, qui ducti ab anno U. C. 442. incidunt in annos U. C. 962, 967, 969, & 970. ab Autumno inceptum, quo postremo Aprilis die 8. inter Edessam, & Carrhem interfectus *Caracalla* fuit. *Epiphaniae* in Syria etiam, (nam altera in Cilicia erat). eadem usurpata Aera inde arguitur, quod ab *Antiocho* IV. *Epiphane* nomen acceperit, qua de S. Hieronymus in Daniel. xi. *Larissae* quoque, inde suadetur, quod Graecum eidem a *Seleuco* I. *Nicatore* inditum fuerit nomen, Appiano teste in Syr-

Syr. p. 201; quod ipsum de *Leucadia* intelligi debet a Plinio lib. 5. cap. 23. non longe inde posita. *Arethusae* item in Syria *Cassiotide*, (nam altera in *Macedonia* erat), Plinio teste lib. 4. cap. 10, inde fit evidens, quod eadem a *Seleuco Nicatore* condita Urbs, Graecoque donata nomine fuerit, Appiano teste loco ante indicato.

X. In *Cyrrhestica* Syriae Regione altera haud ignobili, *Cyrrhi*, unde Regioni toti nomen adhaesit, a Judaeis e Captivitate reducibus in *Cyri* honorem conditae, nominataeque Urbis, Procopio teste de Aedif. Justin. lib. 2. cap. 11. Byzant. T. II. p. 49. edit. Paris., Ven. p. 425, Gennadio vero referente de Script. Eccles. cap. 89, a *Cyro* ipso conditae, suoque de nomine cognominatae, ab hacce *Seleucidarum* Epocha haud alteram olim adhibitam fuisse ex *Alexandri* I. *Balae* Nummo gemino fit manifestum, una cum *Alexandri*, & *Jovis* effigie, ac epigraphe Κυρρηστῶν *Cyrrhensium*, obsignato litteris ΔΞΡ. anno 164. apud Vaillantium Hist. Reg. Syr. p. 266, Norisium de Epoch. Syrom. p. 129, Harduinum in Chron. Vet. Test. p. 600, ac Froelichium Annal. Syr. p. 64. *Heracleae*, quo duas cognomine in Syria de Macedonicae *Heracleae* nomine a SyroMacedonibus adpellatas Urbes Ptolemaeus in Geogr. lib. 5. cap. 15. ponit, ex Nummo patet *Antigoni*, de quo Froelichius Annal. p. 11. *Bambyce*, Syris olim *Magog*, a *Seleuco Nicatore* deinde *Hierapolis* dictae, testibus Plinio lib. 5. cap. 23, & Aeliano Hist. Animal. lib. 12. cap. 11, a Deae *Syriae*, idest *Athergatis*, Judaeis *Astartis*, Luciano de Dea Syria sub initio teste, *Junonis* Assyriae, sive *Veneris* delubro nobili celebratissimae, tum inde constat, tum ex Nummo *Alexandro* I. *Balae* ibi scalpto apud Froelichium p. 65. *Berrhoeae*, quae *Chaleppus*, hodie *Aleppus* commercio celebris Urbs, credita est Nicetae Choniatae in Johanne Comneno cap. 7. p. 19. edit. Paris., Ven. Byzant. T. XII. p. 15, Zonarae Annal. T. II. in Romano Lecapeno lib. 16. cap. 23. p. 197. edit. Paris., Ven. Byzant. T. X. p. 155, & Nicephoro Callisto lib. 14. cap. 39, hosque pone sequutis Holstenio in Not. ad Steph. p. 65, Harduino in Num. Urb. illust. p. 33, Bunoni in Not. ad Cluverium Introd. Geog. lib. 5. cap. 22. p. 607, aliisque, inde sua-

deri poteſt, quod de *Berrhoeae* Macedonicae nomine a *Seleuco Nicatore* Urbs denominata Appiano in Syr. p.201. dicatur: quod & efficacius ſuadet Inſcriptio *Berrhoeae* reperta, qua de infra, *Syromacedonum* Epocha inſignita. In *Chalcidene*, cui Regioni e *Chalcide* ad Belum poſita Urbe primaria cognomen inditum, eamdem pariter *Seleucidarum* frequentatam Epocham fuiſſe, & *Chalcidis* quidem, uſque dum Syris, una cum Heliopoli, & Abila ereptam ſuam eam in poteſtatem traduxit *Mennaeus*, ac poſt ipſum *Ptolemaeus* ipſius filius apud Joſephum Antiq. lib.13. cap.15, & lib. 14. cap. 13, ac Strabonem lib.16. p.519; (quo plane tempore Arabum Phylarchi alii partes Syriae alias diripiendas certatim ſuſcepere, uti Caeſaream, ac Dorum *Zoilus*, Tripolim *Dionyſius*, Berrhoeam *Strato*, Damaſcum *Aretas*, Byblum *Cyneras*, Superioremque Syriam *Tigranes* Armeniae Rex); tandiu ſcilicet obtinuiſſe, quandiu Syris obnoxia manſit, inde arguitur, quod & ipſa a *Seleuco Nicatore* condita Urbs, de *Chalcidis* in Euboea veteris Urbis nomine adpellata fuerit, Appiano loco cit. referente; unde patet falſo ſcripſiſſe Stephanum de Urb. p. 353. a *Monico* Arabe, (ita ex *Mennaeo* Urbis pervaſore corrupte *Monicum* facientem), aedificatam Chalcidem fuiſſe. In hunc etiam cenſum referenda *Maronias* Urbs in Chalcidene altera, cui ex *Maronea* Thraciae, de qua Stephanus p.199, aut verius Atticae, qua de Harpocration, ac Demoſthenes apud Suidam in Lex. T.II. p.503, a *Seleuco Nicatore* inditum nomen teſtatur Appianus in Syr. p.201. Jungenda *Chalybon* item Ptolemaeo, *Callipolis* Appiano dicta, ex qua conflata, quae hodie *Aleppus*, videtur, quaeque inter Urbes a *Seleuco Nicatore* conditas, Graecoque deſignatas nomine eidem Appiano adcenſetur: niſi ipſa ſit eadem ac *Calpe*, quae poſt *Berrhoea* dicta aliis cenſetur.

XI. Obtinuit a principio, longoque perinde frequentari uſu *Syromacedonum* Aera perrexit in *Palmyrena*, ita ab Urbe Metropoli *Palmyra* denominata Provincia. Atque *Palmyrae* quidem, quam a *Salomone* conditam Urbem, ac *Thadamoram* primo adpellatam, a Graecis poſtea Graece *Palmyram* auctor eſt Joſephus Antiq. lib. 8. cap. 2, habeturque III. Reg.

Reg. IX. 18, atque sua accedit sententia S. Hieronymus in Ezech. cap. 47; quamque demum Urbem ab *Hadriano* instauratam proprio de nomine *Hadrianopolim* adpellatam scribit Stephanus de Urb. p. 240, confirmatque Inscriptio Palmyrena apud Gruterum p. 86. n. 8, ac Sponium in Rei Antiq. Quaest. dissert. 3. Antiq. Graec., & Rom. Supplem. Poleni T. IV. edit. Ven. p. 407. sqq., ***Palmyrae***, inquam, hancce frequentatam Epocham fuisse abunde probat haec ipsa Lapidea Inscriptio ***Aglibolo***, & ***Malach Belo***, Diis Patriis, dedicata Mense *Peritio*, hoc est Februario, *Ετους* Ζ. Μ. Φ. anno 547, qui ***Seleucidarum*** fuit proculdubio, fuitque U. C. 988, Aerae Christianae 235. ab Autumno incipiens, ac primus imperii ***Maximini***: qua de Inscriptione Sponius loc. cit. p. 410, Norisius de Epoch. Syrom. p. 127. sqq., Longuerue de Var. Epoch. p. 67, nosque fusius Volum. III. Art. V. de Mens., & Annis Gazensium, Palmyrenorum &c. §. IV. sqq. p. 256. sqq. Comprobat & duplex altera Lapidi Palmyrae, ac Berrhoeae Palmyrenis insculpta litteris Inscriptio apud Eduardum Bernardum, atque Thomam Smithum n. 1. sq., in quarum una Numeralis anni nota *Ετους* ΔΙΥ. 414. conspicitur, qui annus, initio ducto ab U. C. anno 442, ante Christi natalem 312, desinit in Aerae Christianae annum 102, U. C. 855. In altera ad Cuperum Aleppo missa, ab eoque pro interpretatione dimissa ad Huetium, ab istoque Dissertationum a Tilladeto collectarum edit. Ven. T. II. dissert. 15. p. 97. sqq. inserta, sic habetur: *Δɩɩ Μαδβαχω καὶ Σελαμανει Θεοις Πατρωις Κρατεας Ανδρονικου Ευχην Πατρωαν εκ Των Ιδιων Εκτισε Δηναρ ΑΦ Ετοις* ΠΞΡ *Αυδιναιου* ΑΚ. ***Jovi Madbacho***, ***&*** ***Selamani***, ***Diis Patriis***, ***Crateas Andronici filius Votum patrium ex propria pecunia exstruxit Denariis mille quingentis anno*** 168. ***Audinaei Mensis die*** 21. Qui annus certe alius non fuit, quam ***Seleucidarum***, quique ductus ab U. C. anno 442, ante Christi natalem 312, in annum incurrit Aerae Christianae 145, U. C. 609. Observat porro Cl. Huetius unum, eumdemque ***Jovem***, qui diversa apud diversas Gentes pro diversis officiis nomina sortitus legitur apud Eusebium Praep. Evang. lib. 3. cap. 10, adeoque ut ***Joves*** tres Ciceroni, imo trecenti Varroni numerati fuerint,

 dupli-

duplici heic *Madbachi*, & *Selamanis* vocabulo designatum esse. Vocabulum autem utrumque non aliunde profectum, quam ex Sacrificii nomine, specieque putat *Jovi* oblato, non quo duo indicentur Numina. *Sacrificium* nempe generatim Hebraeis זֶבַח *Zabach*, Chaldaeis, ac Syris דֶּבַח *Debach*, Arabibus ذَبْحٌ *Dabacha* est, indeque, factum nomen מִזְבֵּחַ *Mizbeach*, Chaldaeis, ac Syris מַדְבַּח *Madbach*, Arabibus مَذْبَحٌ *Madbachon*, a loco nempe, seu Altari, in quo sacrificatur. Ex loco vero, in quo *Jovi* sacrificari solebat, *Jovis* cognomina confingi consuevisse adnotat, non secus atque a diversis ejusmodi Sacrificiis: unde *Jovis* Ἐπιβημίου nomen in Siphno Cycladum Insula, a sublimi videlicet Ara, in qua Sacra ipsi fiebant, derivatum; *Jovis Dapalis* cognomen a *Dape*, quae in Ara ipsi polluceri solebat; ab Hecatombe *Jupiter* Ἑκατόμβαιος; a caedendis Hostiarum visceribus *Jupiter* Σπλαγχνοτόμος; a Supplicum precibus *Jupiter* qua Ἱκέσιος, qua Μειλίχιος *Placabilis*; ideoque a Sacrificio apud Syros *Jovem* similiter *Madbachum* adpellatum existimat. Quod vero ad *Selamanis* nomen spectat, *Jovis* cognomen alterum, illud prodiisse censet ex Hebraeo vocabulo זֶבַח שְׁלָמִים *Zabach Scelamim*, quod *Sacrificium Pacificorum* significat, a LXX. in Graeca Versione Θυσίαν Σωτηρίου expositum Sacrificii genus cum ob alias fiebat caussas, tum & Voti gratia factum liquet ex Levit. VII. 10, & Proverb. VII. 14, ubi Hebraice זבחי שלמים *Sacrificia Pacificorum* legitur; quo loci Vulgatus habet *Vota Mea*. Hinc a diversi genus Sacrificiis diversa sortitus *Jupiter* nomina passim legitur, velut a Sacrificio *Expiationis Jupiter* Καθάρσιος, & Μαιμάκτης; a Sacrificio *Mundorum*, sive *Plenitudinum*, sive *Perfectorum* מלאים *Miluim Jupiter* מְמַלֵּא *Memallea*, *Plenus*, sive *Perfectus*, sive Graecis Τέλης, cujusce de variis aliis nominibus multa dabunt Rosinus Antiq. Rom. lib. 2. cap. 5. p. 137. sqq., atque Dempsterus ibid. in Paralipom. p. 142. sqq. Cum Huetio conveniunt utique Clericus in Bibl. Select. T. VII. p. 146, ac Basnagius in Hist. Jud. T. IX. Par. II. edit. Hagae Com. lib. 9. cap. 27. §. 4. p. 777. sq. *Madbachi*, & *Selamanis* nomina duo esse *Jovis* epitheta, ita tamen ut non ea-

eadem a *Sacrificiis* derivanda sint, sed a radice Hebraica, non utique זבח *Zebach*, quod est *Sacrificare*, sed דבק *Debach*, quod est *Adglutinari*, unde *Jupiter* Deus *Pacis*, ac *Unionis* significetur: quem *Unionis Conjugalis* Deum habitum vult Clericus; indiscriminatim *Pacis* Deum, ac *Unionis* mavult Basnagius: qua de nomenclatione quoque Juriaeus in Supplem. Hist. Crit. Dogm., & Cult. p. 28, & 41. sqq. In lineam modo reflectendo, hanc ipsam *Syromacedonum* Epocham *Thapsaci* Palmyrenae Urbis alterius, a Syris *Turmedae*, a Macedonibus, ac deinceps *Amphipolis*, de Macedonicae videlicet nomine, dictae, invaluisse adstrui inde potest, quod una, atque *Oropus* Appiano in Syr. p. 201, *Europus* Plinio lib. 5. cap. 24. adpellata, a *Seleuco Nicatore* ad Euphratem, non utique condita, uti Stephano scribitur, sed instaurata, Graecoque donata fuerit nomine, ut auctor est Appianus.

XII. In *Coelesyria* hanc ipsam *Syromacedonum* Aeram usu tandiu obtinuisse, quandiu eadem sub Syromacedonum jugo mansit Regio, ac ita *Abilae*, *Heliopoli*, & *Apolloniae*, ex loco antedicto Appiani datur intelligi: cui jungendi Polybius lib. 5. ab *Antiocho* II. *Theo* Urbes subjugatas *Pellam*, *Camum*, *Gephrum*, *Abilam*, & *Gadaram* referens, atque Plutarchus in Demetrio; ac Lucianus de Dea Syria, ubi a *Stratonice Seleuci* I. *Nicatoris* conjuge nobile *Junoni* Templum *Heliopoli* aedificatum traditur. De *Damasco*, diuque post etiam, quam Romanorum subire debuit imperium, res est omnem extra dubitationis aleam constituta: id enim liquido demonstratur Nummis septem Damasci cusis, primo *Augusto* inscripto cum notis L. EKT. anno 325, qui cum Autumno anni U. C. 766, Christi 13, *Augusti* ultimo incepit: quo patet etiam *Seleucidarum* Aeram anno U. C. 442, ante Christum 312. incepisse; secundo notato ΓΠΣ. anno 283, qui fuit U. C. 724, ante Christi natalem 30, imperii *Augusti* in Syria 1; tertio cum litteris HKT. anno 328, qui U. C. anno 769, Christi 16, *Tiberii* 3. injit; quarto *Tiberio* obsignato EMT. anno 345, qui cum anno U. C. 786, Christianae Aerae 33, *Tiberii* 19. concurrit; quinto *Neroni* scalpto cum litteris ZOT. anno 377, qui fuit U. C. 818, Christi 65, *Neronis* 12; sexto

Ha-

Hadriano notato ΘΛΥ. anno 439; feptimoque eidem Imperatori fcripto cum notis ΑΜΥ. anno 441, qui in annum incidunt U. C. 880, & 882, Aerae Chriftianae 127, & 129, *Hadriani* 11, & 13: queis de Nummis Triftanus T. I. p. 230. fqq., & T.II. p.239, Spanhemius p. 318, & 196, Vaillantius in Num. Graec. p.3. fqq., Harduinus Num. illuft. p.48, & in Chron. Vet. Teft. p.615. fq., 625, 629, & 636, ac Norifius de Epoch. Syrom. p.93. fqq. Ubi tamen obfervat Annum Damafcenis ab *Aequinoctio* Verno, ficut Arabibus vicinioribus, Arabiae nempe Petraeae Incolis, inceptum fuiffe, non ficuti Syromacedonibus ab Autumnali *Aequinoctio*. Ejufmodi porro Nummis, ut hoc obiter indicetur, *Augufto* cum nota anni Seleucidarum 325, ac *Tiberio* cum anni 345. nota *Damafci* fcalptis, alteroque *Tripoli* eidem *Tiberio* obfignato anno 331, quo de infra, adverfus Nevvtonum Urbem Romam conditam ante Chrifti natalem anno 617. ftatuentem invicte demonftrat Soucietus in Differt. 3. p. 89. fq. ipfius ex opinione fequi, quod fiquidem juxta Nevvtonum *Alexandri* Victoria ad Arbelam contigit ante Chrifti natalem anno 332, Aera vero *Seleucidarum* anno 20. poft eam Victoriam incepit, ideoque U. Romae conditae anno 306, fequi, inquam, quod *Augufto* Nummus anno 630. U. C. *Damafci* cufus fuerit, anno 60. ideft, antequam *Auguftus* natus effet, atque *Tiberio* U. C. anno 640. *Damafci*, imo anno 636. *Tripoli* fcalpti fuerint Nummi, anno 76. hoc eft, antequam *Tiberius* publicam adfpiceret lucem: quo de argumento fuo fufius loco. De *Laodicea* ad Libanum idem ferre judicium fas eft. Quamvis enim *Caefariana* Laodiceae induci, ac in Nummis confignari Aera ceperit, ex quo *Juliae* cognomen a *Julio Caefare* fuo de nomine, una cum *Autonomia* adepta eft, tum antea tamen, tum poft etiam, poft fextum ideft *Antonini Pii* annum, Romanae ditionis effe Laodiceni detrectavere, foedere dumtaxat cum Romanis conjunctos efse contenti, ad priftinam *Syromacedonum* Epocham regreffi funt. Itaque in duobus *Antonini Pii* Nummis *Laodiceae* obfignatis litteris ΑΞΥ, & ΒΞΥ. anno 461, & 462, annos *Seleucidarum* notari, eofque ideo cum annis U.C. 902, & 903, Chriftianae Aerae 149, & 150, *Antonini Pii* 11, &

11, & 12. concurrisse recte observavit Harduinus in Num. Antiq. illust. p.93. A quo discrepat pro more Norisius de Epoch. Syrom. dissert. 3. cap.8. §.2. p.285.sqq. pugnans *Juliae* cognomento decoratam *Laodiceam* ad Mare fuisse, non Laodiceam ad *Libanum*, ideoque, non ad hanc, sed ad illam referendos eos Nummos fore. Facit cum Norisio Longuerue de Var.Epoch. cap.4. §.1. sq. p.124. sqq., a quo postea dissentit in Chronologia *Trajani* contexenda: sed hacce de lite definiant alii, nam tanti non est, ut ei expediendae diutius immoremur.

XIII. Ad Urbes *Phoenices* itaque stylo nos deflectendo, quamvis olim, atque principio *Lagidarum*, quae ante *Seleucidarum* Epocham anno 11, Christi ante natalem 323. incepit, in *Phoenice* obtinuerit Aera, ex quo nempe, *Alexandro M.* defuncto, Provincia isthaec *Ptolemaeis* Aegypti Regibus obtigit, occupata nempe, atque *Laomedonti* Mitylenaeo uni ex *Alexandri* ducibus erepta a *Ptolomeo Lagi* filio ante *Seleucidarum* Aeram anno 7, ante Christi natalem 319, *Lagidarum* anno 5, Appiano teste in Syr., postquam tamen *Ptolemaeo Epiphani*, una cum Coelesyria, *Phoenices* anno *Seleucidarum* 115, *Lagidarum* 125, ante Christianam Aeram 198. ab *Antiocho* III. *Magno* erepta est, veluti referunt Polybius lib. 5. p. 411. edit. Casaub., Josephus Antiq. lib. 12. cap. 3., & S. Hieronymus in Dan. cap. 11, *Syromacedonum* exinde, deincepsque obtinere Aeram cepisse indubium est. Ex Phoenices itaque Urbibus hacce insignitis Epocha, prima se nobis offert *Orthosia* ad fluvium Eleutherum non procul a Mari posita, ubi frequentatam olim *Seleucidarum* Aeram fuisse documento, argumentoque profecto sunt duo *Antonini Pii* Orthosiae scalpti Nummi, ambo cum nota E. BΞY. anni 462, qui ductus ab Autumno anni U. C. 442, ante Christi natalem 312. in annum U. C. 903, Christi 150, *Antonini Pii* 13. incurrit, apud Harduinum Num. illust. p. 129, & Norisium de Epoch. Syrom. p. 106. sq. Huicce proximae *Tripoli* Urbi nobili, a Tyriis, Sidoniis, & Aradiis conditae, testibus Scylace in Periplo p. 99, Diodoro lib. 16. p. 504, Strabone lib. 16. p. 519, Plinio lib. 5. cap. 20, Mela lib. 1. cap. 12, ac Stephano de Urb. p. 326, non aliam a *Syro-Macedonum* Epocham olim adhibitam demonstrant Tripoli cusi Nummi *Antiochi* IV.

IV. *Epiphanis* cum notis ΞMP. anni 147, qui fuit U. C. 588, ante Christi natalem 166. apud Froelichium in Annal. Reg. Syr. p. 53; *Augusti* obsignatus litteris ΠΣ. anno 280, qui cum anno U. C. 721, ante Christi natalem 33. concurrit, alterque ejusdem cum nota L. IT. anni 310, hoc est ante Christum 3, U. C. 751; *Tiberii* cum litteris AAT. 331, U. C. 772, Christi 19; *Trajani* notatus YKZ. 427, Christi 115, U. C. 868; alterque cum notis HKY. 428, idest U. C. 869, Christi 116, *Trajani* ultimo; queis de aliisque Vaillantius in Num. Graec. p. 8. sqq., Harduinus Num. illust. p. 172. sq.; *Hadriani* obsignatus HKY. anno 428, qui cum U. C. anno 870, Christi 117, *Hadriani* I. coincidit, quo nempe die 11. Augusti is salutatus Imperator est: quo Nummo sane Norisius de Epoch. Syrom. differ. 2. cap. 2. §. 4. p. 102. ostendit *Seleucidarum* Aerae caput ab Autumno anni U. C. 442. removeri non posse, siquidem Augusto Mense adhuc decurrebat annus *Seleucidarum* 428; *Antonini Pii* duo cum litteris ENY. anno 455, & ΘNY. 459, qui fuit U. C. 896, & 900, Christi 143, & 147, *Antonini Pii* 6, & 10; *M. Aurelii Antonini Caracallae* unus signatus ZKΦ. anno 527, qui Aerae Christianae anno 216, U. C. 969, *Caracallae* 6, ac ultimo respondet; *M. Aurelii Antonini Elagabali* quatuor obsignati ΛΦ anno 530, AΛΦ. 531, BΛΦ. 532, & ΓΛΦ. 533, cujus extat similis alter *Juliae Soaemiadis* ejusdem matris, qui cum U. C. annis 971, 972, 973, & 974, Christi 218, 219, 220, & 221, *Elagabali* 1, 2, 3, & 4. concurrunt: quo ultimo etiam Nummo nitide ostendit Norisius p. 106. *Seleucidarum* Aeram differri ad U. C. annum 443. nequire: nam abhinc annus 533. in *Elagabali* Nummo notatus cepisset ab Autumno U. C. 975, Christi 222, quo *Elagabalo* Mense Martio interfecto, *Alexander Severus* Imperium jam adierat.

XIV. In *Phoenices* Urbium, ubi *Seleucidarum* Aeram invaluisse contendimus, censum ordine succedunt *Botrys*, *Byblus*, *ac Berytus*, in quibus Epocham, qua de agimus, frequentatam olim fuisse dubitare nemini succurret, qui animo intendat, quod, una cum Phoenice tres Urbes illas a *Ptolemaeo Epiphane*, sub quo *Lagidarum* ibi observatam fuisse Aeram haud dubium est, distractas ab *Antiocho* III. *Magno*, Syriaeque ad-

jectas

jectas auctor est Polybius lib. 5. cap. 68: quo factum est sane, ut postinde novo cum imperio *Syromacedonum* Aerae in putandis annis se attemperare Urbes illae debuerint. Idem ferendum judicium, ullo absque erroris periculo, de *Simyra*, *Leontopoli*, *Sarepta*, *Maratho*, *Gigarta*, *Trieri*, *Calamo*, *Arce* &c., quae *Ptolemaeis* Aegypti Regibus ablatae in *Seleucidarum* potestatem transductae sunt; quin inutilem rei apertissimae luci affundendae operam impendamus. Ad haec vero *Tyri*, ac *Sidone* ab eo, quo ejusdem *Antiochi Magni*, una cum Phoenice, ac Coele-Syria, subire Urbs utraque jugum coacta est, tempore *Seleucidarum* adhiberi simul Aeram deinde cepisse, apertissimum fit ex Nummis utrobique procusis, tamque Syriae Regibus, quam Urbis Geniis utriusque inscriptis. Atque prius de Nummis *Tyri* percussis loquendo, extant profecto apud Harduinum in Num. illust. p. 174. sq., & in Chron. Vet. Test. p. 588, & 591. sqq., Vaillantium in Hist. Reg. Syr. p. 256. sq., & 305. sq., Spanhemium de Praest. Num. p. 865. sqq., Norisium de Epoch. Syrom. p. 77, ac Froelichium in Annal. Reg. Syr. p. 39, & 51. sqq., Nummi *Tyri* cusi *Antiocho* III. *Magno* cum Nota PIB. anni 112, qui fuit U.C. 553, ante Christi natalem 201; *Antiocho* IV. *Epiphani* obsignati anno ΔMP. 144, EMP. 145, ZMP. 147, idest U. C. 585, 586, & 588, ante Christum 169, 168, & 166; *Demetrio* I. *Philopatori* cum litteris Numeralibus ANP. anni 151, ΔNP. 154, HNP. 158, ΘNP. 159, qui cum annis concurrunt ante Christianam Aeram 162, 159, 155, & 154, U. C. 592, 595, 599, & 600; *Alexandro* I. *Balae* notati ΓΞP. anno 163, & ϛΞP. 166, idest U. C. 604, & 607, ante Christum 150, & 147; *Demetrio* II. *Philadelpho* cum notis ΞΞP. anni 167, HΞP. 168, ΘΞP. 169, BOP. 172, ΓΠP. 183, ΔΠP. 184, EΠP. 185, adjecto titulo Ἱερᾶς καὶ Ἀσύλου, ϛΠP. 186, & ΞΠP. 187, qui Aerae initio ducto ab U. C. anno 442, ante Christi natalem 312, quadrant in annos ante Christianam Aeram 146, 145, 144, 141, 130, 129, 128, & 127, U. C. 608, 609, 610, 613, 624, 625, 626, & 627; *Antiocho* VI, aliis VII, *Sideti* obsignati cum epigraphe Ἱερᾶς καὶ Ἀσύλου numeralibus notis anni ΔOP. 174, ΞOP. 177, HOP. 178, AΠP. 181, ΓΠP. 183, & ΔΠP. 184, hoc est U. C. 615, 618, 619,

 622,

622, *624*, & *625*, ante Christum 139, 136, 135, 132, 130, & 129; *Antiocho* VIII. *Grypo* signati ΕΣ. anno 205, & ϛΣ. 206, qui fuere U.C. 646, & 647, ante Christianam Aeram 108, & 17. Inter Urbium etiam Nummos *Tyri* cusi numerantur Vaillantio, Harduino, Spanhemio, Norisio, ac Froelichio p. 103. sqq. Nummi, una cum *Sacrae*, & *Asyli* jure gaudentis epigraphe, litteris notati ΕΛΡ. anno 135, qui fuit U. C. 575, ante Christi natalem 179; ϛΣ. 206, ΘΣ. 209, idest ante Christum 107, & 104, U. C. 647, & 650; ΘΙΣ. 219, qui cum anno U. C. 660, ante Christi natalem 94. concurrit; ΚΣ. 220, ΑΚΣ. 221, hoc est ante Christum 93, & 92, U. C. 661, & 662; ΛΣ. 230, qui respondet anno U. C. 671, ante Christi natalem 83; ΑΛΣ. 231, ΔΛΣ. 234, idest ante Christum 82, & 79, U. C. 672, & 675; ΗΛΣ. 238, quocum congruit U. C. annus 679, Christianam ante Aeram 75; ΑΜΣ. 241, ΓΜΣ. 243, hoc est ante Christum 72, & 70, U. C. 682, & 684; ϛΝΣ. 256, qui cum U. C. anno 697, ante Christi natalem 57. coincidit; ΓΞΣ. 263, ΘΟΣ. 279, idest U. C. 704, & 720, ante Christum 50, & 34; ΑΠ U. 281, & ΘΤ. 309, qui cum anno Christianam antecedente Aeram 32, & 4, U. C. 722, & 750. incepere. Quamquam ex Nummis hisce quamplures a Syriae Regum aetate ad Augustorum detrudi tempora queunt, in quibus ideo, non antiqua *Syromacedonum*, sed nova sub *Alexandro* II. *Zebina* inducta, fuisse obsignata videri possit Aera, intelligendaque sit.

XV. Neque minus evidenter de *Sidone* eadem *Seleucidarum* Epocha adhibita constat ex Nummis, qui laudatos apud Scriptores abunde prostant, Harduinum p. 155, & 599, sqq., Vaillantium p. 242, & 285. sqq., Spanhemium p. 378. sqq., atque Froelichium p. 39. sqq. Nempe *Antiochi* III. *Magni* cum Notis ΒΙΡ. anni 112, qui ab eo, quod saepe dictum est, anno idest U. C. 442, Christianam ante Aeram 312, cardine ducto, quadrant in annum ante Christum 201, U. C. 553. *Demetrii* I. *Philopatoris* signatus ΘΝΡ. 159, hoc est anno U. C. 600, ante Christi natalem 154. *Demetrii* II. *Philadelphi* cum litteris ΘΞΡ. 169, & ΟΡ. 170, qui fuere Christianam ante Aeram 144, & 143, U. C. 610, & 611, ΔΟΡ. 173, idest U. C. 614,

C. 614, ante Christum 140. *Antiochi* VII. *Sidetis* inscriptus ΘΟΡ. anno 179, qui cum anno Christi ante natalem 134, U. C. 620. incepit. Inter Urbium Nummos etiam Tutelari *Genio* inscripti extant Nummi *Sidone* scalpti apud praecit. Scriptores. Cujusmodi prostant aut cum *Jovis* effigie obsignatus L. Θ. anno 9, aut cum *Sidoniae* Θεᾶς Deae, Syris *Astartis*, Hebraeis *Astaroth*, Graecis *Atergatis*, Latinis *Junonis*, Poenis *Veneris Caelestis*, quae in Nummis etiam *Neronis*, ac *Trajani* apud Tristanum p.226, Patinum p.182, Norisium p.438, & Harduinum p.155. *Europae* Tauro vectae, atque a Cretensibus raptae effigie scalpta conspicitur, epigraphe, inscriptus litteris ΚΣ. anno 220, ac Sidonis *Sacrae* titulo notatus ΖΚΣ. anno 227, qui fuere U. C. anni 450, 661, & 668, ante Christianam Aeram 304, 93, & 86. *Sidone*, postea, sub *Antiochis* fratribus *Grypo*, & *Cyziceno* de Imperii summa decertantibus, *Seleucidarum* antiquata Epocha, novam, ab U. C. anno 643, Christi ante natalem 111. facto initio, fuisse inductam seq. Articulo V. palam faciemus. Sed sub *Elagabalo*, ab eo idest tempore, quo nova ab illo Colonia *Sidonem* deducta est, ad veterem *Sidonios* redjisse *Syromacedonum* Aeram aperte ostendit *Elagabali* Nummus e Thesauro Regio productus ab Harduino in Num. Popul. illust. p.155, qui cum Ναυαρχίδος *Classicae* titulo, litteris obsignatus conspicitur ΒΛΦ. anno 532, qui cardine ducto ab anno Christi ante natalem 312, U. C. 442, cum U. C. anno 973, Aerae Christianae 220, *Elagabali* 4. concurrit. Adjungendae his ex Appiano in Syr. p.201. Urbes in *Phoenice* aliae a Syro-Macedonibus aut conditae, Graecisque nominibus adpellatae, aut denuo instauratae, deque Graecarum Urbium adpellatione denominatae, ut *Achaja*, ut *Astacus*, ut *Herea*, ut *Perinthus*, ut *Tegea* &c., aliaeque superius indicatae; ubi sane non aliam, quam quae *Syromacedonibus* instituta fuerat, Aeram inductam fuisse, tandiuque obtinuisse, quamdiu *Syromacedonum* inibi mansit Imperium, dubitare nefas est. Denique *Gadarae*, *Hippi*, *Gabae*, *Pellae*, *Jamniae*, *Arethusae*, *Joppe*, *Raphiae*, *Gazae*, *Samariae*, *Azoti*, *Scythopoli*, *Anthedone*, *Dorae*, *Marissae* &c., queis de Josephus Antiq. lib.14. cap.8, ac de

Bello lib. 1. cap. 16, quamdiu Syriae Regum imperio obnoxiae fuere, non aliam, quam *Syromacedonum* quoque frequentatam Epocham fuisse inde fit manifestum, quin ea, quae super Art. I. §. xl. sqq. harum de Urbium Epochis disputata affatim sunt, heic refingere opus sit.

XVI. Extra *Syriam* etiam *Syromacedonum*, ubicumque ipsorum videlicet Imperium propagatum est, viguitque, eamdem ipsam frequentatam Aeram fuisse, inde fit consequens. Ita in Cilicia *Jotapae*, Urbis Commagene vicinae, ubi Regni defixa sede, aliquando demoratus *Antiochus* X. *Eusebius*, ipsiusque filii post ipsum *Seleucus* VII. *Cybiosactes*, & *Antiochus* XIII. *Callinicus*, vulgo *Asiaticus*, cui Commagene, & Jotapae, una cum Mesopotamiae parte, Regnum a *Pompejo*, restitutum fertur, confirmatumque, regnasse leguntur apud Appianum in Syr. ad fin., ac in Mithrad. p. 244, & 253, Dionem in Fragm. lib. 35. sub init., Plutarchum in Lucullo p. 516, & in Pomp. p. 635, Justinum lib. 39. cap. 5, & lib. 40. cap. 2, ac Strabonem lib. 16. p. 1086. Confirmant id Nummi sub *Antiochis* hisce quatuor scalpti, etsi absque notis annorum, apud Haymium in Thes. Britan. T. I. p. 109. sqq., Massonum in Dissert. de Regibus Commagenis eodem T. I. p. 116. sqq., Froelichium in Annal. Reg. Syr. p. 109. sqq., ac Bimardum de la Bastie in Joberti Scient. Num. T. II. edit. Ven. p. 355; in eo emendandum, quod *Antiochi Eusebis*, hoc est *Pii* loco, *Seleuci* filium *Antiochum* XII. *Epiphanem* facit, qui *Antiochi* VIII, *Grypi* filius, aeque ac *Antiochus* XI. *Philadelphus* fuit: indicio sunt namque non alteram in Cilicia *Jotapae*, nisi quae in Syria pridem obtinuerat, Epocham adhiberi perrexisse. Eamdem quoque adhibitam fuisse in *Bithynia* ostendunt Nummi ibidem cusi apud Spanhemium p. 514. sq., Begerum in Thes. Brandeburg. T. I. p. 269. sq., & Harduinum in Num. illust. p. 34. sq., & in Chron. Vet. Test. p. 608, & 612. Nempe *Nicomedis* Regis, cognomento *Evergetis*, cum nota EOP. anni 175, qui fuit U. C. 616, ante Christi natalem 138; duoque alii obsignati litteris ΓΠΡ. 183, & ΕΣ. 205, idest annis U. C. 624, & 646, ante Christum 130, & 108. Quin etiam in *Bithynia* eamdem sub Romanis Praesidibus Epocham mansisse integram patet

patet ex Nummis cum *Nicaeae* ſub *C.Papirio Carbone* Legato; tum *Nicomediae* percuſſis cum Numericis annorum notis ΒΚΣ. 222, & ΔΚΣ. 224, qui cum annis U.C. 663, & 665, ante Chriſtianam Aeram 91, & 89. concurrunt. In *Paphlagonia*, *Coppadocia*, & *Ponto* hanc ipſam quoque *Syromacedonum* Epocham diutino obtinuiſſe uſu, poſtquam etiam Romanam in Provinciam redactae fuere, liquido docent Regum Nummi ibi percuſſi apud Spanhemium p. 472. ſqq., & 862. ſq., Begerum in Theſ. Brandeb. T.II. p. 11. ſqq., Harduinum Num. illuſt. p. 41. ſq., & in Chron. Vet. Teſt. p. 581. ſqq. Quamvis enim ab eo, quo *Pharnaces* primus in Ponto Rex Populo Romano foedere, amicitiaque ſe conjunxit, Aerae *Seleucidarum* anno 15, U.C. 456, ante Chriſti natalem 298, quo in foedere manſere deinde alii Ponti, Cappadociae, & Paphlagoniae Reges *Ariarathes Euſebes*, *Ariarathes Philometor*, *Ariarathes Philadelphus*, *Ariabarzanes Philoromaeus*, & *Ariarathes Epiphanes*, inde ſane nova obſignati Aera, qua de infra ſermo fiet, ducto initio ab Aerae *Seleucidarum* anno 15, U.C. 456, ante Chriſtum 298, conſpiciantur Nummi *Trajani*, *Hadriani*, *M. Aurelii*, *L. Veri*, *Severi Pii*, *Alexandri Severi*, *Philippi* &c. apud Harduinum p. 139. ſq.; qui tamen eoſdem excepit, *Mithradates Eupator*, fracto cum Romanis foedere, Romanaque abrogata Aera, ad veterem *Syromacedonum* redire geſtivit. Docent id liquido ipſius nomine inſcripti Nummi duo cum notis anni ΒΙΣ. 212, & ΒΚΣ. 222, qui ante Chriſti natalem utique cum anno 101, & 91, U.C. 653, & 663. incepit.

XVII. Oblitterata demum in Syria veteri *Syromacedonum* Aera, una cum deleto *Seleucidarum* dominio, nova, eaque non unius genus, nec eodem ſub uno temporis decurſu inducta Epocha eſt. Poſtquam nempe per annos 239, uti Porphyrius in Graecis Euſebii p. 227. tradit, aut 250. a *Seleuco Nicatore*, ſive 260. ab *Alexandri* obitu, ut propius ad veritatem ſcribit Euſebius in Chron. Oper. S. Hieronymi T.VIII. p. 593, aut imo 270, ut habet Appianus in Syr. p. 244, minus vere tamen, niſi *Antiochi* XIII. *Callinici*, vulgo *Aſiatici*, in Commagene Regni ab eo ratio habita ſit, anno *Seleucidarum*

rum 256, circiter, U.C. 697, Christi ante natalem 57. extincti, *Syromacedonum* in Syria duraffet Imperium, eidem demum finem imposuit *Pompejus*, Syria, Phoenice, ac Coelesyria in Provinciam Romanam redactis anno *Seleucidarum* 250, ante Christianam Aeram 63, U.C. 691, (quo ipso anno lucem adspexit *Octavianus Augustus* 9. Kalend. Octob., sive die 23. Septemb., velut ex Svetonio cap. 5, Vellejo lib. 2, ac Marmore Narbonensi apud Gruterum p. 229. ostendit Norisius in Cenotaph. Pisanis differt. 2. cap. 3. Oper. T. III. edit. Veron. p. 394. sq., Gruterianum tamen Lapidem p. 228. n. 8. iterum recusum inter Inscriptiones Antiquas Hetruriae Par. I. p. 316. mendose praeferre 8. Kalend. Octob. rite observavit ibid. Gorius, ex ipsoque Georgius in Not. ad Pagii Adparat. Chron. n. 59. p. 342.), velut habent Justinus lib. 40. sub finem, Appianus in Syr., Plutarchus in Pomp., ac Strabo lib. 16. p. 755, videndique, si placet, Simpsonius in Chron. ad an. M. 3942, ac Froelichius in Annal. Reg. Syr. p. 123. Eodem porro anno plerisque Syriae Urbibus a *Pompejo Autonomia* concessa fuit, suisque agendi Legibus, atque Magistratibus utendi facultas indulta, libertasque facta. Cujusce proinde in beneficii gratiam, atque memoriam nova in Urbes Asiae, Syriaeque multas *Pompejana* inducta primum isthaec est Aera. Ita *Antiochiae* ad Orontem, ubi nullis etsi in Nummis ea notata videatur, frequentatam attamen fuisse dubitare non sinunt Josephus Antiq. lib. 14. cap. 4, ac Strabo lib. 16. p. 516. Videndus tamen de Wilde Num. Select. p. 43. sq. *Antiochiae* ad Hippum item, ac *Seleuciae* ad Pierium, veluti tradunt Strabo lib. 16. p. 751, & Joh. Malela in Chronog. edit. Ven. p. 89, ac ostendunt Nummi *Antiochiae M. Aurelio*, & *L. Vero* cusi cum epigraphe Ἱερας Ἀσύλου, ac Notis anni ΘΚC. 229, qui fuit U. C. 919, Aerae Christianae 166, *M. Aurelii*, & *L. Veri* 6, apud Patinum p. 246, Harduinum p. 18, Froelichium in Num. Antiq. p. 43, ac Norisium p. 344. sqq.; *Seleuciae* vero, quam ab *Autonomia* a *Pompejo* impetrata *Liberam* pronuntiat Plinius lib. 5. cap. 21, *Libertate* donatam a *Pompejo* refert & Strabo lib. 16. p. 751, scalpti *Augusto*, & *Cajo* Nummi apud Spanhemium p. 789, ac Froelichium in Num. Antiq. p. 50, & 111, cum epigraphe

Ἱερας

Γέρας ϰ̀ Αὐτονόμου; alii duo cum *Fulminis* effigie, sub qua *Jupiter Fulminator* ibi coli solebat, ut late ostendit Spanhemius dissert.5. p.392. sqq., anno notati HP. 108, & IΔP. 114, qui ducto ab U. C. anno 691, ante Christi natalem 63. initio, competunt in annum Christi 45, & 51, U. C. 798, & 804, *Claudii* 5, & 11, apud Harduinum p.152; *Trajani* unus obsignatus ϛΞP. anno 166, hoc est U.C. 856, Christi 103, *Trajani* 6; *Alexandri Severi* alter cum litteris CΠ(Θ).289, qui cum Aerae Christianae anno 226, U. C. 979, *Severi* 5. concurrit apud Harduinum loc. cit., & Haymium Thes.Britan.T.I.p.68. Quò fit, ut id obiter indicem, quod sub *Tiberio Pompejana*, aeque ac *Augustaea*, usurpari Seleuciae haud desierit Aera, veluti persuasum videtur Norisio de Epoch.Syrom. dissert.3.cap.8. §.1. p.280: qua de re infra rursus. *Abilae* quoque in Coelesyria *Pompejanam* obtinuisse Aeram liquido Nummi ostendunt ibidem scalpti cum *Herculis* typo, qua *M. Aurelio*, & *L. Vero* cum nota ΛC. anni 230. apud Maffejum Antiq.Gall.Epist. 22, qui eos haud recte interpretatus est; qua *Commodo* in Museo D. Pellerinii cum nota NC. anni 250, qui ducti ab U. C. anno 691, Christi ante natalem 63, quadrant in annum U. C. 920, & 940, Aerae Christianae 167, & 187, *M. Aurelii*, & *L. Veri* 7, & *Commodi* 7. Videndus, qui hacce de *Abilae* Aera copiose disputat, Abbas doctiss. Belleyus in Dissert. de Aera Abilae Monum. Acad. Inscript. Paris. T.XXVIII. p.557. sqq.

XVIII. Eamdem *Gadarae* adhibitam *Pompejanam* Aeram docent Nummi *Augusti* notatus ΔM. anno 44, qui fuit U. C. 734, Christi ante natalem 20; *Tiberii* cum litteris Bq. 92, hoc est Christi 29, U. C. 782, *Tiberii* 16; *Neronis* inscriptus L. AΛP. anno 131, qui ab anno U. C. 691, ante Christi natalem 63. ductus cum anno Christi 68, U. C. 821, *Neronis* ultimo confluxit; *Vespasiani* cum litteris BΛP. 132, idest U. C. 822, Christi 69, *Vespasiani* 1; *Trajani* duo signati EΞP. 165, & ZΞP. 167, qui fuere Christi 102, & 104, U. C. 855, & 857, *Trajani* 5, & 7; *Antonini Pii* cum nota L. HC. anni 208, hoc est U. C. 898, Aerae Christianae 145, *Antonini Pii* 8; *M. Aurelii* duo inscripti ΔKC. 224, & ϛKC. 226, qui cum annis Christi 161, & 163, U. C. 914, & 916, *M. Au-*

M. Aurelii 1, & 3. concurrunt; *Commodi* cum nota ΓMC. anni 243, idest U.C. 933, Christi 180, *Commodi* 1; *Elagabali* duo obsignati ΑΡΣ. 281, & ΒΠC. 282, qui fuere Christianae Aerae 218, & 219, U.C. 971, & 972, *Elagabali* 1, & 2; *Gordiani Pii* cum litteris ΓΤ. anno 303, idest U.C. 993, Christi 241, *Gordiani* 4: queis de Nummis, aliisque Spanhemius de Praest. Num. p. 864. sq., Norisius de Epoch. Syrom. p. 310. sqq., Harduinus in Num. illust. p 61. sq., & in Chron. Vet. Test. p. 637. sq., & Froelichius in Num. Antiq. p. 45. Ita & *Canathae* isthaec *Pompejana* obtinuisse Aera dignoscitur ex Nummo *Domitiani* notato PNZ. anno 157, qui ab anno U.C. 691, Christi ante natalem 63. initus in Christi annum 94, U.C. 847, *Domitiani* 14. incurrit, apud Harduinum p. 80, Vaillantium in Num. Graec. p. 23, atque Froelichium p. 47. Ita & *Philadelphiae*, quae antea *Rabbathmomma*, a *Ptolemaeo Philadelpho* suo de nomine deinde cognominata est, eadem *Pompejana* diu obtinuit Epocha, uti docemur tum ab Auctore Chronici Alex. p. 185. edit. Paris., Ven. p. 148. ad Olymp. 179. an. 2, qui fuit U.C. 691, ante Christi natalem 63, inde *Philadelphienses* annos putare suos referentis; tum ex Nummis apud Harduinum p. 179, Norisium p. 325. sq., ac Froelichium p. 52, *Titi*, ac *Domitiani* notatis L. ΓΜΡ. anno 143, qui ducto initio ab anno Christianam ante Aeram 63, U.C. 691, in annum confluit U.C. 833, Christi 80, *Titi* ultimum, *Domitiani* 1. Ita & *Epiphaniae*, Urbis ab *Hemath* undecimo filiorum *Chanaam* aedificatae Gen. x. 18, suoque deinceps de nomine ab *Antiocho* IV. *Epiphane* cognominatae, teste S. Hieronymo in Ezech. cap. 47, Amos 6, & Zachar. 9, veluti discimus ex Nummo *Gordiani* notato ET. ϛT. anno 306. apud Norisium p. 350, qui fuit U.C. 996, Christi 243, *Gordiani* 6. Quamquam ulla absque caussa anno 1. antevertenda Aera isthaec, atque in U.C. annum 690, Christi ante natalem 64. ejus conferendum exordium Norisio videtur; qua etiam in opinione Froelichius deinceps haesit in Num. Antiq. cap. 4. p. 47. Quin insuper non erat utique, cur anceps haereret aliquando Norisius, an ad *Epiphaniam* Syriae, aut magis Ciliciae referendi Nummi sint; pejus vero Vaillantius de Num. Graec. persua-

suasum habuit *Epiphaniam* Syriae non habere Nummos cum Epocha, bene vero *Epiphaniam* Ciliciae, atque hancce quidem Epocham ab U. C. anno 791. incipere, Christi 38, perperam vero in *Epiphaniae* hujusce Nummo legi ab Harduino annum 306, loco anni 206, ideo quod pessime ab anno U. C. 686, Christi ante natalem 68. Aerae cardinem ineundum esse putaverit. Vir enim doctiss. Belleyius in Dissert. de Nummis Epiphaniae Monum. Acad. Inscript. &c. Paris. T. XXVI. p. 391. sqq. quinque *Epiphaniae* in Syria cusos vidit cum Epocha Nummos: 1. *Tiberii* cum ΘϚ. anni 99. Musei Theupoli; 2. Pellerinii cum nota ΓΞΡ. anni 163; 3. eodem in Pellerinii Museo *Septimii Severi* cum Numerali ΞC. nota anni 260; 4. Musei P. Vitry Soc. J. *Juliae Mamaeae* cum HϚC. anni 298; 5. D. Montoliveti Cimelii *Gordiani Pii* ϚT. anni 306. Quamquam postea & ipse peccat Epocham hanc anno 1. anticipando, eamdem idest in U. C. annum 690, Christi ante natalem 64. cum Norisio conferendo: quae ab anno magis ante Christianam Aeram 63, U. C. 691. ineunda est, quo scilicet anno a *Pompejo* Urbibus Syriae plerisque, in hisque *Epiphaniae*, ipso fatente Belleyio, *Autonomia* indulta fuit. De Epiphaniae vero in Cilicia Aera suo, quum de Ciliciae Urbium Epochis fiet sermo, opportuno agetur loco. Ita & *Dorae*, uti demonstrant *Trajani*, & *Hadriani* Nummi duo inter alios Harduino p. 51, Norisio p. 476. sq., ac Froelichio p. 46. relati cum notis annorum EOP. 175, & ΠP. 180, qui exordio ab anno U. C. 691, ante Christianam Aeram 63. capto, cum annis concurrunt U.C. 865, & 870, Christi 112, & 117, *Trajani* 15, & *Hadriani* 1. Ita *Tripoli* apud Harduinum in Chron. Vet. Test. p. 616; & *Pellae* in Decapolitana Syriae, qua de Froelichius in Tentam. p. 225, atque Num. Antiq. cap. 4. p. 49. In eadem etiam Decapoli, Josepho Antiq. lib. 14. cap. 8, ac Plinio lib. 5. cap. 18. recensitae, *Dii* Urbis eamdem *Pompejanam* obtinuisse Aeram, ab U. C. anno 691, Christi ante natalem 63. initam, quo ipso *Dium*, una cum Urbibus aliis, a *Pompejo* fuisse restitutum auctor est Josephus loc. cit., duo ostendunt Nummi *Getae* ibidem inscripti apud Tristanum T. II. p. 220, Haymium Thes. Britan. T. I p. 271. sq., annis obsignati HΞC. 268, & CO. 270, qui fuere U. C.
 958,

958, & 960, Christi 205, & 207: queis de Froelichius etiam Num. Antiq. p.45; conferendusque doctiss. Abbas Belleyius in Observat. ad Aeram *Pellae*, *Dii*, *Canathae* &c. Monum. Acad. Inscrip. T.XXVIII. p.568. sqq.

XIX. Ad haec *Gabae* quoque *Pompejanam* adhibitam fuisse Aeram ostendere adgreditur Harduinus in Num. Popul. illust. p. 60. sq. ex Nummis duobus, *Hadriani* uno obsignato litteris numeralibus POZ. anni 177, *Antonini Pii* altero cum nota anni ZIC. 217, qui ducti ab anno U. C. 691, Christi ante natalem 63 incurrunt in annum U. C. 867, Christi 114, quo nondum Imperator *Hadrianus* in Syria agebat; ac in annum U.C. 907, Christi 154. *Antonini Pii* 17. *Raphiae* item *Pompejanam* obtinuisse Aeram pugnant Harduinus p. 143. sq. duobus *Commodi*, & *Caracallae* Nummis obsignatis apud Tristanum T.I. p.733. notis annorum ZΛC. 237, & ΣΞϛ. 266, qui a *Pompejanae* Aerae capite petiti annum indicant Aerae Christianae 174, & 203, U. C. 927, & 956, ante *Commodi* imperium 6, & *Caracallae* ante imperium 10. *Gazae* quoque demonstrare pergit Harduinus p.62.sq. Nummis plerisque, *Hadriani* geminis cum nota ΔΠΡ. anni 184, & ΓqP. 193. (q. pro ϛ. 90. posito), qui ducto initio ab anno U. C. 691, ante Christi natalem 63. in annum competunt Aerae Christianae 121, & 130, U. C. 874, & 883, *Hadriani* 5, & 19; *Antonini Pii* sex cum annis BC. 202, ΓC. 203, AIC. 206, ZC. 207, ϛIC. 216, & HIC. 218, qui fuere U. C. 892, 893, 896, 897, 906, & 908, Christi 139, 140, 143, 144, 153, & 155, *Antonini Pii* 2, 3, 6, 7, 16, & 18; *M. Aurelii*, & *L. Veri* quinque obsignatis ΔKC. 224, EKC. 225, ZKC. 227, ΘKC. 229, & ΛC. 230, hoc est Aerae Christianae 161, 162, 164, 166, & 167, U. C. 914, 915, 917, 919, & 920, *M. Aurelii*, & *L. Veri* 1, 2, 4, 6, & 7; *Faustinae* uno cum litteris HKC. 228, qui fuit U. C. 918, Christi 166; *Commodi* altero notato HMC. 248, idest Christi 185, U. C. 938, *Commodi* 6; *Caracallae* cum nota anni HNC. 258, qui fuit U. C. 948, Christi 195, *Severi* Patris 3; *Plautillae* ejusdem *Caracallae* Uxoris obsignato ΔΞC. 264, hoc est Christi 201, U. C. 954; *Elagabali* cum anno ΠC. 280, qui in Aera *Pompeja-*

prjana cum anno U. C. 970, Christi 217, *Elagabali* 1. incepit.

XX. Verum in ea contra opinione versatur Emin. Norisius de Epochis Syromaced. differt. 4. cap. 5. §. 6. p. 479. sqq., ac Differt. 5. cap. 3. p. 507. sqq., cap. 4. §. 2. p. 543. sqq., ut persuasum habeat Urbium *Gabae*, *Raphiae*, & *Gazae* Aeram, non ab anno U. C. 691, ante Christi natalem 63, bene vero ab anno U. C. 693, Christianam ante Aeram 61, biennio idest serius ineundam esse, sicut ab eisdem Urbibus post biennium ab *Autonomia* a *Pompejo* accepta revera initam fuisse putat. Cujusce rei ratio ipsi est, quod anno U. C. 867, Aerae Christianae 114, *Trajano* in vivis adhuc ad biennium agente, *Hadriano* *Gabae* scalptum eodem anno Nummum veri haud fiat simile. Harduino ex adverso Num. illust. p. 61, & in Chron. Vet. Test. p. 613, ratione haud absimili *Gabae* Aera triennio differenda post, neque nisi ab U. C. anno 694, ante Christi natalem 60. inchoanda visa est. *Raphiae* similiter biennio serius, ab anno idest U. C. 693, quin imo sexennio tardius, hoc est ab U. C. anno 697. ducendam Aeram statutit Norisius, ab eo nempe anno, quo a *Gabinio* restaurata Urbs est: qua pariter in opinione haeret Froelichius in Num. Antiq. p. 49. *Gazae* denique ab eo ipso, quo a *Pompejo Autonomia* donata Urbs fuit, Aeram cepisse anno U.C.691, ante Christi natalem 63, ante Harduinum persuasum quoque habuit Scaliger Isag. Can. lib. 2. p. 120; nec inde plurimum absfuere Spanhemius de Praest. Num. differt. 9. p. 869, atque Froelichius p. 45. ab anno insequenti U. C. 692, Christi ante natalem 62. eam incepisse Aeram existimantes. Inde contra longe abhorruit Bollandus in Not. ad Acta S. Porphyrii die 26. Febr. T. III. edit. Ven. p. 644. hancce *Gazensium* Epocham quinquennio infra detrudens, ad annum idest U. C. 696, ante Christi natalem 58. differens. Ast contra Norisius loc. cit. p. 507. sqq. nonnisi duos post annos *Pompejanam* fuisse *Gazae* institutam Epocham eo pugnat momento quammaxime, quod nonnisi biennio post inhabitari ante deserta Urbs ceperit. Norisio vero sententia praeivit Usserius in Annal. Vet. Test. p. 434, post sequutus est pone Longuerue de Var. Epoch. cap. 5. de Gazen. Epocha §. 2. p. 146. sqq., *Gazae*

 nem-

nempe Aeram biennio post ab *Autonomia* a *Pompejo* impetrata, post idest, quam a *Gabinio* Syriae Proconsule refecta, dedicataquae inhabitari Civibus potuit Urbs, anno videlicet U. C. 693, Christi ante natalem 61, incepisse putantes. Confirmant id vero Auctoris Chronici Alex. testimonio, qui ad Olymp. 179. annum 4. p. 185. edit. Paris., Ven. p. 148. inde *Gazenses* annos putare suos adfirmat. Ubi tamen obiter cum Scaligero, Ducangio, Spanhemio &c. observandum Scriptorem hunc in *Consulum* serie texenda peccare quinquennio solere, illosque praevertisse ita, ut qui U. C. anno 693, ante Christi natalem 61. fuere *Piso*, & *Niger*, hisce suffecerit *Marcellinum*, & *Philippum*, qui nonnisi quinquennio post fuere Coss.; quum alioqui Scriptor hic in Olympiadum serie dirigenda recte procedit, quippe cum anno 4. Olymp. 179. annus U. C. 693, ante Christum 61. reapse concordat. Eamdem *Gazensium* Epocham confirmare pergit Norisius Marci Diaconi praeterea auctoritate, qui in vita *S. Porphyrii* hunc objisse scribit die 2. *Dystri*, (cui juxta aliquos dies 2. Martii, verius juxta alios dies 26. Februarii respondet, qua de re Henschenius in Comment. praevio ad vitam S. Porphyrii §. 5. Februar. T. III. edit. Ven. p. 644.), anno *Gazensium* 480, Episcopatus anno 24, Mense 11, cujus ideo Episcopatus initium anno 455. cepisse oportet. Cepisse vero post Aerae Christianae annum 394. inde suadere pergit, quod *S. Porphyrius* a Johanne Caesareensi ordinatus fuerit, *Johannes* hic vero nonnisi post Christi annum 394, quo Caesareae Episcopum fuisse *Gelasium* patet ex Synodo Constantinopoli hoc ipso anno habita sub *Nectario*, Caesareensis in Palaestina Episcopus fuerat ordinatus. Confert & ad hanc confirmandam *Gazensium* Aeram *Plautillae*, *Antonini Caracallae* uxoris, Nummum obsignatum numerali anni nota ΔZC. 264; *Plautilla* vero *Caracallae* nupsit anno dumtaxat U. C. 956, Christi 203, Dione scriptore synchrono lib. 76. p. 859, & Herodiano lib. 3. testibus; Plautiniano item patre anno Christianae Aerae 205, U. C. 958. interfecto, *Plautilla* & ipsa in exsilium deportata est: quo fit, ut *Gazensium* annus 264. nec incipere potuit ab anno U. C. 691, aut 692, Christi ante natalem 63, aut 62, juxta Scaligerum, Harduinum, ac Spanhemium p. 869; alioqui concurrisset cum anno

anno Christi 201, aut 202, U. C 954, aut 955, quo *Plautilla* nondum *Caracallae* uxor, nec dum *Augusta* erat; neque incipere potuit ab anno U. C. 696, ante Christianam Aeram 58, juxta Bollandum, & Henschenium, alioquin annus ille 264. incidisset in Christi annum 206, U. C. 959, quo *Plautilla* extra Aulam agebat.

XXI. Ast enim Augustorum Uxoribus post illorum obitum, ac post illarum etiam repudium *Augustarum* titulum mansisse integrum, permissumque Numismatum honorem probatum dedit Illust. Philippus a Turre in dissert. ad Num. Anniae Faustinae cap. 9. p. 176. sqq. Sed & ex duobus *Faustinae*, *Antonini Pii* conjugis, Nummis *Gazae* percussis, eque Cimeljis Regis Christian., ac Reginae Christinae prolatis, atque notis obsignatis HKC. anni 228, & ΘKC. anni 229. dubia admodum redditur Usserii, Norisii, ac Longuerue opinio de *Gazensium* Aera non minus, quam Scaligeri, Harduini, Spanhemii, Bollandi, ac Froelichii. *Faustina* namque diem supremum obiit Mense Julio anno U. C. 894, Christi 141, a quo retroducti anni 228, & 229. deveniunt in annos Christi ante natalem 89, & 90, U. C. 665, & 664: quò sane fiet, ut *Gazensium* Aera annis 29. antiquior statuenda sit. Ast enim ea mihi insedet animo conjectura, ut duos Nummos istos *Faustinae* post obitum fuisse inscriptos opiner. Utque ita opiner, id efficit, quod post obitum *Faustinam* consecratam fuisse demonstrant Nummi in Thes. Mauroceno p. 124, in Cimelio Regio, alibique apud Harduinum in Hist. Aug. p. 770. sqq., in quibus *Faustinae* tum honos Graece Θεᾶς, ac Latine *Divae* tributus legitur, tum *Consecratio*, aut *Aeternitas* inscripta habetur, tum *Dedicatio Aedis Faustinae* insculpta visitur, tum demum *Faustinianae Puellae* eidem dedicatae adparent. Quò fit, ut anni 228, & 229. ab Aerae *Pompejanae* capite, anno idest U. C. 691, Christi ante natalem 63. ducti in annos incidant Christi 165, & 166, U. C. 918, & 919, a *Faustinae* obitu 24, ac 25. E contra Scaligeri, Harduini, Spanhemii, & Froelichii id favere opinioni, & contra Usserii, Norisii, ac Longuerue illud officere mihi videtur, quod Josepho Antiq. lib. 14. cap. 10. referente, a *Gabinio* refectae non modo fuere *Raphia*, & *Gaza*, sed etiam *Samaria*, *Azotus*, *Scythopolis*, *Anthedon*, *Dora*, & *Marissa*:

sa: queis tamen Epocham *Pompejanam* ab anno ipso, quo *Autonomia* a *Pompejo* una cum *Gadara*; *Hippo*, *Pella*, *Jamnia*, *Arethusa*, *Joppe*, & *Caesarea*, donatae sunt, usu primum venisse indicet Josephus Antiq. lib. 14. cap. 8, & de Bello lib. 1. cap. 16. Sed id obiter adnotasse sufficiat, namque harum de Urbium *Pompejana* Aera plura jam nobis profligata fuere sup. Art. I. §. XL. sq., XLIII. sqq. Quamquam postea Spanhemius a priori recessisse sententia, ac Norisio se accedere significavit in Epistola ad Relandum, qui eamdem ipse opinionem amplexus est in Palaest. illust. lib. 3. edit. Norimberg. p. 590. sqq., cuique confirmandae duos adjungit Nummos e Cimelio Reginae Christinae productos a Vaillantio in Num. Imper. p. 50, & 268, *M. Aurelii*, & *L. Veri* unum cum utriusque capitibus, atque nota anni ΘKC. 229, qui fuit U. C. 921, Christi 168, *L. Veri* penultimus; alterum *M. Aurelii* cum nota AC. 230, qui fuit Christi 169, U. C. 922, post *Lucii Veri* obitum 1. *Berrhoeae* denique in Macedonia quoque, unde cognomini in Syria Urbi a *Seleuco Nicatore* inditum est, *Pompejanam* obtinuisse Aeram ex Nummo patet apud Froelichium in Num. Antiq. cap. 4. p. 45, Κοινον Μακεδονων inscripto, unde liquet & ibi totius Macedoniae frequentatum Conventum fuisse: sed hacce de Aera hactenus.

XXII. Altera, quae *Syriae* Urbibus plerisque usu perinde Epocha venit, *Caesariana* est, de Julii *Caesaris* nomine cognominata, quam etiam *Antonianam* de *M. Antonii* Duumviri nomine adpellari recte posse opinatur Harduinus in Chron. Vet. Test. p. 613, & 634. Anno nempe Christi ante natalem 49, U. C. 705. a *Julio* Caesare, una cum *M. Antonio* Duumviro, ac Imperatore, pulsis e superiore Asia Parthis, atque profligatis, in rei memoriam pleraeque in eo Tractu Urbes in libertatem adsertae, ab eoque *Autonomia* donatae ab Autumno ejusdem anni novam instituendam, suisque in Nummis consignandam Aeram suscepere, quam imo relicta postea Aera ipsa *Augustaea*, quae sub *Augusto*, *Tiberio*, & *Cajo* longe, lateque obtinuerat, restaurandam sub *Claudio* pleraeque duxere. Ita namque *Antiochiam* in Syria, sive ad Orontem fluvium in *Caesariana* Epocha ista suscipienda exemplo Civitatibus ubique aliis in Syria, & Asia praeivisse, multa sunt, quae manifeste probant. Quae siquidem Aera perpetuo in usu fue-

fuerit Scriptoribus vulgo plerisque Ecclesiasticis, puta, Eusebio, Evagrio, Joh. Malelae, Auctori Chron. Alex., Cedreno, Nicephoro &c., Dionysio Jacobit. Patriarchae, Cosmae Syro &c., quave de quia multa Docti multi disputant, neque levi, mollique proinde nobis brachio pertractanda eadem est. Itaque *Antiochenae* istiusmodi Aerae, Graecis Χρηματισμὸν τῆς Ἀντιοχείας dictae, sive *Caesarianae* Antiochiae institutae, caput ab anno 3. ante *Julianum* annum, idest U.C. anno 706, ante Christi natalem 48, quo *Pompejo* devicto, a *Julio* Caesare rerum potito Antiochenis Ἡ Αὐτονομία permissa est, ineundam ex Evagrio existimavit Scaliger Isag. Can. lib. 3. p. 295; quocum faciunt Langius de Annis Christi lib. 1. cap. 8. p. 108, ac Langletus in Tabul. Chron. T. I. edit. Ven. p. 121, quique antea tamen de Emend. Temp. lib. 4. p. 241. sq. Aeram hancce cum *Juliano* anno 1. inchoandam, Christi ante natalem 45, U.C. 709, ex Eusebio statuerat, refutatus ideo a Petavio in Animad. ad S. Epiphanii Haeresim LI. Oper. T. II. p. 132. Eusebius enim in Chron. ad Olymp. 183. an. 1. Oper. S. Hieron. T. VIII. p. 607. inde suos *Antiochenos* computare annos scribit; ad an. 2. *Probi* Imp., Olymp. 264. an. 2. p. 759. *Antiochenos* tum dinumerasse annos 325. refert; & ad Olymp. 270. an. 4, *Diocletiani* 19. p. 772. *Antiochenis* dinumeratos annos 351. fuisse tradit. Atqui *Probi* annus 2. competit Aerae Christianae anno 277, a quo retroducti anni 325. indicant pro anno 1. Aerae *Antiochenae* annum 48. Christi ante natalem. *Diocletiani* rursus annus 19. cum Christi anno 302. concurrit, a quo retroacti anni 351. dant ante Christianam Aeram annum 49. pro anno 1. *Antiochenae* Aerae. Unius ergo fere anni metachronismo erravit antea Eusebius; Aeraeque *Antiochenae* cardo die 27. Septembris anno Periodi Julianae 4665, Olymp. 182. anno 4, U. C. 705, ante Christi natalem 49, Cyclo *Solis* 17, *Lunae* 10, *Indict.* 15. est constituendus, ut mox palam fiet. Ab hacce tamen opinione Scaliger postea in Not. Euseb. n. 1969. recedens *Caesarianam* hanc Epocham *Antiochiae* inductam, Kalendis Octobribus anni U. C. 705, ante Christum 49. adfigendam, cum Doctorum communiori sententia, probe demum sensit.

XXIII. A Pugna *Pharsalica* Aeram hanc incipere, ince-

ceptamque *Antiochenis* tam ipse mavult Petavius Doct. Temp. lib. 10. cap. 64, & Ration. Temp. T. II. Par. II. lib. 3. cap. 14, ab Octobri idest anni U. C. 706, Christi ante natalem 48, quam ex Evagrio lib. 2. cap. 12. evincere satagit. Scribit is scilicet *Leonis* anno 2, Χρηματισμοῦ 506, Indictione 11, Septembris die 14, die Sabbathi ingentem, fuit is sextus, *Antiochiae* evenisse Terraemotum: fuisse hunc vero annum Periodi Jul. 5171, Aerae Christianae 458. probare conatur Petavius, a quo retroducti anni 506. dant pro anno 1. Aerae *Antiochenae* Periodi Jul. annum 4666, ante Christum 48: quod altero simili ex eodem Evagrio ducto computo confirmare pergit. Atque *Pharsalicam* quidem pugnam anno U. C. 706, ante Christi natalem 48. contigisse; quo tamen ab anno repeti *Caesarianam* Antiochiae institutam nequire Aeram infra palam fiet, probatum abunde facit Norisius de Epochis Syrom. dissert. 3. cap. 4. p. 172. sq., qui diem imo, quo *Pharsalica* commissa pugna est, acu prope tetigit tam loc. cit. de Epoch. Syrom., ac seq. cap. 5. p. 197. sqq., quam in Cenotaph. Pisan. dissert. 2. cap. 4. p. 182. sq., ubi contra Petavium loc. cit. apud *Pharsaliam* die Maji 12. circiter pugnatum existimantem, ostendit non ante Maji exitum eam contingere pugnam potuisse. Cujusce tamen pugnae dies hodie praecisus habetur ex Marmorea Tabula inter veteris Antii rudera, magno Chronologiae bono, reperta, ac e Museo Albano in Aedes Capitolinas translata, quam Aeri incisam primus anno 1723. publicam in lucem produxit Vir Cl. Franciscus Blanchinius in Proleg. ad Anastasium Bibl. T. II. post p. 222, eique Kalendarii *Antiatini* a loco, in quo inventa est, nomen indidit, ubi ad v. Idus Augusti legitur: *Divus Julius Pharsal. vicit*: quae dies Julianam post emendationem ibi notata retrahenda est ad diem 9. Junii anni Juliani proleptici ante Julianam emendationem, ut rite animadvertit Dominicus Georgius in Not. ad Pagii Adpar. Chron. n. 59. p. 341. sq.; quo demum patet frustra laborasse Joh. Bapt. Bellum Soc. J. Virum doctiss. alioquin in Diatribe de Pharsalici conflictus Mense, ac die Antiq. Rom. T. VIII. edit. Ven. p. 705. sqq. inserta, dum tandem p. 719. sqq. confecit *Pharsalicae* pugnae diem 26. Junii fore statuendam. Jam vero Evagrium quod attinet, cui Petaviana

na

na tota confidit, nititurque caussa, eum anni unius metachronismo errare ostendunt Baronius ad an. 458. n.28. sq., & Pagius ibid. n.6. sq. edit. Lucen. T.VIII. p.220. sq., ac in Dissert. de Periodo Graeco-Rom. n.95. T.I. p.307, sq. *Leo* namque Imperium auspicatus est die 7. Februarii, Indictione 10, Christi anno 457, qui ideo adhuc fluebat Mense Septembri, quo Mense Indictio 11, & annus 506. *Antiochenus* incepit. Anno quoque Christianae Aerae 458. dies 14. Septembris, non in Sabbathum, sed in Dominicam incidit diem. Conferendus etiam Cl. Assemanus in Bibl. Orient. T.I. cap. 16. de S. Isaaco Magno §.6. p.211. sq., ubi Evagrii hac in re errores & ipse elevat, & castigat.

XXIV. Ab anno itaque post *Pharsalicam* pugnam proximo U. C. 707, ante Christianam Aeram 47. petendam Epocham hancce *Caesarianam* Antiochiae primum inductam, a foedere nempe a *Julio* Caesare cum *M. Antonio* Duumviro inito, statuit Harduinus in Num. Popul. illust. p.49. sq., testimonio deceptus Auctoris Chronici Alex., a quo ad an.1. Olymp.183. p.186. sq. edit. Paris., Ven. p.149. sq. *Antiochena* Aera a proposito *Julii* Caesaris Edicto de ejusdem Civitatis *Autonomia* die 20. *Artemisii*, sive Maji, indeque primus etiam *Indictionum* annus repetitur; deceptusque Eusebii testimonio in Chron. p.607. ad Olymp. 183. an.2, ubi a *Pompeji* nece *Antiochenos* sua putare cepisse tempora indicare videtur; quam ipse necem praefato U.C. anno 707, ante Christum 47. contigisse putat. Quem ideo Norisius ibidem refellit cum ex Plinio lib.37. cap.2. ostendens *Pompejum* anteriori U. C. anno 706, ante Christi natalem 48. interfectum fuisse, tum ex Nummis Aera ista obsignatis, queis de modo. Quo in errore pariter Harduino praeiverant Johannes Malela in Chronog. lib.10. edit. Ven. p.102. scribens anno 1. *Caligulae Antiochiam* ingenti concussam terraemotu fuisse Mense *Dystri*, sive Martii die 23, *Antiochenae* Aerae anno 85. *Caligulae* namque annus 1. fuit Aerae Christianae 37, a quo retroducti anni 85. in annum Christi ante natalem 47. incurrunt. Cosmas etiam Syrus in vita S. Simeonis Stylitae apud Josephum Simonium Assemanum Bibl. Orient. T.I. cap.17. p.235. sq. scribens librum se absolvisse Mense *Nisan*, seu

seu Aprili die 17, Fer. 4, *Antiochenorum* anno 521. Is namque annus fuit Christi 474, quo littera Dominicalis erat F, diesque Aprilis 17. in Feriam 4. incidit; a quove retroacti anni 521. pro *Antiochenae* Aerae cardine indicant ante Christum annum 47. Conferendus etiam Vir doctiss. Stephanus Evodius Assemanus in Act. SS. Martyr. Occid. T. II. in Adpend., sive Admon. praevia ad Acta S. Simeonis Stylitae p. 228, & in Adnot. ad eadem Acta p. 412, ubi paria habet. Eodem etiam peccavit errore Dionysius Jacobit. Patriarcha in Chronico Syro apud prael. Assemanum in Bibl. Orient. loco antedicto, a quo sextus *Antiochiae* terraemotus anno consignatur *Antiochenorum* 576, Mense *Thisri* posteriore, sive Novembri die 29, Feria 4, Indictione 7. *Indictio* 7. namque, Feria 4, ac dies 29. Novembris in annum competunt Aerae Christianae 528; a quo retroducti anni 576. in annum incidunt ante Christi natalem 48, a quo tamen annus 1. detrahendus est, quippe Novembri decurrebat annus 528. inceptus a Septembri juxta Graecos, aut ab Octobri juxta Syros. Ast enim errorem postea Harduinus emendavit Antirrhetici p. 58, in nova edit. Num. Popul. illust. Oper. Select. p. 22. sq., & in Chronolog. Veter. Test. p. 613, 633, ac 635; quin errorem tamen exueret de eadem *Antiochena* Epocha Mense Majo inchoata; inchoanda sane a die 24. Septembris, quem ideo Norisius iterato castigavit in Paraenesi ad ipsum in calce Cenotaph. Pisan. edit. Veron. T. III. p. 1304. sq. Aeram vicissim hanc *Antiochenam* una cum *Juliano* cepisse anno, ideoque cum anno U. C. 709, Christi ante natalem 45. opinati sunt, (quam opinionem Scaligero pridem adhaesisse supra vidimus), Christmannus de Connexione annorum p. 356, & Hervvartus in Chronolog. cap. 211: quae opinio perinde cum Scaligeriana a Petavio abunde profligata manet, infraque cum Petaviana quin imo profligabitur, ut suo manere loco nullo queat amplius modo. Duplex e contra *Antiochenae* huic Aerae initium faciendum putavit Blanchinius Opusc. T. I. in dissert. de Anno Mortis Christi cap. 4. §. 5. sq. p. 233. sqq., ita nempe ut ab anno U. C. 704. altera inceperit usque ad *Titum*, sub quo interrupta ipsi videtur; altera post *Severum* assumpta denuo ab anno 705. exordium sumpserit. De priori

Epo-

Epocha opinionem comprobare suam conatur *Titi* Nummo suo in Cimelio asservato, ubi *Antiochenae* Aerae duplex expressus legitur annus 120, & 102, octodecim annorum intervallo discreti, quibus denotatam Aeram *Caesarianam* U. C. 704, & *Augustaeam* ab *Actiaca* Victoria *U. C.* 722. existimat; adeo ut a priori U.C. 704. ductus annus 120, a posteriori U.C. 722. ductus annus 102, incidat uterque in eumdem U.C. annum 823, Aerae Christianae 70: quo a *Tito* insignis de Judaeis, Hierosolyma capta, relata victoria fuit. Verum ante U.C. annum 705. Antiochiam *Scipionis* imperio obnoxiam fuisse, ideoque ejusdem Urbis Aeram eum ante annum incipere nequisse supra, infraque ostendimus: nec *Antiochenam* Epocham post *Titum* desiisse, neque post *Hadrianum* denuo fuisse instauratam ex Nummis, queis de confestim, facile ostenditur.

XXV. Petendam itaque *Caesariano-Antiochenam* hanc Epocham ab eo, quo Antiochiae propositum fuit Edictum de *Julii* Caesaris Imperio, fore statuunt alii: quod propositum fuisse die 4. Idus Maji, sive *Artemisii* die 12, die vero 20. de Urbis *Autonomia* Edictum aliud fuisse propositum, referunt Joh. Malela in Chronog. lib. 9. edit. Ven. p. 91, & Auctor Chron. Alex. p. 186. sq. edit. Parif., Ven. p. 149. sq.; eumdem *Julium* die 23. *Dictatorem* Antiochiae agnitum subjungentes; ideoque ab hoc anno, hoc est ab *Autonomia* restituta a *Julio* Caesare, *Antiochenam* incepisse Aeram: qua in re erroris utrumque manifesti evincunt Norisius de Epoch. Syrom. dissert. 3. cap. 5. p. 197. sqq., ac post ipsum Longuerue de Var. Epoch. cap. 3. p. 79. sq. liquidis Josephi Antiq. lib. 14. cap. 13, & de Bello lib. 1. cap. 13, Plutarchi in Pomp., Caesaris item de Bello Civ. lib. 3, ac Ciceronis lib. 9. epist. 1. testimoniis, unde constat hoc adhuc anno U. C. 705, ante Christianam Aeram 49. *Antiochiam Scipioni Julii* Caesaris infensissimo adhuc paruisse hosti. His itaque geminos hosce Scriptores pone sequutis duplex *Antiochenae* Epochae initium decernendum visum est, unum *Autonomiae* a die 20, aut 23. *Artemisii*, idest Maji die 20, aut 23, U. C. anno 705, ante Christi natalem 49; alterum *Indictionis* Caesareae a Kalendis *Gorpiaei*, sive Septembris ejusdem anni. Quo postremo ex loco Scaliger in Not. Eu-

 seb.

feb. n.2134, aliique post ipsum persuasum habuere idcirco *Antiochenos* jam tum ab anno U. C. 705, ante Christum 49. *Indictionis* Cyclum, velut a *Pompejo* institutum, fuisse amplexatos, quod publicorum Fisco debitorum remissio facta iis a *Julio* Caesare fuerit ad annos 15; non secus atque perinde ab *Hadriano* ad annos 16, & a *M. Aurelio* ad totidem annos facta legitur. Sed enim Scaligerum, eumque sequutos jure, recteque refellit Norisius p.203. sqq., ac post ipsum Longuerue p.83. palam facientes cum apud Romanos Tributa disponi consuevisse per *Lustra*, non per *Indictiones*, idest per annos 5, non per annos 15, testibus vocatis locupletibus Plinio lib.9. epist. 37, Varrone de Ling. Lat. lib. 5, ac Cicerone in Verr. 4, & lib. 6. ad Atticum ep. 2; tum apud Romanos *Indictiones* primum a *Constantino M.* fuisse institutas, hasque perperam ideo a Graecis posterioribus retroactas fuisse. Confer eumdem Norisium loc. cit. p.212. sq., ubi pleraque oppido alia contra Scaligerum prolixe, egregieque disputat, ac recolenda etiam, si libet, abunde nobis disputata Superiori Volum IV. Proleg.V. Art.I. de Periodis §. xxix. sqq. p. 52. sqq., ubi fuse de *Indictione* Antiochena somniata a Scaligero. Atqui neque ab hocce proposito Edicto petendam *Antiochenam* hanc Epocham contendit post Norisium p.200. sqq., ubi & Petitum valide, luculenterque refellit, Longuerue cit. cap.3. §.3. p.84, ideo quod eo U. C. anno 705, ante Christi natalem 49. *Antiochia*, ut modo innui, in potestate *Scipionis* adhuc manebat; neque *Antiochiae* promulgatum Edictum de *Julii* Caesaris imperio fuerit ante *Pharsalicam* pugnam, quae anno dumtaxat insequenti U.C. 706. contigit, ideoque & a Johanne Malela, & ab ejusdem exscriptore Auctore Chronici Alex. turpiter erratum concludens. Qui neque meliora a Norisio prolata ostendere pergit, dum is differt. 3. cap.5. p.206. sqq., & p.211. sqq. Epochae *Antiochenae* caussam fuisse *Autonomiam* a *Julio* impetratam scribit, cujus attamen cardinem retroactum in anteriorem U. C. annum 705, ante Christianam Aeram 49. censet: id siquidem insolens sit, ut ab *Autonomia* initium Aerae utique capiatur, non ab eo tamen anno, quo eadem restituta *Autonomia* est. Usserio itaque in Annal. Vet. Test. p.458, ipsique Longuerue cit. cap.3.

cap.3.§.4. p.87.sq. Epochae *Antiochenae* initium unum, idemque visum est, ac initium Imperii a *Julio* Caesare initi, qui anno anno U.C.705, Christi ante natalem 49. *Dictator*, ac *Consul* renuntiatus Imperii summam ad se rapere cepit, neque postea dimisit, testibus Lucano lib.5. v. 382. sqq., Scriptoreque Chronici Alex. p.187. edit. Paris., Ven. p. 150: qua utique in opinione utrique aperte praeiverant Johannes Malela in Chron. p. 92, & Auctor Chron. Alex. cit. p. 187. edit. Paris., Ven. p.150. a *Julii* Caesaris Imperii anno 1. *Caesarianam* Antiochiae institutam Aeram incepisse adfirmantes.

XXVI. Ut ut caussa isthaecce se habeat, cur *Antiochiae* de *Julii* Caesaris nomine instituta *Caesariana* isthaec Epocha fuerit, institutam fuisse tamen anno U. C. 705, ante Christianam Aeram 49. certo certius est, ostensumque dedere affatim Usserius in Annal. Vet. Test. p.458, Valesius ad Evagri lib.1. cap. 12. edit. Taurin. T. III. p. 278, Norisius de Epoch. Syrom. dissert. 3. cap.3. sqq. p.167. sqq., Vaillantius Hist. Reg. Syr. T.II. p.162, Longuerue de Var. Epoch. cap.3. p.76.sqq., Froelichius in Annal. Reg. Syr. p.123, Bimardus de la Bastie in Annot. ad Joberti Scient. Num. T.II. sect.3. §.5. p.272.sqq., aliique testimoniis conglomeratis Eusebii in Chron. ad an. 2. Probi, & 19. Diocletiani, quo de supra; Johannis Malelae, qui in Chronog. Par.II. lib.13. edit. Ven. p.5. Urbis *Constantinopolis* Natalem diem celebrandum *Artemisii*, sive Maji die 11. Edicto lato a *Constantino M.* indictum fuisse Aerae *Antiochenae* anno 378. refert, quem sane annum Idacio in Chron., Auctore Chron. Alex., Marcellino Comite, Cedreno &c. testibus cum U.C. anno 1083, Aerae Christianae 330. concurrisse constat; ideoque Aerae *Antiochenae* caput U. C. 705, Christi ante natalem 49. injisse; Evagrii Hist. Eccles. lib. 4. cap. 1, Auctoris Chron. Alex. ad Olymp. 183. an. 1, quem multiplicis alioqui circa Olympiades praesertim erroris arguit Longuerue p. 79. sq., queis de supra dictum; Josephi Aegyptii Auctoris Collect. Arab. Concil. apud Harduinum T.I. p. 337, qui in Praefat. apud Seldenum quoque in Not. ad Eutychium p.72 Concilium Nicaenum convenisse scribit Aerae *Alexandri* anno 636, Constantini 17, *Antiochenae* 373, qui ductus ab

anno

anno U. C. 705, ante Christi natalem 49. competit in Aerae Christianae annum 325, U. C. 1078; atque ita etiam Eutychius Alex. in Annal. p. 440. Sed enim *Antiochena* ejusmodi Aera invicte statuitur Nummis innumeris, quibus ab anno U. C. 705, Christi ante natalem 49. removeri nequire evidenter ostenditur. Ita namque *Antiochiae* cuso in Nummo sub *Flacco*, ac *Tiberio* cum nota anni BΠ. 82, non BΞ. 62, ut putat Harduinus Num. illust. p. 22, eoque Epocham designatam *Augustaeam* opinatus, refutatus ideo a Norisio in Paraenesi ad calcem T. III. p. 1305. rite ostendente legi debere BΠ. 82, eoque *Caesarianam* indicari Aeram, ut apud Vaillantium est, qui initio capto ab U. C. anno 705, ante Christi natalem 49. in annum competit Christi 33, U. C. 786: quo plane anno *Flaccum* Syriae Praesidem in Syria objisse prodit Tacitus Annal. lib. 6. Ita in Nummis *Claudii* apud Vaillantium, & Harduinum loc. cit., & in Chron. Vet. Test. p. 633. sq. notatis annis q. 90, Δq. 94, & ϛq. 96, qui ducti ab U. C. anno 705, ante Christum 49. cum annis finiunt Aerae Christianae 41, 45, & 47, U. C. 794, 798, & 800, *Claudii* 1, 5, & 7. In Nummis item *Neronis* inscriptis numeralibus annorum litteris ΔP. 104, EP. 105, ϛP. 106, ZP. 107, HP. 108, ΔIP. 114, EIP. 115. apud Spanhemium p. 886, Jobertum, & Harduinum Num. illust. p. 22, & in Chron. Vet. Test. p. 635. sq., qui fuere U. C. 808, 809, 810, 811, 812, 818, & 819, Aerae Christianae 55, 56, 57, 58, 59, 65, & 66, *Neronis* 2, 3, 4, 5, 6, 12, & 13. In Nummo *Galbae*, ubi anni leguntur ZIP. 117, idest Christi 68, U. C. 821, quo ipso anno die 15. Januarii *Galba* interfectus est. In Nummis duobus *Hadriani* notis annorum insignitis HΞP. 168, & OP. 170, qui Aerae initio ducto ab anno U. C. 705, ante Christi natalem 49. incidunt in Christi annum 120, & 122, U. C. 873, & 875, *Hadriani* 3, & 5. In Nummo *Antonini Pii*, in quo notae comparent EqP. anni 195, idest U. C. 900, Christi 147, *Antonini Pii* 9. In Nummo demum *Alexandri Severi* apud Vaillantium de Colon., & Harduinum in Hist. Aug. p. 821. cum nota anni ΔOC. 274, qui fuit Aerae Christianae 226, U. C. 979, *Severi* 5. Sed *Antiochena* de Aera satis jam, atque super.

XXVII. Ad

XXVII. Ad *Laodiceae* Aeram nunc accedendo, illud observandum initio succurrit a *Seleuco I. Nicatore*, sic a *Victoriis* Graece dicto, in Syria, & Asia Majore, ac Minore conditas ferri Urbes *Antiochias* de Patre *Antiocho* cognominatas, aliquas de Filio juxta aliquos, sexdecim; de *Laodice* Matris nomine adpellatas *Laodiceas* sex; suo de *Seleucias* novem; a duabus Uxoribus *Apameas* tres, atque *Stratoniceam* unam denominatas, queis de Strabo lib. 16, Appianus in Syr., Stephanus de Urb., ac Pausanias in Attic. Itaque *Laodiceae* vel ad Libanum in Mediterraneis, ut Harduino in Num. Popul. illust. p. 92, & Hist. Aug. p. 739, 752, & 767. sq. videtur, vel ad Mare, uti rectius aestimat Norisius de Epoch. Syrom. dissert. 3. cap. 8. §. 2. T. II. p. 281. sqq., & in Paraen. ad calcem Cenot. Pisan. T. III. p. 1306. sq., quae utpote *Libera* Plinio lib. 5. cap. 21. vocatur, *Severi* postea, cujus partibus egregie studuerat, beneficio *Coelesyriae* Metropolis, *Antiochiae*, quae infesta *Severo* fuerat, loco, Jurisque *Italici* Colonia facta legitur apud Ulpianum §. de *Censibus* lib. 50. tit. 15. L. 1, atque Paulum ibid. L. 8, quave de Hervvartus in Chronolog. cap. 236, & Ducangius in Not. ad Chron. Pasch. p. 518. sq. edit. Paris., Ven. p. 432. sq., *Laodiceae*, inquam, *Caesarianam* inductam Epocham fuisse non uno certum sit, atque constans argumento, minus etsi constet, a quo demum anno ejusdem caput exordiendum sit. Namque Harduinus in Num. Popul. illust. p. 285. eam ab anno U. C. 790, Aerae Christianae 37, & in Antirrhet. p. 108. sq. ab U. C. anno 717, *Augusti* 8., ante Christi natalem 37. deducendam inde statuit, quod in Eusebii Chronico MS. Bibl. Collegii Soc. J. Paris. legatur juxta *Laodiceos* 314, non ut in Editis 324, ita cum *Augustaea* Epocham *Caesarianam* confundens. In secundis vero curis Oper. Select. p. 93. Num. Popul. illust., & in Hist. Aug locis supra cit. in Nummis *Laodiceae* cusis Aeram obsignari *Caesarianam*, eamque ab Autumno U. C. anni 705, Christi ante natalem 49. ineundam agnoscit. Verumtamen ea verior est opinio, cui inhaerent Norisius dissert. 3. cap. 8. §. 2. p. 282, ante ipsum Scaliger in Not. Euseb., post vero Longuerue de Var. Epoch. Veter. cap. 4. de Epocha Laod. p. 124. sqq., Ducangius in Not. ad Chron. Pasch. p. 518.

sq.

sq. edit. Paris., Ven. p. 432. sq., Bimardus in Annot. ad Joberti Scient. Num. Sect. 3. §. 21. T. II. p. 300. sq., Vallarsius in Not. ad Eusebii Chron. Oper. S. Hieronymi T. VIII. p. 759. sq., atque Froelichius in Num. Antiq. cap. 4. p. 47, a *Julio* Caesare, dum *Laodiceae* degeret anno U. C. 707, ante Christianam Aeram 47. Aprili Mense *Autonomiam* Urbi indultam fuisse: quo beneficio devincti Cives de *Julii* Caesaris nomine, ejusque gratia tum *Julienses*, non ab *Augusti* conjuge *Julia* sane, velut olim Harduino visum, se se deinceps inscribere, sicut ex Nummis mox planum fiet, delectati fuerint; tum inde novam etiam *Caesarianam* eadem de caussa instituendam duxerint Aeram, ineundamque ab anno Civili *Macedonico*, qui ab Autumno *Juliani* anni proleptici antecedentis inceptus tum decurrebat Majo adhuc Mense *Juliano* anno proleptico, U.C. 707, ante Christi natalem 47. Itaque nova isthaec *Caesariana* juxta eosdem Aera, non a *Vere*, uti Ricciolio in Chron. Refor. T. I. lib. 2. p. 101. visum est, sed ab *Autumno* incepit anni Periodi Jul. 4666, Olymp. 183. anni 1, U. C. 706, ante Christi natalem 48, uno posterior anno Epocha *Caesariano-Antiochena*, Cyclo *Solis* 18, *Lunae* 11, *Julio* Caesare 11, & *P. Servilio Vattia* Coss. Cujusce rei locupletes accedunt testes Eusebius in Chron. ad Olymp. 264. an. 2. p. 759. sq., ubi insanam *Manichaeorum* Haeresim exortam adfirmat eo *Probi* Imp. anno 2, *Antiochenorum* 325, quem fuisse juxta *Tyrios* 402, aut secundum aliquos 303, juxta *Laodicenos* 324, juxta *Edessenos* 589, (veluti melioris notae Codices MSS. habere adnotarunt Pontacus p. 312, & Vallarsius p. 759, non 588, uti Scaligero proprio ex ingenio, & praeconcepta opinione reponendum visum est), juxta *Ascalonitas* 380; Auctor etiam Chron. Alex., sive Pasch. ad an. 2. *Julii* Caesaris p. 187. edit. Paris., Ven. p. 150. inde suos *Laodicenses* annos computare scribens: quo patet ab utroque *Antiochenam* Epocham *Laodicena* anno uno priorem adstrui, non biennio, uti Blanchinio Opusc. T. I. p. 240. sq. visum, neque anno 1, & octimestri, sive Mensibus 20, uti Lydiatus vult in Can. Chronologicis p. 4. post 200.

XXVIII. Adstruitur ast enim longe certius Aerae istiusmodi *Laodicenae* cardo Nummis ibidem scalptis, qui apud Vail-

Vaillantium, Harduinum, Norisium, Du Cangium, Spanhemium, Longuerue &c. magno prostant numero, quibusve eadem inscalpta Epocha inspicitur. Ita Nummus insignis Mediceus cum *Apollinis* capite radiato *Juliensium Laodicenorum* epigraphem praefert, annique notam ZM.47, qui ab U.C. anno 706, ante Christi natalem 48. initus in annum Christi ante natalem 2, U. C. 752. incurrit. Quo ipso Nummo palam contra Harduinum fecere Norisius, ac Longuerue Laodicenos *Julienses* haud fuisse cognominatos a *Julia Augusti* conjuge, quo utpote anno *Livia* nondum *Juliae* cognomine donata fuerat, donata *Augusti* testamento dumtaxat anno U. C. 767, Christi 14, ex quo in familiam *Juliam* adoptata fuit, testibus Tacito Annal. lib. I. sub initium, ac Svetonio in Augusto cap. 101. Quamquam hoc in Nummo haud *Caesariana*, bene vero *Augustaea* ab Asia recepta designata Epocha visa est Harduino in Chron. Vet. Test. p. 626, qui idcirco annus 47, ab Autumno anni U. C. 723, ante Christi natalem 31. initio ducto, in annum incidet Christianae Aerae 16, U.C. 769. Quam pariter Aeram, *Augustaeam* videlicet ab *Asia* recepta, atque capite ab U. C. anno 723, Christi ante natalem 31. inito, veteri Seleucidarum abolita, frequentatam *Laodiceae* ad Libanum, aliisque, queis de infra, Urbibus, fuisse persuasum habuit Froelichius in Num. Antiq. cap. 4. p. 48. Prior ast enim *Caesariana* Laodiceae ad Mare usurpata Aera in Nummis etiam duobus comparet *Domitiani* numeralibus insignita notis BΛP. anni 132, qui ducti ab Autumno anni U. C. 706, ante Christum 48, dant annum U. C. 837, Christi 84, *Domitiani* 4. In duobus *Trajani*, qui cum Deae *Syriae* effigie notas annorum exhibent BΞP. 162, & ΓΞP. 163, hoc est U. C. 867, & 868, Aerae Christianae 114, & 115, *Trajani* 17, & 18; in quatuor *Antonini Pii* hasce praeferentibus litteras EΠP. 185, ZΠP. 187, HΠP. 188, & qP. 190, qui facto Aerae *Caesarianae* initio ab Autumno anni U. C. 706, ante Christi natalem 48, competunt in Christi annos 137, 139, 140, & 142, U. C. 890, 892, 893, & 895, *Antonini Pii* 1, 3, 4, & 6. Quo loci recte quidem observat Harduinus in Num. Popul. illust. p. 93. in iis dumtaxat Nummis a *Laodicenis* Epocham *Caesaria-*

rianam consignari, qui Ιουλιεων titulum (ex *Julio* Caesare idest), praeferunt. Post vero quartum, (verius post quintum, aut quinimo sextum), *Antonini Pii* annum *Laodicenos* Romanis subesse detrectantes, foedere conjunctos manere contentos, tum deinceps a *Juliensium* cognomento in Nummis abstinuisse, abrogataque *Caesariana*, ad veterem *Syromacedonum* Epocham redjisse, velut ex duobus aliis ejusdem *Antonini Pii* Nummis super §.xi. ostensum est. Quamquam id negotii haud leve facessere videtur *M. Aurelii* Nummus, cum eadem Ιουλιεων epigraphe, notis inscriptus anni AqP. 191, idest U.C. 896, Aerae Christianae 143, qui fuit *Antonini Pii 6.* apud Harduinum p.93. Verum inferre inde fas est aut Nummum *M.Aurelio* in Caesarem ab *Antonino Pio*, Dione lib.69. p.797, Capitolino in M. Aurelio cap.5, & Spartiano in Hadriano cap.24. testibus, adoptato sçalptum reapse fuisse *Antonini Pii* anno 6; aut eo in Nummo Epocham, non *Caesarianam*, bene vero *Augustaeam*, ineundam ab U.C. anno 724, Christi ante natalem 30. ab *Asia* recepta, inscriptam esse: quò fiet, ut inde ducti anni 191. cum U. C. anno 914, Christi 161, *M. Aurelii* 1. concurrant. Sed enim de *Caesariana* Epocha *Laodiceae* usurpata jam nimis.

XXIX. Sors eadem *Ptolemaidi*, olim *Accho*, Mari imminenti Urbi, de *Ptolemaei* Aegypti Regis nomine deinde cognominatae, obtigit, ut veteri nempe *Seleucidarum*, (qua usa aliquando Urbs legitur inter alios in *Antiochi* VIII. *Grypi* Nummo litteris notato ΘΠΡ. anno 189, qui ante Christi natalem fuit 124, U.C. 630, apud Harduinum Num.illust.p.143, & Froelichium Annal. Reg. Syr. p.93.), oblitterata, novae *Caesarianae* se se attemperaverit Epochae, qua de super. Cap.V. Art.I. §.xxv. abunde, opinor, disputatum est. *Palti* quoque ob *Autonomiam* Urbi a *Julio* Caesare indultam, novam inde ejus de nomine dictam, obtinuisse Aeram ex Nummo *Elagabali* arguit Norisius de Epoch. Syrom. dissert. 5. cap.4. §.5. p.554.sq. In quo tamen admodum detrito certus haud designatus adparet, eruique potest annus. Geminos alios *Palti* cusos Nummos, unum cum *Mulieris* protome inscriptum Παλτηνων ΓΑΜΑΗΝΥ Maffejus protulit, alterum *Juliae Dom-*

nae

nae ſcalptum cum epigraphe ET. Παλτηνων produxere Froelichius in Adpend. ad Num. p.50, eque Cimelio Muſeliano Corſinius in Differt. ad dubia de Minniſari Regis Nummo &c. Par.II. dub.4.p.40.ſq. In priori Nummo porro litteris ΓΑΜΑ deſignari *GAbalam*, & *MArathonem* Urbes Palto vicinas, aliiſque HNY annum 458. ab Aera Seleucidarum, ſuſpicatur Froelichius in Num. Antiq. cap.6. p.105. Vereor tamen, ne integra vox illa Γαμανυ magis epitheton ſit Divae *Conjugiis* apud Paltenos praeſidis. In poſteriori vero Nummo litteras ET. notas eſſe anni 305, Aerae nempe *Paltenae*, cujus exordium fuerit U. C. annus 650, Chriſti ante natalem 104, quo in Syria duobus fratribus Antiochis, *Epiphane*, vulgo *Grypo*, atque *Philopatore*, vulgo *Cyziceno*, mutuo ſe bello laceſſentibus, Urbes pleraſque in libertatem adſeruiſſe ſe ſe putat, idem Froelichius opinatur. Contra vero Corſinius nullam eo in Nummo expreſſam Aeram eſſe cenſet, nec litteras ΕΓ legendas, bene vero EY, ideſt EYσεβης, aut EYτυχης, ita nempe ut *Julia Domna* eo in Nummo *Pia*, aut *Felix* adpellata ſit, in ea opinione cum Noriſio defixus, ut *Paltenae* Aerae cardinem ab U. C. anno 706, Chriſti ante natalem 48. repetendum fore putet. Conjecturae ſunt hae tamen certo utrinque deſtitutae monumento, quae noſtrum ideo alterutram in partem extorquere aſſenſum nequeant; ut ad alias proinde Syriae Urbes, in quibus *Caeſarianam* uſurpatam fuiſſe Aeram liquido conſtet, gradu reflectere magis praeſtet. Itaque *Raphaneae* eamdem uſu *Caeſarianam* veniſſe hactenus ignoratam Aeram primus ſe detexiſſe imaginatus eſt P. Chamillardus in Diario Trevoltino Octob. 1706, ac deinde in Diſſert. ad diverſos Num. diſſert.6, eumque pone ſequuti deinde ſunt nobile ejuſdem Soc. par Harduinus in Num. Popul. illuſt. p.143, in Hiſt. Aug. p.820, ac in Chron. Vet. Teſt. p.618, ac Froelichius in Num. Antiq. cap.4. p.49, ſingularis videlicet ope Nummi, in Cimelio ejuſdem P.Chamillardi ſervati, *Raphaneae* ſcalpti ſub Praetore *Cyrino*, cum *Anniae Fauſtinae* capite, annique nota AOC. 271, qui ab Autumno anni U. C. 705, ante Chriſti natalem 49. initio ducto, cum anno Chriſti 222, U.C. 975, *Alexandri Severi* 1. coincidit. Aſt enim Nummum huncce, quo

de nihil etiam suspicatus est falsimonii Philippus a Turre Adriae Episcopus in Epist. ad Astorium Ephemeridibus Litter. Ital. T.IV. Art. xvi. p.360. inserta, a falsario fusum probatum Salvinii, Averanii, & Blanchi testimonio praestitit Virginius Valsechius in Differt. de Initio Imperii Severi Alex. cap. 10, cui adstipulari neque dubitavit Vir doctiss. Paciaudus in Animad. Philolog. ad Num. Consulares M. Antonii sect. 8. p. 57. sq. *Seleuciae* ad Pierium eamdem *Caesarianam* Aeram frequentatam aliquando fuisse docent Nummi tres scalpti, *Neroni* duo cum anni notis HP. 108, & ϴP. 109; *Hadriani* alter, cum *Jovis* effigie, litterisque notatus ϛΞP. 166; quin tamen definiri certo queat, an pro cardine defigendus sit, sicut *Antiochenis*, U. C. annus 705, ante Christi natalem 49, an, sicuti *Laodicenis*, annus Christianam ante Aeram 48, U.C. 706: quamquam *Seleuciae* potius, quam *Antiochenam*, receptam *Laodicenam*, in proximiori nempe Urbe frequentatam, Aeram persuasum habeo: quò fit, ut in Nummis *Neronis* anni 108, & 109. ducti ab U. C. anno 706, Christi ante natalem 48. quadrent in annos Christi 60, & 61, U. C. 813, & 814, *Neronis* 7, & 8; in *Hadriani* vero Nummo annus 166. fuerit U. C. 871, Christi 118, *Hadriani* 2, apud Patinum in Sveton. p.289, & Harduinum in Hist. Aug. p.723, & 756. Quo patet sub *Tiberio Seleuciae* haud quaquam *Caesarianam* antiquatam Epocham fuisse: quamvis sub *Alexandro Severo* ad *Pompejanam* regressos *Seleucienses* Epocham fuisse supra vidimus, qua de re rursus infra.

XXX. Neque vero has inter Asiae, Syriaeque Urbium angustias *Caesarianam* hancce se continuisse Aeram censendum est, quin per alias longe plures fuerit pervagata, atque alibi, pluribique hospitio recepta. Hospitatam itaque *Tripoli* aliquando duobus praesertim ex Nummis ibi percussis, quorum in uno duo jugata *Castoris*, & *Pollucis*, Urbis insignia, capita, in altero *Cleopatrae*, & *M. Antonii* capita distincta comparent, cum epigraphe Τριπολειτων, atque Numerali anni nota L. ΚΓ. 23, pugnat Harduinus in Chron. Vet. Test. p.616, & in Hist. Aug. p.698, a quo nec abhorret Froelichius in Num. Antiq. p.52, quem annum 23, initio ab U. C. anno 705, Christi

sti ante natalem 49. capto, ideo fuisse U. C. 727, ante Christianam Aeram 27. putat, inde conficiens *Actiacam* pugnam, non anno utique U. C. 723, ut vulgo creditur, sed anno ut cum citissime 728. contigisse: siquidem anno superiori 727. *M. Antonius* in vivis adhuc ageret, celebreque in Asia, ut ostendunt Nummi eidem inscripti, ejus nomen tum etiam audiret. Verum, unius, alteriusve Nummi gratia, cujus etiam de Αὐθεντίᾳ sinceritate dubitare fas est, ac valdequam subest, a recepta, totque confirmata momentis de *Actiacae* Victoriae Epocha, opinione haud facile recedendum super Art. I. de Epochis Aegyptiorum &c. §. XXII. sqq. p. 106. sqq. ostendi. Is Nummus itaque *M. Antonio* signatus aut spuriis adcensendus est, aut signatus in eo Nummo annus 23. referendus est fortassis ad annum U. C. 722, Christi ante natalem 32, Aerae initio ducto ab U. C. anno 699, ante Christi natalem 55, quo post captum *Pelusium* Victoriis celebre *M. Antonii* nomen esse, ac in honore in Asia, & Aegypto haberi cepisse, discimus ex Plutarcho in M. Antonio: quod attamen abs me dictum potius divinando, quam adfirmando intelligi demum, accipique velim. A *Tripoli* non longe consita, Urbs in Phoenice altera haud ignobilis, *Botrys*, teste Pomponio Mela lib. 1. cap. 12, ante Romam, & Carthaginem ab *Ithobalo* I. Tyri, ac Sidonis Rege condita, Menandro Ephesio teste apud Josephum Antiq. lib. 8. cap 7, cujusce Regis filia *Jezabel*, multo infamis nomine, in Uxorem ab *Achabo* ducta legitur III. Reg. XVI. 31, *Autonomia* a *Julio* Caesare & ipsa donata, eamdem inde *Caesarianam* ab anno U. C. 705, Christi ante natalem 49. Aeram auspicata ostenditur Harduino in Num. Popul. illust. p. 36, Norisio de Epoch. Syrom. dissert. 4. cap. 5. §. 7. p. 484. sqq., ac Froelichio in Num. Antiq. cap. 4. p. 45, argumento ducto insigni ex Nummo a Vaillantio ex Anglia accepto, *Botrys* procuso, inscriptoque *Elagabalo* anno OC. 270. *Elagabalus* enim imperium injit anno U. C. 971, Aerae Christianae 218, interfectus est autem Christi anno 222, U. C. 975; a quo ideo retroducti anni 270. in annum incurrunt U. C. 705, ante Christi natalem 49. Jungenda Urbs in Coelesyria *Adramna*, Ptolemaeo lib. 5. cap. 15. memorata, cujus in Nummo in honorem *Commodi* cum notis

CKΘ.

CKΘ. anni 229. apud Harduinum in Num. Popul. illust. p. 6, atque Froelichium in Num. Antiq. p.42, Aera *Caesariana* sane conspicitur, cujus a capite U. C. 705, Christi ante natalem 49. ducti anni 229. in annum U.C. 933, Christi 180, *Commodi* 1. incurrunt. Eo ipso denique anno, quo *Pharsalica* commissa pugna est, hoc est U. C. 706, Christianam ante Aeram 48, in *Macedonia*, ad quam *Pharsalici* spectant campi, in Thessalia nempe ad Enipeum fluvium positi, confestim inductam *Caesarianam* isthanc fuisse Aeram ex *Severi Alexandri* Nummo apud Harduinum p.99. fit planum. In eo namque cum *Palladis* armatae Victoria, quae Graecis Νίκη vocatur, quo proinde & *Pallas* ipsa Νίκης adpellata passim nomine legitur, effigie, numerales conspiciuntur notae EOC. idest anni 275, qui ducto ab U.C. anno 706, ante Christi natalem 48. initio, desinunt in Aerae Christianae annum 227, U. C. 980, *Severi* 6. Qua de Macedonum Aera Froelichius etiam in Num. Antiq. cap.4. p.48: ubi hacce Macedoniae *Commune* notatum Aera legitur. *Aegae* quoque in Macedonia, sive Cilicia, Urbis, *Edessa* olim dictae, ubi Macedoniae Reges sepeliri consuevisse tradunt Diodorus lib.19. p. 634. sq., Solinus cap. 14, & Plinius lib.4. cap.10, eamdem observatam fuisse Aeram plerique documento Nummi sunt apud Harduinum in Num. Popul. illust. p.9. sq., Holstenium in Not. ad Stephanum de Urb. p.12, ac Froelichium in Num. Antiq. cap.4. p.42. Quamquam *Caesarianam* alteram, qua de modo, *Aegae* inductam fuisse Aeram, ab U. C. anno 707, aut 708. initio ducto, ex Nummis paullo infra suadere satagam.

XXXI. Proxime itaque ad *Caesarianam* hanc Epocham referenda modo *Caesariana* est altera, ejusdem de *Julii Caesaris* nomine adpellata: quam in Syria, Cilicia, & Cappadocia aliquando obtinuisse constat. Enim vero *Julium* Caesarem ex Aegypto in Syriam anno U. C. 707, Christi ante natalem 47. venisse, inde vero profectum in Ciliciam, ibique Provinciae totius procuratis rebus, magnis per Cappadociam itineribus confectis, ad bellum processisse contra *Pharnacem* Bosphori Regem, quo facile superato, celebrem periocham illam in Epistola ad Senatum usurpasse legitur: *Veni*, *Vidi*, *Vici*,

Vici, referunt Dio lib. 41, & 42. p. 207, Josephus Antiq. lib. 14. cap. 16. sq., Plutarchus in Caes. p. 731, Appianus de Bello Civ. lib. 2. p. 484. sq., Svetonius in Julio cap. 35, Florus lib. 4. cap. 2, Hirtius de Bello Alex. cap. 66, aliique, quos conglomerare non vacat. Itaque ab Immunitate, & *Autonomia* eodem anno a *Julio* Caesare indulta nova in *Julii* honorem instituenda, ab Autumno ejusdem anni incipienda, Urbibus nonnullis eo adfectis beneficio visa Aera est. Inter quas prima ex *Syria* prope Laodiceam ad Mare se offert *Gabala*, quae suis in Nummis *Trajano* inscriptis duobus notas exhibet annorum BNP. 152, & ΔNP. 154, qui cardine ab Autumno anni U. C. 707, Christi ante natalem 47. ducto, finiunt in annum Christi 106, & 108, U. C. 859, 861, *Trajani* 9, & 11. In *M. Aurelii* uno annos obsignavit ΓKC. 223, hoc est U. C. 930, Christianae Aerae 177, *M. Aurelii* 17. In *Commodi* duobus litteras habet ΓΛC. anni idest 233, qui U. C. anno 940, Christi 187, *Commodi* 8. congruit. In *Caracallae* quatuor annorum refert epigraphem ANC. 251, BNC. 252, ΓNC. 253, & ENC. 255, hoc est Aerae Christianae 205, 206, 207, & 209, U. C. 958, 959, 960, & 962, *Severi* 13, 14, 15, & 17, a quo Imperii anno 7, U. C. 952, Christi 199, ut *Caracalla* filius Senatus decreto Imperator renuntiaretur, effectum est. In *Diadumediani* uno notam ΓΞC. regerit anni 263, qui fuit U. C. 270, Christi 217, *Diadumediani* cum *Macrino* patre 1: queis de Nummis Harduinus in Num. Popul. illust. p. 60. sq., & in Chron. Vet. Test. p. 613, ubi *Caesarianam* hancce sane *Gabalae* inductam Epocham ab anno U. C. 708, Christi ante natalem 46, sive ab anni superioris Autumno inchoandam, uno idest anno tardius, recte, me quidem judice, statuit, atque Norisius de Epoch. Syrom. dissert. 3. cap. 8. §. 3. p. 305. sqq.; a quo tamen Aera isthaec ab anno U. C. 707, ante Christi natalem 47. inita, uno retardanda anno, ut modo innuebam, *Diadumediani* ostenditur Nummo: ubi annus 263. inceptus ab U. C. anno 707, ante Christi natalem 47. alioqui competeret in annum Christi 216, U. C. 969, unum idest ante, quam cum *Macrino* patre imperium *Diadumedianus* auspicaretur.

XXXII. Eo-

XXXII. Eodem jam vero ab anno U. C. 708, ante Christianam Aeram 46. cardine ducto, *Caesariana* eadem, in Libertatis, Immunitatis, & *Autonomiae* a *Julio* Caesare impetratae memoriam, Epocha in Ciliciae geminas Urbes *Adanam*, & *Aegam* inducta est. Atque de *Adana* quidem ostendit id Nummus apud Harduinum p.6. *Commodo* inscriptus cum nota ΘKC. anni 229, (nisi ea Urbs *Adramna* sit in Coelesyria), qui initio ducto ab U.C. anno, non utique 705, ut Harduino visum, quo prior *Caesariana* incepit, nec ab anno 707, ut Norisius de Epoch. Syrom. p. 394. sqq. aestimat, bene vero 708, quo *Caesariana* posterior, sicut in *Syriam*, ut modo dictum, sic non ante in *Ciliciam* inducta est, (si tamen Urbs, qua de agimus, ad Ciliciam pertinet), in annum incidunt Aerae Christianae 183, U. C. 936, *Commodi* 4. De *Aega* quoque, Urbe non in *Aeolide* utique, ut perperam Harduinus persuasum olim habuit, p. 9. sq., sed in *Cilicia* quaerenda, *Libera* inde dicta Plinio lib.5. cap.27, quae sicut *Adana*, Imperatoribus pro more Graecorum adulata, modo de *Hadriani* nomine *Hadrianopolis*, modo *Commodiana* de *Commodo*, modo *Macrinopolis* de nomine *Macrini*, ac modo de *Alexandro Severo*, ut verius putat Norisius, de *Alexandro* Macedone sic dictam putantibus aliis, Harduino &c., *Alexandropolis* se se inscribere delectata est, ex Nummis discimus apud Harduinum, atque Norisium loc. cit., qui a Tristano T. II. p.43, ac Vaillantio illos accepere, *Hadriani* videlicet cum notis anni HOP. 178; *Antonini Pii* HΠP. 188; *M. Aurelii* AIC. 211; *Commodi* duobus ZKC. 227, & ΔAC. 234; *Severi* EMC. 245; *Juliae Domnae* NC. 250; *Caracallae* AΞC.261; *Macrini* ΔΞC. 264; *Diadumediani* ΔΞC. 264; *Alexandri Severi* EOC. 275; *Juliae Mamaeae* duobus OC. 270, & ΘOC. 279; *Gordiani* HΠC. 288; *Aemiliani* ΘqΣ. 299; *Valeriani* quinque T. 300, AT. 301, ΓT. 303, ET. 305, & ZT. 307: qui ducti ab Autumno anni U. C. 708, ante Christianam Aeram 46, quo a *Julio* Caesare *Autonomiam* Urbi concessam indicat Hirtius de Bello Alex. cap. 66, probe quadrant in annos Christi 132, 142, 165, 181, 188, 199, 204, 215, 218, 224, 229, 242, 253, 254, 255, 257, & 259; U. C.

U. C. 885, 895, 918, 934, 941, 952, 957, 968, 971, 977, 982, 986, 995, 1006, 1007, 1008, 1010, & 1012. Jungenda *Zela* in Cappadocia Urbs, sive in Ponti Mediterraneis ab insigni *Anaitidis* fano celebratissima, quod Fanum *Persicorum* fuisse Sacrorum, ejusdem quoque cum Pontificem maximo in honore habitum, tum ingenti *Hierodulos* multitudine deservisse, eique multum Agri deinde a *Pompejo* adjectum fuisse, Urbemque factam refert Strabo lib. 12. p. 385, *Zela*, inquam, ab ingenti, quam ibi de *Pharnace* retulit *Julius* Caesar, Victoria celebris, qua de Plutarchus in Caes. p. 731, Dio lib. 42. p. 207, ac Hirtius de Bello Alex. cap. 66, Harduino in Num. Popul. illust. p. 65, in Chron. Vet. Test. p. 613, & Hist. Aug. 798, atque probabiliter quidem visa est; quam ideo putat Urbem pristinae fuisse restitutam libertati a *Julio* Caesare, eam idcirco novam, Imperatoris ejusdem in honorem, ab *Autonomia* impetrata, eamdemque nempe, quae *Caesariana* ideo dici solet, eodemque U. C. anno 708, ante Christi natalem 46. ineuntem, Aeram instituendam duxisse, eamque sane esse, quae conspicitur in Nummis *Juliae Domnae*, & *Antonini Caracallae*, quos ipsemet exhibet, obsignatis MC. anno 240, & BMC. 242, qui ducti ab U. C. anno 708, ante Christi natalem 46. in annum competunt Aerae Christianae 194, & 196, U. C. 947, & 949. Haec ut magnam veri speciem habeant, ad veritatem tamen propius accedere ego quidem puto, si *Zelae* Aeram biennium infra detrudam, ejusque caput ab anno dumtaxat U. C. 710. ineundum ducam: qua de re suo infra loco, quum de *Zelae* Aera recurret sermo.

XXXIII. Pari, ut Superis placuit, conditioni, sortique duas in Paphlagonia Urbes subjacuisse constat, ut prius gravi sub jugo positae, *Julii* postea Caesaris ope, pristinam recuperarent libertatem, *Sinope*, & *Amisum*, inter quas ingens olim de Principatu lis, jurgiumque fuit. Atque *Sinope* quidem Urbs adeo vetus fertur, ut ad Argonautas ejus originem referendam putet Strabo lib. 12. p. 376, *Jovi* adeo Sacra, ut inde Jupiter *Sinopites* Alexandriam feratur advectus, sitque idem cum *Serapide*, in Templo a *Ptolemaeo* exstructo cultus, Dionysio in Perieg., Eustathio ibid., & Tacito Annal. lib. 4.

cap.84. testibus; libertatis adeo fuerit tenax, ut eamdem pro virili tuita sit usque ad *Pharnacem*, a quo demum in potestatem transducta est; adeoque nobilitata, ut ab ipso *Pharnace* Regum Ponti Regia facta fuerit. Pristinae itaque tam a *Lucullo* primum anno U. C. 684, ante Christi natalem 70. *Autonomiae* restituta, Strabone lib.12. p.546, & Appiano in Mithrad. p.227. testibus, (quo loci fallitur Vaillantius in Num. Colon. T.I. p.161, & T.II. p.149. *Sinopem* Romanam a *Lucullo* Coloniam factam opinatus, quae perinde opinio in errorem pertraxit Jobertum, emendatum ideo a Bimardo de la Bastie in Annot. ad Instr. 11. T.II. p.177. sq.), quam a *Julio* Caesare postea in *Autonomiae* privilegio confirmata, eo ipso, quo id beneficii consequuta est, utroque anno, tam idest primum U.C. 684, quam postea U. C. anno, non utique 705, ut Harduino in Num. illust. p.156. sq., & in Chron. Vet. Test. p. 613. visum, bene vero 708, quo aliis Syriae, ac Ciliciae Urbibus eumdem *Autonomiae* honorem a *Julio* Caesare collatum modo vidimus, novam instituendam duxit Epocham. Id ex Nummis intelligimus *Sinope* Imperatorum nomine inscripti, alterutrius cum Epochae notis; & quidem *Lucullanae* in Nummis, apud Tristanum p.508, Vaillantium Colon. T. I. p.193, & T. II. p. 92, Harduinum p. 156. sq., & Froelichium in Adpend. ad Num. Colon. p. 88. sq., *Augusti* 31, qui ab U. C. anno 684, ante Christianam Aeram 70. ductus in annum incidit ante Christi natalem 40, U. C. 714, Triumviratus *Augusti*, *M. Antonii*, & *Lepidi* 4; *Alexandri Severi* 294, qui fuit U. C. 977, Christi 224, *Severi* 3; *Maximini* 305, idest Christi 235, U. C. 988, *Maximini* 1; *Gordiani Pii* 308, idest U.C. 991, Christi 238, *Gordiani* 1; & *Philippi* 319, qui ducto initio ab U. C. anno 684, ante Christum 70. annum in *Lucullana* Aera indicat U. C. 1002, Christi 249, quo *Pilippus* vivendi finem fecit. *Caesarianam* vero Epocham *Sinope* quoque usurpatam fuisse, & ab anno haud quidem U. C. 705, Christi ante natalem 49, ut Haymio in Thes. Britan. T.I. p.260. sq., Vaillantio pridem in Num. Colon. T. II. p.42, ac Froelichio Tentam. p.89. visum est; neque U.C. anno 706, ante Christi natalem 48, velut Harduinus, Vaillantius postea in edit. Parisina

sina 1695. ad Nummum *M. Aurelii* p.193, & Abbas Fontenu Monum. Acad. Parif. Infcript. T. X. p. 465. perfuafum habuere; neque U.C. anno 707, ante Chrifti natalem 47, uti Bimardus de la Baftie cenfuit; bene vero U.C. anno 708, imo 709, Chrifti ante natalem 46, aut verius 45. initam, docent itidem Nummi praelaudatos apud Scriptores *Caefarianae* obfignati Aerae anno 83. in *Caligulae* Nummo; anno 102, & 104. in duobus *Neronis*, & *Octaviae* Nummis; anno 141. in Nummo *Nervae*; anno 182, & 188. in *Hadriani* Nummis; *M. Aurelii* 204; *Fauftinae* 204; *Fauftinae* Jun. 207; *Diadumediani* 241; *Getae* 255; *Severi Alexandri* 294; *Maximini* 305; *Gordiani Pii* 311; *Philippi* Jun. 309; *Gallieni* 330, & 335. &c., velut oftenfum dedere cum poftea Froelichius in Adpendicula anno 1744, Cl. Khellio curante, typis edita; tum perinde Abbas Belleyius in Differt. ad Aeram Sinopis Monum. Acad. Infcrip. T.XXVI. p.456. fqq.

XXXIV. Ad alteram modo, infignemque Paphlagoniae, five Ponti accedendo Urbem, *Amifi* quoque, Urbis nempe antiquiffimae; quae a Milefiis primo condita, Athenienfium poftmodum aucta Colonia *A'ὐξίολογος Illuftris* facta Straboni lib. 12. p. 547. fertur, aliquandiu libera, fuifque utendi legibus domina, ut omnes Graecorum olim in Afia Civitates, poft oppreffa a Regibus Ponti, a quibus Regiam ibi Arcem conditam adfirmat Cicero Orat. pro Lege Manilia cap.8, a *Lucullo* poftea in libertatem adferta fuit; quam ideo rite *Liberam* dixit Plinius lib.6. cap.2, ac *Pompejopolim* deinceps adpellatam fubjungit; in libertate perinde, & *Autonomia* confirmatam a *Julio* Caefare fuiffe refert Dio lib. 42. p.207; quin infuper foederatis Regibus obnoxiam a *M. Antonio* factam, *Actiacam* poft Victoriam ab *Augufto* priftinae libertati, & *Autonomiae* fuiffe reftitutam tradit Strabo ubi fupra; in eademque libertate perinde, fuifque utendi legibus facultate a *Trajano* confirmatam fcripfit ad eumdem Imperatorem Plinius Junior lib.10. epift. 93, adparetque ex Nummis *Hadriani*, *Sabinae*, *L. Veri*, *Commodi*, *Antonini Caracallae*, *Diadumediani*, & *Maximini*, vel cum epigraphe Ελευθερας, vel cum Epocha *Auguftaea* infcriptis, *Amifi*, inquam, *Lucullanam* primo,

Caesarianam postinde, *Augustaeam* postremo institutam fuisse Aeram praecitati docent Scriptores ex Nummis, in quibus prior utraque desideratur quidem, *Augustaea* tamen posterior aperte conspiciendam se praebet, qua de infra. De altera porro, quae *Amisi* perinde eo, quo a *Stratonis* tyrannide in libertatem se Urbs adseruit, U. C. anno 721, Christi ante natalem 33, usurpari cepit, Aera suo agetur opportuno in loco: In *Macedonia* novam a *Pharsalica* pugna, hoc est U.C. anno 706, Christi ante natalem 48, *Caesarianam* obtinuisse Aeram paullo supra palam est factum. Ast enim ab *Autonomia* Macedoniae Urbibus *Amphypoli*, *Amantinae*, *Scotussae*, *Oresti*, *Thessalonicae* &c. a *Julio* Caesare restituta, queis de Plinius lib.4. cap.10, *Liberas* ideo easdem adpellans, *Caesarianam* hanc Epocham ibidem fuisse inchoatam, ab anno idest U. C. 708, Christi ante natalem 46, ex hactenus disputatis veri fit valdequam simile.

XXXV. Ad *Augustaeam* modo Aeram stylo deflexo, factoque gradu, recolenda sunt prius, quae de variis *Augusti* Epochis Super. Volum.IV.Art.III.de Aegyptiorum &c.Epochis §.XXII.sqq. p.106.sqq. abunde, opinor, disputata sunt, ubi nempe duo inter alias praecipuae Epochae *Augustaeae* distinctae, ac bono in lumine collocatae sunt, ab *Asia recepta*, idest a *Victoria Actiaca* una, quam in diem 2. Septembris anni Juliani 15, *Augusti* 14, U. C. 723, ante Christi natalem 31. conferendam ostendimus; altera sequenti anno a *Capta Alexandria*, sive ab *Aegypto recepta*, quam a die 1. Augusti, Juliano anno 16, *Augusti* 15, U. C. 724, ante Christi natalem 30. non removendam evicimus; atque posteriorem hanc *Alexandrinis* usu pridem venisse, ideo quod eo anno Aegypto potitus *Augustus* fuisset, testimonio comprobavimus Josephi Antiq. lib.15. cap.10, ac Svetonii lib.2. cap.17: qua de caussa eodem anno U. C. 724. a die 29. Augusti Aegyptios *Augustaeae* huic Epochae initium fecisse testes accedunt Dio lib.51. p.457, acCensorinus de die Nat.cap.21.*Augustaeam* posteriorem etiam hanc Aeram sectatos perinde fuisse *Antiochenos* in Syria ideo, quod non ante Syros in *Augusti* partes transivisse, quam de *Actiaca* pugna, & *Antonii* sibi imperantis deploratis rebus, pro-

profligatisque nuntios recepissent, ideoque mora opus fuisse, de his ut certiores fierent, persuasum habuere olim Norisius in Cenotaph. Pisan. dissert. 2. cap. 16. Oper. T. III. p. 458. sq., & 518. sqq., Harduinus in Chron. Vet. Test. p. 615, ac post ipsos Ludovicus du Four Longuerue de Var. Epochis Vet. cap. 3, ubi tamen §. 11. p. 120. sq., ac in Mantissa, seu Epist. ad Allixium p. 198. sq. multa inter alia, quae contra Norisium, atque de Anni quammaxime *Antiocheni* initio disputat, illud ex Vaillantio demonstrare nititur litteris A. B. Γ. in Nummis Antiochenis notatis, non annos utique *Augustorum* designari, sed primam, secundam, ac tertiam *Monetariam* officinam, qua de re infra. Hanc ipsam opinionem pro viribus adstruere perinde conatus est Samuel Basnagius in Annal. Polit. Eccles. ad annum Christi ante natalem vulgarem 30. §. 14. sq. p. 51. sq. Verum priorem *Augustaeam*, videlicet ab *Asia recepta*, usu *Antiochenis* venisse, tum quod eo ipso, quo *Actiaca* Victoria contigit, ea sive statim cognita Syris fuerit, sive adhuc ignorata, anno Populis, atque Regulis ubique partes *Antonii* deserentibus, Antiocheni ad partes *Augusti* sibi accedendum putaverint, velut ex Dione lib. 51. p. 447. arguere fas est; tum quod antequam Alexandriam peteret *Augustus*, Mense Julio Antiochiam ingressus, beneficiis Urbes sibi devinxisse, indeque factum, ut eo ab anno, Menseque aut Julio, quo *Autonomiam* consequuti sunt, aut Septembri, quo *Actiaca* contigit Victoria, Epocham *Augustaeam* ineundam Antiocheni duxerint, persuasum habuit Pagius in Adpar. Chron. ad Annales Baron. n. 103. sqq. edit. Lucen. p. 353. sq., quod a Pagio persuasus ratum deinde fecit Norisius de Epoch. Syrom. dissert. 3. cap. 7. T. II. p. 257. sqq., cum ipsoque Vaillantius in Num. Imperat. edit. Rom. T. II. p. 36. sq. Cui opinioni, ipso fatente Basnagio, illud probabilitatis insuper accedit, quod Antiocheni, etsi nonnisi post *Alexandriam* captam ad partes *Augusti* transivisse supponantur, juxta morem tamen receptum annos inchoandi ab Autumno, Aerae *Augustaeae*, eodem anno recens institutae, a superiori Septembri, quo *Actiaca* vere contigerat Victoria, ducendum initium statuerint.

XXXVI. Ejusmodi jam vero Aerae initium statuere juvat

vat Nummorum ope, qui *Antiochiae* cusi hanc utique ab *Asia recepta*, sive a *Victoria Actiaca* inibi inductam Aeram ostentant. Cujusmodi sunt cum *Jovis*, Urbis Antiochenae Genii, sive Tutelaris, effigie, litterisque numericis inscalpti Θ. anno 9, IΔ. 14, IΘ. 19, & K. 20, qui capto ab U. C. anno 723, ante Christianam Aeram 31. initio, finiunt in annos U. C. 731, 736. 741, & 742, Christi ante natalem 23, 18, 13, & 12. Cum ejusdem *Genii* Urbis capite turrito, ac velato, quod *Autonomiae* symbolum est, qui explicite cum Α'υτονόμου epigraphe obsignati, atque notis annorum ΔK. 24, & EK 25. prostant apud Vaillantium, Jobertum, Norisium, & Harduinum p. 21, idest U. C. 746., & 747, ante Christianam Aeram 8, & 7. Cujusmodi sunt *Augusto*, Romae jam Pontificem M. agenti, & Antiochiae supremo apud ipsos Antiochenos Sacerdoti electo per annos sex inscripti cum annorum notis EK. 25, ZK. 27, HK. 28, ΘK. 29, & Λ. 30, apud Vaillantium loc. cit., & Harduinum in Num. illust. p. 21, & in Chron. Vet. Test. p. 618, (ubi recte advertit Nummum desiderari cum nota anni ςK. 26, quem anno 2. Sacerdotii Antiochiae initi ab *Augusto* cusum haud ambigit), qui ducti ab eo, quo *Antiochiae* ipsius cepit imperium, eoque ab ipso, quo *Actiaca* idest Victoria contigit, incidunt in annos U.C. 747, 749, 750, 751, & 752, ante Christi natalem 7, 5, 4, 3, & 2. Cum ejusdem *Augusti* vultu notatus alter Nummus litteris numeralibus AΛ. anno 31, idest *Augustaei* imperii Antiochiae initi 31, qui fuit U. C. 753, ante Christianam Aeram 1. In eumdem referendi censum *Antiochiae* Nummi alii cusi, cum *Jovis* effigie iterum sub *Saturnino* Praeside Syriae unus, notis obsignatus EΛ. 35, *Augustaei* hoc est imperii apud Antiochenos incepti anno 35, qui cum anno cepit U.C. 757, Aerae Christianae 4, apud Norisium, ac Harduinum loc. cit.; alterque a Baldino adjunctus ex Museo Apostoli Zeno Vaillantii Nummis Imper. T. II. p. 36, ubi cum *Augusti* capite laureato, notae habentur numerales in Areae parte superiori ςΛ. anni 36, in inferiori ΔN. anni 54, in imo Monogramma XT, quo sane Monogrammate adposito tria designari *Antiochiam*, ejus *Autonomiam* a *Julio* Caesare anno U. C. 705. impetratam, & *Augustam*, sic ab *Augusto*. di-

dictam, recte vidit Baldinus, unde anni 54. ducti ab U. C. anno 705, annique 36. ducti ab anno U. C. 723. in eumdem prorsus annum U.C.759.confluunt. Nummi sub *Silano* tres alii signati anno BM.42, ΓM. 43, & ΔM. 44, queis de Jobertus, Norisius, Spanhemius de Praest. Num. p. 867, & Harduinus Num. illust. p. 21, & in Chron. Vet. Test. p. 625, qui ducti ab U. C. anno 723, ante Christi natalem 31, quo *Antiochiae* injisse *Augusti* imperium contendimus, annos indicant *Augustaei* imperii 42, 43, & 44, U. C. vero 764, 765, & 766, Aerae Christianae 11, 12, & 13. Sub eodem *Silano* alter, cum *Tiberii* capite laureato, & epigraphe Τι. Καισαρ Σεβαςος Αρχιερ. Μεγ. Αρχιερατικον Αντιοχεις *Tiberius Caesar Augustus Pontifex M. Primarium Sacerdotium apud Antiochenos*, nota signatus numerali A. anni 1, *Tiberii* idest, uti Norisio, & Harduino videtur, ac litteris EM. anno 45, qui fuit uterque Christi 14, U. C. 767, apud Tristanum T. I. p. 66, Norisium loc. cit., & Harduinum in Num. Popul. illust. p.21. sq., & in Chron. Vet. Test. p.625.

XXXVII. Faciunt & huc alii sane quinque sub eodem *Silano* obsignati Nummi BM.42, ΓM. 43, ΔM.44, ZM.47,& ΘM. 49, apud Harduinum, Norisium, ac Longuerue p. 120, (qui posterior tamen in priori Nummo littera A. designari Officinam 1. *Monetariam*, non vero *Tiberii* annum 1. putat), qui fuere profecto U. C. 764, 765, 766, 769, & 771, Aerae Christianae 11, 12, 13, 16, & 18, *Tiberii* Imperii Proconsularis, sive Tribunitiae Potestatis, quae ab *Augusto* ipsi facta *Augusti* anno 33, (quo *Augustus* ipse Pontifex M. inauguratus est, ut habet Dio lib. 54. p. 540, exhibentque Vetus Kalendarium Farnesianum apud Gruterum p. 133. ad diem 4. Martii, ac Marmoreum aliud in Aedibus Maffaejis ad eamdem diem apud Graevium Antiq. Rom. T. VIII. edit. Ven. p.4, videndique Ovidius Fast. lib.3, ac Svetonius in Caes. cap.13, & post ipsos eodem Antiq. Roman. Tomo VIII. Siccama in Fastos Kalend. p. 65, Dempsterus in Kalend. Rom. p. 117, Petavius in Vet. Rom. Kalend. p.127, Gassendus in Kalend. Rom. p.157, ac Junius in Fast. Rom. p.234.), Juliano anno 34, ante Christi natalem 12, U. C. 742. traditur a Dione loc. cit., Tribunitiae, in-

inquam, Potestatis, (quam ideo frustra sollicitasse, commentoque perperam adfirmasse simillimam Harduinum in Chron. Vet. Test. p. 625. inde fit palam), annus ab Autumno inceptus 1, 2, & 3, *Augustaei* vero imperii annus 3, & 5. Eidem *Tiberio* inscripti duo alii cum notis ΔN. anni 54. apud Patinum in Thes. p. 48; alterque cum *Tiberii* epigraphe sub *Flacco* signatus litteris BΞ. anni 62, qui fuere Christi 23, & 31, U.C. 776, & 784, *Tiberii* 10, & 18. apud Harduinum in Chron. Vet. Test. p. 626. sq. Qui perinde tam in Num. Popul. illust. p. 22, quam in Chron. Vet. Test. p. 635. sq. Nummos sub *Petronio*, & *Cassio* Syriae Praesidibus, *Claudio* imperante, subque *Quadrato*, & *Cestio*, imperante *Nerone*, *Antiochiae* cusos Aera obsignari, non *Augustaea* utique, veluti Norisio in Cenotaph. Pisan. dissert. 2. §. 13. p. 528. visum fuerat, sed *Caesariana*, uti demum vidit etiam Norisius de Epochis Syrom. dissert. 3. cap. 8. §. 1. p. 280, denuo cepisse recte observat, & ostendit. Et Norisius sane in Cenotaph. Pisan. loc. cit. in duobus *Neronis* Nummis, apud Patinum in Additis ad Ursinum, & apud Spanhemium de Praest. Num. dissert. 9. p. 867, obsignatis Δ. anno 4, & EΠ. 105. Aerae *Antiochenae*, quam cum anno U. C. 724, ante Christi natalem 30. inceperat, annum utrumque 4, & 105. cum U. C. anno 810, Christi 57. composuerat. Ast enim annus Aerae *Augustaeae* 105. cum anno U. C. 827, initio ducto ab U. C. anno 723, aut cum anno U. C. 828, ducto initio ab U. C. anno 724, Aerae Christianae 74, aut 75, *Galbae* 7, aut 8. concurrit. E contra Aerae *Caesarianae* annus 105. vere competit in annum Christi 57, U. C. 810, *Neronis* 4: unde patet annum 105. ad *Caesarianam* Aeram referendum fore. Quare Norisius de Epoch. Syrom. loc. cit. a priori recedens opinione, agnovit demum, quod pridem haud fugit Harduinum in Num. Popul. illust. p. 22, sub eodem *Tiberio* Imperii *Augustaei* in Syria Epocham omitti cepisse, ac ita tum *Antiochiae*, tum *Seleuciae* deinceps omissam fuisse, reditumque mox ad *Caesarianam*, mox ad *Syromacedonum* Aeram. Quamobrem in duobus postremis *Tiberio* inscriptis, scalptisque *Antiochiae* Nummis, annoque notatis 54, & 62, *Augustaeae* non utique, sed *Caesarianae* obsigna-

fignatos Epochae annos fuiffe, ad quam, *Tiberio* ipfo fuperftite, regreffi fuerint Antiocheni, Longuerue de Var. Epoch. cap. 3. §. 11. p. 121. fqq. opinatus eft: quae Viri doctiff. opinio ex dictis hactenus veri fit valdequam fimilis. Sicuti vero Antiochiae mutata faepius Epocha, ac modo *Actiaca* ab U. C. anno 723, modo *Caefariana* ab anno U.C. 705. viciffim eft ufurpata; ita fieri potuit, ut *Auguftaea* etiam in Nummis aliquando fuerit ufurpata, ab U.C. anno 727. videlicet initio ducto: quo modo ab Aera vulgari verum Chrifti natalem indiftinctum defendentibus ratio fuppetit explicandi Nummos, quibus ii pugnant, qui Aeram vulgarem quadriennio Chrifti natalem anticipaffe propugnant.

XXXVIII. Veriorem jam vero juxta Pagii, ac Norifii opinionem, idem ferendum judicium de *Seleucia* ad Pierium, deque *Laodicea* ad Mare, in honorem nempe *Augufti*, a quo beneficiis, atque inter haec, *Autonomiae* fingulari cumulata utraque fuerat Urbs, novam, non ab *Aegypto capta* utique, ideft ab U. C. anno 724, bene vero ab *Afia recepta*, hoc eft ab anno fuperiori U. C. 723, quo ipfo *Augufti* in Syria imperium ceperat, Epocham ab utraque fuiffe inftitutam Urbe: quod liquido docent nos utrobique *Auguftis* infcalpti Nummi. Atque *Seleuciae* quidem duplex id oftendit fub *Silano* procufus apud Vaillantium, & Harduinum in Num. Popul. p. 152, & in Chron. Vet. Teft. p. 626, Nummus cum epigraphe Γ. Επι Σιλανου, Numerica anni fignatus nota ZM. 47; qui ab anno U. C. 723, ante Chriftianam Aeram 31. initus annum indicat Chrifti 16, U. C. 769, *Tiberii* 3: quem indicatum etiam littera Γ. putant Harduinus, Vaillantius, ac Norifius; repugnat vero Longuerue, ea littera Γ. indicari *Monetariam* Officinam 3. opinatus. Cui opinioni ut ego refrager, id efficit quidem, tum quod cum *Seleucienfis* Aerae anno 47. probe congruat *Tiberii* annus 3, ut ideo de induftria potius littera Γ. adpofita Nummo pro anni 3. indicio videri debeat, quam cafu Nummum in Officina 3. *Monetaria* procufum dicere fubveniat; tum quod, ut paullo fupra vidimus, in Nummis Antiochiae procufis *Auguftaei* Imperii, recteque quidem, anni defignati fuere, inque Nummo *Tiberii* littera A. recte quo-

que *Tiberii* annus 1. designatus fuit, qui probe cum anno Aerae *Antiochenae* ibidem etiam notato EM. 45. congruit, atque fuit uterque Aerae Christianae annus 14, U. C. 767. *Laodiceae* quoque eamdem *Augustaeam*, eamque ab *Asia recepta*, sive ab *Autonomia* Urbi ab *Augusto* indulta, sive ab incepto *Augustaeo* in Syria imperio, eodem idest U. C. anno 723, ante Christi natalem 31, *Augustaeam*, inquam, obtinuisse Aeram docet alter sub *Tiberio*, cum *Apollinis*, Genii videlicet, sive Tutelaris Urbis Numinis, radiato capite, *Laodiceae* scalptus Nummus apud Harduinum in Chron. Vet. Test. p. 626, & Hist. Aug. p. 707, notaque insignitus ZM. anni 47: qui sane ductus ab U. C. anno 723, ante Christianam Aeram 31, uti dixi, cum anno rite concurrit U. C. 769, Christi 16, *Tiberii* 3. Indicio idest tam *Seleucienses*, quam *Laodicenos* simili utrobique percusso Nummo, *Tiberio* res praeclare eo gestas in Syria anno, *Germanici* opera, rebus Syriae componendis, profligandisque Parthis missi, gratulari voluisse. Posthac *Tiberio* adhuc superstite, sicut Antiochiae, sic & Seleuciae, & Laodiceae ab *Augustaea* in Nummis obsignanda cessatum Epocha fuisse, tumque primo regressum ad *Caesarianam*, tumque postinde ad pristinam *Syromacedonicam*, viceplus simplici observatum, ostensumque paullo superius est, ideoque gradus ad Urbes alias, queis eadem usu *Augustaea* aliquando venerit Aera, faciundus, properandusque.

XXXIX. Eminet jam vero inter istas *Apamea* ad Axium Amnem, Ἱερᾶς ϗ Αὐτονόμου titulo in Nummis illustrata, cui vel ob *Autonomiam* ideo Urbi ab *Augusto* indultam, vel ob *Augusti* captum in Urbem imperium, eamdem *Augustaeam* Epocham, eodem ab *Asia recepta*, seu U. C. anno 723, Christi ante natalem 31. ceptam, acceptam fuisse discimus facile ex Nummis ibi cum *Augusti* vultu cusis, ac notis ΓK. anni 23, ΔK. 24, & HK. 28, apud Vaillantium, Begerum Thes. Brandeburg. T. II. p. 68, & Harduinum in Chron. Vet. Test. p. 617. sq., qui cum anno U. C. 745, 746, & 750, ante Christianam Aeram 9, 8, & 4, *Augustaei* in Syria imperii 23, 24, & 28. recte concurrunt. Eamdem vero Epocham *Leucadiae* etiam, ab Apamea non longe a Plinio lib. 5. cap. 23. positae, tam

tam sero fuisse usurpatam, quam postremo, tardeque usurpari desiisse fit manifestum ex *Gordiani Pii* Nummo, apud Harduinum in Num. illust. p.95, & Hist. Aug. p. 830, Vaillantium, atque Norisium de Epoch. Syrom. dissert. 3. cap.9. p.354. sq., cum anni nota ΔOC. 274, qui ab U. C. anno 723, ante Christi natalem 31. initus competit in Christi annum 243, U. C. 996, *Gordiani 6*: quo patet diutius, quam Antiochiae, Seleuciae, Laodiceae, Apameae &c., *Augustaeam* hanc Epocham *Leucadiae* fuisse observatam. Cujusce observatio inde facile, e Syria idest, ad Urbes alias huicce proximas Judaeae, atque Palaestinae translata pariter est. Quod ut aperiatur, planumque fiat, duo se nobis prae aliis offerunt Urbes, *Caesarea* in Palaestina, & ad Palaestinae fines haud procul a Mari posita *Anthedon*, in quibus *Augustaeam* hanc Epocham aliquando fuisse usurpatam liquido constat. Constatque de *Caesarea* quidem, quae *Turris Stratonis* antiquitus nominata, ab *Herode* deinde exornata, in *Augusti* honorem *Caesarea* denominata est, constat, inquam, duobus ex Nummis *Augusti* capite insignitis, quorum unus epigraphem exhibet Ετους KZ. Νικης *Anno 27. Victoriae*, qua non utique de Parthis devictis *Asia recepta* est, velut Harduino in Chron. Vet. Test. p.618. excidit, Victoria isthaec enim a *Julio* Caesare de Parthis anno U. C. 705, Christi ante natalem 49. reportata est, quo *Caesarianam* inde dictam incepisse Aeram supra dicebamus; sed qua *M. Antonio* debellato ad *Actium*, ab ipso *Asia recepta* est *Augusto*; alter vero Numerali inscriptus nota L. AH. anni 38, apud Harduinum in Num. Herodiadum p. 330, & Chron. Vet. Test. p.618, ac 624, qui ducti ab U. C. anno 723, ante Christianam Aeram 31. incidunt in annos U. C. 749, & 760, ante Christi natalem 5, Aerae Christianae 7. De *Anthedone* vero, quae a *Gabinio* prius instaurata, ornatior postea ab *Herode* facta, *Agrippias* denominata fertur Josepho Antiq. lib. 13. cap. 21, & de Bello lib. 1. cap. 16, id ex Nummo *Antonini Caracallae* arguere fas est a Patino p.306, & Harduino p.16. descripto, annoque ΣΛ. 230. (detrita etsi prima adpareat littera), cum *Astartis* effigie cuso, qui ductus ab U. C. anno 723, ante Christi natalem 31, cum anno Christi 199, U. C. 952, *Septimii*

Severi 7. coincidit; quo ipso anno *Severo* procurante Senatus decreto *Caracalla* filius Imperator salutatus est. Quò fit, ut sicuti *Leucadiae* usque ad *Gordiani Pii* aetatem, sic *Anthedone* usque ad *Antonini Caracallae* aevum *Augustaea* in Nummis Epocha obsignari non desierit: qua etiam de Aera Erasmus Froelichius in Num. Antiq. cap.4. p. 43, sodali cum Harduino probe congruit. Paullo abhinc absuit *Berenice* adhibita Aera. In Graeco enim Marmore *Berenice* posito, quod a Cl. Maffejo Gall. Antiq. p. 7. profertur, haec leguntur Ἔτυς νε̄ Φαώφ κε̄ Ἐπὶ Συλλόγυ τῆς Σκηνοπηγίας, *Anno 55. Mensis Phaophi die 25. Tabernaculorum Conventus tempore*. Jam vero *Scenopegiae* dies 1, vel 8, quo Collecta fieri consuebat, concurrere cum *Phaophi* die 25. nequivit, nisi anno U.C.780, Aerae Christianae 27, a quo retroducti anni 55. in annum certe incurrunt ante Christi natalem 29, U. C. 725: quò fit, ut *Actiaca* Epocha biennio apud *Berenicenses* retardata fuerit.

XL. In hunc ipsum Urbium, quibus *Augustaea* isthaec sacra habita est *Aera*, censum referendae Urbes succurrunt aliae haud ignobiles, quas ideo silentio transgredi nefas est. Velut in Aeolide, sive Mysia *Scepsis*, Plinio lib.5. cap.30, ac Straboni lib. 13. p.417. *Palaescepsis* dicta, idest *Vetus Scepsis*: ubi sane *Augustaeam* viguisse aliquando Aeram discimus ex duobus *Juliae Domnae*, & *Antonini Caracallae* Nummis, cum *Bacchi* effigie apud Harduinum p.157. anno notatis AΛC. 231, qui ducto Aerae initio ab U. C. anno 723, ante Christi natalem 31, competit in Christi annum 200, U. C. 953, *Severi* 8, *Caracallae* 2, ex quo Imperator, Patre vivente, inauguratus est. Succedit in Ponto Urbs praecipua *Amisus*, cui pristinam, quam a *Julio* Caesare acceperat, sub *Antonio* perinde amiserat, restitutam ab *Augusto*, post *Actiacam* pugnam, *Autonomiam* fuisse refert Strabo lib.12. p.547. Inde novam itaque in *Augusti* honorem institutam, eodemque ab *Asia recepta*, sive a *Victoria Actiaca* inceptam anno Aeram, docent *Amisi* scalpti Nummi. Ac ita sane *Hadriano*, ejusque conjugi *Sabinae* inscripti cum notis annorum AΞP.161, ΔΞP. 164, EΞP. 165, & ZΞP. 167: qui ab Aerae *Augustaeae* car-

cardine, ideſt U. C. anno 723, ante Chriſti natalem 31. ducti indicant in Aera Chriſtiana annos 130, 133, 134, & 136, U.C 883, 886, 887, & 889, *Hadriani* 14, 17, 18, & 20. Ita *L. Vero* obſignatus unus cum litteris ΘΞP. anni 169, hoc eſt U. C. 891, Chriſti 138, *Antonini Pii* 1; *Commodo* alter cum nota ΘIC. anni 219, qui fuit Chriſti 188, U. C. 941, *Commodi* 9. Ita *Antonino Caracallae* duo notati annis EΛC. 235, & EMC. 245, ideſt U. C. 957, & 967, Aerae Chriſtianae 204, & 214, *Caracallae* ab inito cum *Severo* patre imperio 6, Imperii a ſe ſolo initi 4; *Diadumediano* ſcalptus cum litteris ΘMC. 249, hoc eſt U. C. 971, Chriſti 218, *Diadumediani* cum *Macrino* patre 2. inchoato. Ita demum *Maximino* cuſus cum anni nota HΞC. 268, qui exordio ab U. C. anno 723, ante Chriſtianam Aeram 31. capto, in annum finiunt U. C. 990, Chriſti 237, *Maximini* 3: queis de Harduinus in Num. Popul. illuſt. p. 15, & Hiſt. Aug. p. 759. ſq. Atque de hiſce generalibus Populorum, Urbiumque complurium Epochis hactenus: ad ſpeciales modo Populorum, & Urbium properandum, ut ordo poſtulat, eſt Aeras.



DE

DE AERIS, SEU EPOCHIS

Antiochenorum, *Seleuciensium*, *Laodicenorum*, *Emesenorum*, *Aradiorum*, *Arethusiorum*, *Epiphanensium*, *Leucadiorum*, *Berrhoeensium*, *Hierapolitarum*, *Chalcidensium*, *Samosatenorum*, *Germaniciensium*, *Rhosiorum*, & *Balanaeorum*.

Articulus V.

I. Multae non opus, neque prolixae fuerat operae, gravisque dispendium laboris perfungendum, ut quae ad generales Populorum Epochas pertinebant, uno, eodemque veluti facili contextu profligarentur, atque ad umbilicum usque perducerentur. At longe difficilius emetiendum modo nobis est stadium, viribusque non ingenti absque discrimine experiundum, atque plurimum exantlandum laboris, ac negotii in peculiaribus Urbium Epochis definiendis, earumdemque defigendis exordiis. Atque a Syriae totius Metropoli nobilissima incipiendo, *Antiochia* idest ad Orontem amnem, quatuor praeter Aeras *Syromacedonicam*, *Pompejanam*, *Caesarianam*, & *Augustaeam*, quas ipsi aliquando usurpatas modo vidimus, duo aliae insuper *Antiochiae* usu cum prius venere, tum posterius, atque prima quidem ab *Urbe* ipsa condita, postrema vero a *Colonia* in ipsam Urbem inlata. Condita itaque a *Seleuco* I. *Nicatore*, deque *Antiochi* Patris, uti volunt Strabo lib. 16. p. 750, Appianus in Syr. p. 124, & Justinus lib. 15. cap. 4, sexdecim de Patris nomine *Antiochias* a *Seleuco* conditas referentes; aut de filii *Antiochi*, ut alii malunt, Julianus in Misopogone, Cedrenus, Joh. Malela, Auctor Chron. Alex. &c., nomine *Antiochia* dicta, fertur anno 1. Olympiadis 120, U. C. 454, ante Christianam Aeram 300, die 22. *Artemisii*, sive Maji, apud Syncellum in Chron. p. 273. sq. edit. Paris., Ven. p. 218, qui Eusebium pone sequutus scribit ab *Antigono* Urbem *Antigoniam* inceptam, aedibus deinde

de absolutam a *Seleuco Nicatore* anno Regni 12. *Antiochiam* fuisse adpellatam; cuique paria regerunt Johannes Malela in Chronog. lib. 8. edit. Ven. p. 84. sq., qui & sua desumpsit ab Eusebio in Chron. ad Olymp. 119. an. 1. Oper. S. Hieronymi T.VIII. p.541, quique & ipsum pene exscripsit, Auctor Chronici Alex. p.41. edit. Paris., Ven. p.34; quam in rem conferendi Usserius in Annal. Vet. Test. p.243. sq., Scaliger in Not. ad Euseb. loc. cit., ac Norisius de Epoch. Syromaced. dissert. 3. cap.2. Oper. T.II. p.158. sq. A fundatione Syriae totius confestim Metropolis, Regumque Syro-Macedonum Regia facta est, mansitque, donec *Mithradate*, ac *Tigrane* devictis, a *Pompejo* subjugata, Romanam in Provinciam anno U. C.690, Christi ante natalem 64. redacta fuit: a quo tamen paullo post ingenti pecuniae pondo *Autonomiam* recuperavit, qua de re Justinus lib.40. cap.2, ac Porphyrius apud Scaligerum in Graecis Euseb. p.27. Sub jugum a *Scipione* denuo missa U. C. anno 705, ante Christi natalem 49, insequenti anno, *Pompejo* ad *Pharsaliam* devicto, in libertatem a *Julio* Caesare adserta iterum est. Ad haec vero devicto ad *Actium M. Antonio* U.C. anno 723, Christianam ante Aeram 31, tum primo *Augustum*, tum post etiam *Tiberium* sibi in Sacrorum Praesides, summosque Pontifices *Antiochia* praefecit. Exinde *Augustorum* nomine Antiochenis procurandis rebus Praesides Urbi ipsi praefici cepere, veluti fidem abunde faciunt Josephus de Bello lib.2. cap.18, & lib.3. cap.1., ac Strabo lib.16. p.750: cujusmodi fuisse leguntur, praeter eos, qui a *M. Antonio* missi fuerant, a Julio Caesare destinati *Cassius Longinus*, *L. Munatius Plancus*, *L. Calphurnius Bibulus*, *Q. Didius*; ab Augusto deinde legati *M. Agrippa*, *M. Tullius*, *M. Titius*, *Sentius Saturninus*, *Quintilius Varrus*, *P. Sulpitius Quirinius*, *Q. Caecilius Silanus*; a Tiberio *Cn. Calpurnius Piso*, *Cnejus Sentius Saturninius*, *L. Pomponius Flaccus*, *L. Vitelius*; a Cajo *P. Petronius*; a Claudio *Vibius Marsus*, *Cajus Cassius Longinus*; a Nerone *T. Numidius Quadratus*, *Domitius Corbulo*, *Cincius Cn. Cestius*; a Vespasiano *P. Licinius Mucianus*, *Caesennius Paetus*: queis de adeundus Norisius in Cenotaph. Pisanis dissert. 2. cap.16. Oper. T.III. edit. Veron. p.424.

p. 434. sqq., a quo pro meritis Baronii Censores Casaubonus Exercit. 1. n. 30. p. 119. sqq. ad Appar. Baron., ac Montacutius in Appar. 4. ad Origines Eccles. catalogum Praesidum Syriae a Baronio, parum etsi feliciter contextum, praeter modum tamen elevantes, atque mordentes, plerumque & ipsi procul a veritate exorbitantes, justas talionis poenas tulere: quorum tamen e Praesidum censu in Nummis Antiochiae cusis *Varri*, *Saturnini*, *Volusii*, *Silani*, *Flacci*, *Petronii*, *Cassii*, *Quadrati*, & *Cestii* dumtaxat occurrit mentio.

II. Ab hac itaque aetate Nummi a Graecis veteribus Antiochiae Incolis Graeca cum epigraphe, & Epocha, cumque *Augustorum* capitibus, & nominibus, nominibusque subinde *Praesidum* Syriae, qui Roma mitti solebant, inscribi cepere usque ad *Antoninum Pium*: quibus in Nummis profecto formula Επι *Sub*, qua Praesides adfecti passim leguntur, Praesidum indicari in Urbem ipsam potestatem, quod inficias non nemo ire non est veritus, non dubium est. Quo etiam a tempore a Latinis, quibus inhabitari plerisque Antiochia cepit, Latini cudi Nummi, Latinisque insculpi litteris, cum Imperatorum effigie, ac SC. epigraphe, cujuscemodi scalpi Romae solebant, usque ad *Trajanum* cepere. Sub *Marco Aurelio*, partes *Avidii Cassii* Antiocheni siquidem fovissent, ab Imperatore privilegiis Urbs mulctata fuit, teste Vulcatio Gallicano in Avidio Cassio cap. 9; quae tamen paullo post ab eodem Imperatore recuperavit. *Pescennii Nigri* partes rursus amplexa Urbs, a *Septimio Severo* privilegiis exspoliata, Laodiceae, quae ipsius *Severi* partes egregie adjuverat, subjugata est, Spartiano in Severo cap. 9, & Herodiano lib. 3. cap. 6. testibus. Verum ab *Antonino Caracalla* Antiochia deinde, quae a Parthis diruta pene fuerat, instaurata, Incolisque deductis tam indigenis Graecis, quam Latinis alienigenis adaucta est, eidemque Metropolitica dignitas restituta; Romanae quin etiam *Coloniae* titulo decorata, testibus Spartiano in Caracalla cap. 1, ac Paulo IC. lib. 8. ff. de *Censib.* Sub *Gordiano Pio* a Persis capta, uti refert Capitolinus in Gord. cap. 26, ab eodem Imperatore paullo post, *Sapore* devicto, recuperata Urbs est. *Valeriano* imperante, a Persis iterum occupata,

sed

sed ab *Odenato*, denuo *Sapore* profligato, iterato recepta sub *Odenati* filiorum potestate mansit usque ad *Aurelianum*, a quo *Zenobiae* erepta est, velut habent Johannes Malela in Chron. lib. 12. p. 126. sqq., Amm. Marcellinus lib. 23. cap. 5, Treb. Pollio Tyr. capp. 2, & 15, in Valer. cap. 7, & Gallien. cap. 10, ac Vopiscus in Aurel. cap. 25. Sub *Justiniano* a Persis iterum capta, ac recuperata a *Justiniano*, inde *Theopolis* denominata est, uti referunt Procopius de Aedif. Justin. lib. 2. cap. 10, & lib. 5. cap. 5, Evagrius lib. 4. cap. 6, & Joh. Malela lib. 18. edit. Ven. p. 61: donec anno Aerae Christianae 638. ab *Homaro* sub Musulmanorum jugo demum posita est: quod factum tamen Hegirae anno 15, Christi 636. scribit Abilfeda in Annal. Moslem. p. 67. sq. edit. Reiskii; sub potestate vero Kalipharum *Abbassidarum* mansit usque ad Hegirae annum 357, Aerae Christianae 967, quo a *Zemisce Nicephoro Phocae* Graeco Imperatori recuperata est; quae rursus anno Hegirae 477, Christi 1084. a *Solimano* genere Selgiucida capta, in Francorum deinde potestatem Hegirae anno 491, Aerae Christianae 1097. devenit, eosque penes mansit usque ad annum Hegirae 668, Christi 1269, quo ab *Al-Maleko Aldbabero Bibarso*, cognomento *Bendocdaro*, Mameluchorum in Aegypto Rege capta, ad solum pene aequata est: queis de Antiochiae fatis Herbelotus in Bibl. Orient. p. 117. sq., atque De Guignesius Hist. gen. Hun. T. I. Par. I. lib. 8. p. 447. sqq., T. II. lib. 9. p. 132. sq., & T. IV. lib. 21. p. 142. sq.

III. Hisce loco positis, inde facile datur intelligi 1.° Aeram a condita Urbe Antiochiae vix adhiberi cepisse, ut confestim eidem *Syromacedonum* Epocha, caeteris Syriae Urbibus facta communis, suffecta est, quam *Pompejana* dein excepit. Ex tergeminis his Aeris sane neutram hactenus in Nummis consignatam adparuisse; sub alterutra tamen Nummos agnosci cusos oportere, in quibus, una cum Αὐτονόμου, aut Metropolis epigraphe, *Jovis* tantum effigies, numerali absque nota, exhibetur. 2.° Tam vero Epocha sub *Caesariana*, ab anno idest U. C. 705, quam sub *Augustaea*, ab U. C. hoc est anno 723, cum annorum notis *Antiochiae* cudi Nummos cepisse, velut ex plerisque fecimus palam; quin tamen in Nummis sive *Ju-*

lii Caesaris, sive *Octaviani Augusti* nomen, aut effigies adponeretur, sed *Jovis* dumtaxat, qui Genius, ac Tutelare Urbis Numen erat, nomenque Metropolis Αὐτονόμου. Epochae vero *Augustaeae* anno 25. tum primum in Nummis *Antiochiae* procusis utrinque qua Graecis hominibus, qua Latinis, ex unaque parte qua Latinis, qua ex altera Graecis litteris tam Augustorum, quam Praesidum insculpi cepisse nomina, moremque durasse usque ad *M. Aurelii*, & *L. Veri* aetatem, cui utrique utpote Nummos adhuc inscriptos fuisse ex Suberckii Cimelio indicat Bimardus de la Bastie in Adnot. ad Joberti Scient. Num. 3.° Sub *Tiberio* tamen *Augustaea* oblitterata Aera, *Caesarianam* Antiochiae redintegratam fuisse, quod multis paullo superius ostendimus; sub *Trajano* vero morem *Antiochiae* inductum in aversa Nummorum parte litteras S. C. inscalpendi, quae indicio essent, Romano a Senatu factam *Antiochiae* procudendae Monetae facultatem fuisse; aut verius a Latinis Antiochiae degentibus Nummos, Latinorum instar Romae inhabitantium, fuisse percussos, facta sibi nempe a Senatu facultate. 4.° Metropolitica dignitate, privilegiisque aliis praeterea, quibus a *Septimio Severo* Antiochia mulctata fuerat, *Antonini Caracallae* indulgentia postea recuperatis, *Coloniae* jure quin imo adaucta Urbe, utraque inde veteri antiquata *Caesariana*, & *Augustaea* Aera, novam institutam videri Epocham. Cujusce sane indicio tum id est, quod ab eo tempore nulla amplius numeralis anni sive *Caesariani*, sive *Augustaei* nota in Nummis adparet; tum quod ab *Antonino Caracalla* usque ad *Volusianum* in Nummis *Antiochiae* cusis ΚΟΛ. *Coloniae* titulus adpositus semper adspicitur, una cum litteris tam SC., hoc est *Senatus Consulto*, quam ΔΕ., idest Δήμου Εὐχῇ *Populi Rogatu*, veluti rite explicat Harduinus, non vero Δόγματι Ἐπαρχίας *Decreto Provinciae*, ut in his Antiochiae Nummis exponit Jobertus, emendatus ideo a Bimardo de la Bastie in Annot. ad Instruct. 7. T. II. edit. Ven. p. 119. sq.; quippe Colonia facta, Provinciae consensu deinceps in cudenda Moneta non indigebat. Quo circa litteris illis SC., & ΔΕ. tam unum *Senatus* consultum, quam una *Populi* voluntas dumtaxat ad cudendos Nummos accessisse significabatur.

tur. Adeundi, qui pluribus diversas hasce *Antiochiae* Urbis Aeras illustrant, unde pauca isthaec delibavimus, Viri doctiss. Harduinus in Num. Popul. illust. p.16. sqq., Jobertus in Scient. Num. de Novis Inventis sect. 3. §.5. T.I. edit. Ven. p.318. sqq., Bimardus de la Bastie in Adnotat. ad eumdem loc., T.II. p. 272. sqq., ac Froelichius in Not. Compend. Graecis Annal. Syr. Reg. subjunctis p. 143. Non una tandem, uti semel, ac iterum monui, *Antiochiae* nomine in Assyria, sive in Syria, alibique de *Antiochi* sive Patris, sive filii nomine a *Seleuco Nicatore* cognominatae, Urbs fuit, unaque cum aliis ab eo condita circa annum Seleucidarum 20, U. C. 461, ante Christi natalem 293, sed ut de Assyriae, sive de Syriae *Antiochiis* dumtaxat modo loquar, de aliis loquuturus suo alibi loco, alia ad *Orontem*, qua de hactenus, in Margiana Parthiae una fuit, ad *Margum* idest fluvium, olim ab *Alexandro M.* condita, ejusque de nomine *Alexandria*, a *Seleuco* deinde restaurata, *Antiochia* dicta, testibus Plinio lib. 6. cap. 16, ac Strabone lib. 11. p.355; altera in *Mygdonia*, seu Arbelitide, ubi *Darius* ab *Alexandro* debellatus fuit, *Nisibis* quoque adpellata Straboni lib. 16. p.514, & Plutarcho in Lucullo p. 514, ultra Euphratem, Tigrimque sita; ad *Euphratem* una, Plinio lib. 5. cap. 24. sic denominata, Ptolemaeo lib. 5. cap. 15, ad *Taurum*, in Commagene, ac Mesopotamiae, Syriaeque confinio posita; & altera ad *Hippum* Montem in Coelesyria, Arabiaeque confinio consita, a *Semiramide* olim condita, Stephano de Urb. teste. Sed hisce siquidem Urbibus non altera a *Syromacedonica*, aut a *Pompejana* usu aliquando venisse Epocha dignoscatur, ad alias perinde, ut festina oratio properet nostra, oportet.

IV. Quo tempore grave Antiochos inter Fratres VIII. *Epiphanem*, cognomento *Grypum*, ac IX. *Philopatorem*, vulgo *Cyzicenum* exardescebat bellum, quo Sacra, & profana susque deque in Syria permisceri conspiciebantur, mutuisque se se, pro iis, quas sequendas proposuerant, sibique certatim sumpserant, partibus, acerrime caedibus afficiebant Populi, sicut ex Palaestinae, ac Phoenices Urbes pleraeque, ut Gadara, Pella, Hippus, Sidon, Ascalon, Damascus,

 Phila-

Philadelphia &c., sic in Syria, ac Coelesyria pleraeque aliae, opportunitate arrepta, excussoque Syromacedonum jugo, quae se in libertatem adserere non distulere; qua se viciniorum potestati Regum permittere aut sponte maluere, conditionem subeundi meliorem spe adlectae, aut invitae compulsae sunt, armis subactae; qua libertate ab ipsis Syriae Regibus impetrata, pro ut alterutrius partes adjuvandas susceperant, proprias, olimque antiquatas redintegrandas leges adsumpsere. In his itaque *Seleucienses* in Pieria Syriae Regione *Autonomiam* a *Grypo* Olympiadis 167. anno 4, Seleucidarum 204, U. C. 645, ante Christianam Aeram 109. impetrasse scribit Auctor Chron. Pasch., sive Alex. edit. Paris. p. 182, Ven. p. 146, quarto nempe post anno, quo gravissima praelii congressione commissa, *Grypo* victo, victor *Cyzicenus* Syriae Regnum solus obtinuit; qui sequenti tamen anno, Olymp. 167. idest 2, *Grypo* Syriam restituere coactus est, Coelesyria ipse contentus, qua de re Porphyrius in Graecis Euseb. p. 227. Fallitur vero Froelichius in Annal. Reg. Syr. p. 100. scribens in Not. ab Eusebio in Chron. hancce *Seleuciensium* Aeram anno 1. Olymp. 168, Seleucidarum 205, U. C. 646, ante Christi natalem 108, anno idest uno serius retardatam, consignari; nihil enim tale apud Eusebium extat. Cum Chronici Alex. auctore faciunt utique Usserius in Annal. Vet. Test. p. 359, Norisius de Epoch. Syrom. dissert. 3. cap. 8. §. 1. p. 278. sqq., Spanhemius de Praest. Num. p. 789, Vaillantius in Hist. Reg. Syr. p. 348, 357, & 378, Harduinus in Num. illust. p. 152, ac Froelichius in Annal. Reg. Syr. p. 103. sqq., Nummorum fide inducti, quibus nova isthaec *Seleuciae* inita anno U. C. 645, ante Christi natalem 109. Aera confirmatur. In his enim, una cum epigraphe Τῆς Ἱέρας καὶ Αὐτονόμου, ac *Fulminis*, quod Seleuciae erat symbolum, effigie, numerales hae annorum habentur notae Δ. 4, ΕΙ. 15, & ΖΙ. 17, qui Aerae Seleucidarum annis 207, 218, & 220, U. C. 648, 659, & 661, ante Christi natalem 106, 95, & 93. respondent. Tergeminis hisce quartum a Vaillantio acceptum e Gaza Ludovici Borbonii Cenomanensium Ducis adjungit Norisius, una cum *Sacrae*, suisque utentis *Legibus* titulo, signatum litteris ΒΣ. anno 202, quem, Aerae

rae

rae initio ducto ab anno U. C. 645, ante Christi natalem 109, cepisse per Autumnum anni U. C. 846, Christi 93, *Domitiani* 12. correspondisse Vir doctiss. putat. Verum notatam hoc in Nummo Aeram neque *Seleucidarum* esse, neque scalptum ideo fuisse Nummum biennio ante, quam ab *Antiocho Grypo* Αὐτονόμη *Seleucia* donaretur, veluti persuasum nonnemini fuit, neque hanc esse *Seleuciensium* ab U. C. anno 645, ante Christi natalem 109. inceptam, ab *Autonomia* idest a *Grypo* Urbi concessa, ut putat Norisius, inde augurari fas est, quod ab anno deinde U. C. 691, ante Christianam Aeram 63. *Pompejana*, ab anno postinde U. C. 706, Christi ante natalem 48, *Caesariana*, & ab anno U.C. 723, ante Christianam Aeram 31. *Augustaea* inducta *Seleuciae* fuerit Aera, istaque postrema abrogata, paullo post ad *Caesarianam*, ac postremo ad *Pompejanam* regressa *Seleucia* fuerit, veluti fuse suo palam superius est factum loco. Obsignatus itaque hoc in Nummo BC. annus 202. aut ad *Caesarianam*, quam *Seleuciae* sub *Hadriano* viguisse supra vidimus, aut ad *Pompejanam*, quam sub *Alexandro Severo* adhuc obtinuisse ostendimus, omnino referendus est: qui proinde ductus vel ab anno U. C. 706, quo *Autonomia* a *Julio* Caesare *Seleuciae* restituta est, in U. C. annum 907, Aerae Christianae 154. incidet; aut ductus, ut verius puto, ab anno U. C. 691, quo *Seleuciae* a *Pompejo Autonomia* concessa est, in annum U. C. 892, Christianae Aerae 139. incurret: qua de re recolenda, si placet, quae super. Art. I. §. VII, & hoc ipso Art. II. §§. XVI, ac XXVIII. de variis *Seleuciensium* Epochis affatim, opinor, disputata sunt.

V. In Nummis *Laodiceae*, de *Seleuci Nicatoris*, Urbis conditoris, matre *Laodice* cognominatae, Strabone teste lib. 16. p. 517, vel ad *Libanum*, ut Harduinus p. 93. vult, vel ad *Mare*, uti verius Norisio de Epoch. Syrom. p. 281. sqq., ac Longuerue de Var. Epoch. p. 124. sq. visum, etsi praeter *Syromacedonicam*, perinde *Caesarianam*, ac posthac *Augustaeam*, postremo vero sub *Antonino Pio* denuo *Syromacedonicam*, nulla adnotata Epocha hactenus adparuerit, nova tamen, si conjecturis indulgere licet, brevi etsi duratura, ab eo instituta videtur tempore, quo a *Septimio Severo*, veteri a *Julio* Caesare

sare accepto, *Juliensi* de suo adjecto *Severianae* cognomine, Juris *Italici* Colonia, ob egregiam, quam ipsi *Severo*, derelictis *Pescennii Nigri* partibus, impenderat, operam, facta est, (factaque quidem videtur Aerae Christianae anno 194, U.C. 947, quo Antiochia *Severus* potitus, proximam ideo Laodiceam in fidem recepisse putandus est), Ulpiano referente lib.50. ff. tit. 15. *De Censibus* L.1. Novis namque Coloniis usu frequens venisse, beneficii accepti gratia, novas putandi annis Epocas auspicari planum alibi factum est, infraque patebit. Prioribus jam vero antiquatis Aeris, Nummos *Septimio Severo* Laodiceae percussos, unoque *Juliensis*, ac *Severianae Coloniae Metropolis* titulos inscriptos fuisse videre fas est apud Holstenium in Not. ad Stephanum de Urb. p.187, Patinum p.298, & 382, Tristanum T.II. p.177, Occonem.p.445, Norisium p.285, & Harduinum p.93. Quamquam, fateor, conjecturae huic id officit, quod *Emesa*, in eodem fere Seleucidis Regionis tractu Urbs censita, Juris etsi *Italici* Colonia etiam facta a *Severi* filio *Antonino Caracalla* fuerit, veluti fidem, remque testatam facit Ulpianus loco supra laudato, eam tamen ab usurpanda *Seleucidarum* Epocha nunquam destitisse rem demonstratam fecere Vaillantius in Num. Colon. T.II. p.53, Harduinus in Num. illust. p.53. sq., quique hac in re punctum tulit omne, Norisius de Epoch. Syrom. dissert. 2. cap. 1. §. 3. p.96. sqq., nos quoque ex Nummis *Emesae* cusis super. Art.I.§.vi. ostendimus. Quibus Nummum nunc addimus Emesae *Sulpicio Antonino* Tyranno scalptum apud Haymium in Thes. Britan. T.I. p.282. sq., quem perperam *Caracallae* a Patarolo, *Elagabalo* a Maffejo in Select. Gall. Antiq. p.109. tribui ex Epigraphe, & Epocha recte ostendit Bimardus de la Bastie in Adpend. ad Joberti Scient. Num. §.4. T.II. p.370. sq. In eo namque numeralis isthaec anni nota inspicitur ΕΞΦ. 565, qui ductus ab U.C. anno 442, ante Christi natalem 312, Aerae Seleucidarum 1. in annum U.C. 1006, Christianae Aerae 253, *Valeriani*, & *Gallieni* 1, quo tempore *Sulpitius Antoninus* sane tyrannidem occupavit, atque in Syria quidem, velut ex Templo *Solis*, dicti *Elagabali*, per Lapidem ovatum fuisse, sensimque fastigiatum, atque coloris nigri, quem Emeseni

seni Caelitus decidisse jactabant, Emesae adservatum, quo de Herodianus lib.5. p.124. Politiano interprete, designato aversae ejusdem Nummi parte impresso ostendit Haymius, a quo & *Sulpitii Antonini* genealogia exhibetur.

VI. Longe certior habetur *Aradiorum* Epocha, incertum etsi maneat adhuc, quo demum a cardine ducenda eadem sit. *Aradus* porro Insula, & Urbs fere tota in Phoenicis, ac Seleucidis, sed huicce propinquior, confinio posita, qua de Strabo lib.16. p. 518. sq., Plinius lib.5. cap.20, Mela lib.2. cap.7, ac Stephanus de Urb. p.41., quaeque anno 1. Olympiadis 5. condita, annis septem idest ante Urbem Romam, dicitur Eusebio in Chron. Oper. S. Hieron. T.VIII. p. 399, ab *Aradio* ex *Chanaamo* nono filio natu, Gen.x. 18. memorato, tulisse nomen fertur apud Josephum Antiq. lib.1.cap.7, S. Hieronymum ad Gen. loc. cit., ac Willelmum Tyrium de Bello Sacro lib.7.cap.15. *Arado* praeterea, Urbi olim potentissimae, adeoque ut *Tripolis* Phoenicis Urbs potens, ac nobilis partim ex *Aradiis* constiterit, partimque ex *Tyriis*, atque *Sidoniis*, veluti fidem indubiam faciunt Scylax in Periplo, Strabo loc. cit., Diodorus lib.16. p.504, ac Plinius loco ante dicto, *Arado*, inquam, proprios fuisse pridem Reges testimonio comprobant suo Polybius lib.5. cap. 68, Strabo loc. cit., & Curtius lib.4. cap.1. Quae proprii deinde Juris effecta, Tyriis postea subjecta, Persis subinde usque ad *Alexandri M.* aetatem, annum idest ante Christianam Aeram 333, quo anno Rege *Gerostrato* patre, qui cum Phoenicis, Cypriique Regum copiis suas cum *Darii* classe adversus Macedones copulaverat, absente, *Strato* ipsius filius, ac Prorex *Alexandro M.* obvius factus *Aradum*, *Marathum*, ac *Mariamem* Urbes, aliaque in Patris ditione posita eidem ultro, citroque subjecit, Arriano lib.2, Justino lib.11.cap.10, & Curtio lib.4. cap.1. testibus, indeque Syro-Macedonibus obnoxia facta, atque demum Romanis parere coacta fuit, ita tamen ut sub. *M. Antonio* pristinae libertatis vestigia adhuc retinere, neque leve dedere specimen visa sit, dum *Curtium Thalassum*, sive *Salassum* graviora exigentem tributa, una cum quatuor Cohortibus, vivum comburere Aradii valuere, testibus Dione lib.48. p.371, & Eu-

& Eusebio in Chron. ad Olymp. 184. an. 4. p. 612; qua de plura Bochartus in Geogr. Sacr. Par. I. lib. 4. cap. 36. Oper. T. II. p. 305. sq., Norisius de Epoch. Syrom. dissert. 4. cap. 5. §. 3. Oper. T. II. p. 451. sqq., Usserius in Annal. Vet. Test. p. 518. sq., & 508, ac Ubbo Emmius de Graecia Veteri lib. 6. apud Gronovium Antiq. Graec. T. IV. edit. Ven. p. 152.

VII. Itaque varia juxta fata isthaec varias *Aradiis* usu pridem, veteresque Epochas venisse inde consequitur, donec *Aradi* novam demum fuisse institutam ex Nummis Aeram fit evidens. Quae tamen Epocha quo anno, quo auctore, qua occasione ab *Aradiis* fuerit instituta, diversa pro ratione Nummos interpretandi, diversimode in Nummis statuitur ab Antiquariis. Begerus namque Thesau. Brandeburg. T. I. p. 405, atque Spanhemius apud ipsum geminas *Aradi* usurpatas fuisse Aeras, & in eodem quidem obsignatas Nummo, persuasum habuere: quarum antiquior ad *Darii Nothi* aetatem referenda fore Spanhemio; in eumdem vero cum Aerae Seleucidarum cardinem conjicienda Begero, ut etiam Harduino, visa est. Recentior autem Spanhemio, sicut etiam Norisio, cum U. C. anno 494, aut inseq. copulata est; conjectura inde nempe ducta ex duplici Nota in Nummo Numophylacii Theupoli BNP. 152, ac ΘqC. 299, in alteroque Musei Chigiani ΘΞΡ. 169, aliisque ΦΞ. 560, CN. 250, ΡΟΔ. 174, NqP. . . . . ΡΟΔ. 174, ΡΟΕ. 175, PC. 280. obsignatis. Vaillantius e contra in Hist. Reg. Syr. p. 344. sq., atque ex Nummo quidem *Aradi* percusso cum epigraphe ΑΣ., & notis anni EqP, idest *Asyli* anno 195, arguit Epocham *Aradiorum* cepisse cum anno Seleucidarum 70, U. Romae C. 511, ante Christianam Aeram 243, ex quo videlicet a *Seleuco* II. *Callinico*, cujusce partes adversus ipsius fratrem *Antiochum Hieracem* egregie adjuverant, insigni *Asyli* privilegio *Aradii* donati fuerant: cujus occasione divites, ac potentes eos factos refert Strabo lib. 16. p. 519, cujusve ideo in beneficii memoriam, inde novam *Aradios* instituisse Aeram Vir doctiss. existimat, ideoque annum illum 195, ducto initio ab anno U. C. 511, ante Christi natalem 243, incidisse in U. C. annum 705, Christianam ante Aeram 49: quo ipso *Caesarianam* incepisse Aeram diximus. Hancce porro

porro Vaillantii opinionem confirmare videtur Polybii lib.5. testimonium referentis ab *Antiocho* III. *Magno Callinici* filio, dum adversus *Ptolemaeum Philopatorem* e Syria in Aegyptum duceret Exercitum, anno hoc est 3. Olymp. 140, U.C. 536, Seleucidarum 95, Christi ante natalem 218, *Aradios* in societatem receptos, cumque Marathensibus, aliisque Continentis Incolis eosdem fuisse compositos: quod indicio est sane *Aradios* proprii tum fuisse Juris. Confirmare videntur & Litterae foederis cum Judaeis a Romanis initi, Roma in Judaeam per Legatos missae, ac Macchab. lib.1.cap.15. memoratae, ubi Reges inter, & Urbes Liberas utique *Aradus* nominata legitur. Porphyrii quoque, cui habet similia Appianus in Syr., apud S. Hieronymum in Daniel. cap.x1, comprobare testimonium censeri potest, referentis *Aradios* resistentes ab *Antiocho* IV. *Epiphane* ab expeditione Aegyptiaca regrediente, (ea Seleucidarum anno 145, ante Christi natalem 168, U. C. 586. contigit, ac postrema fuit *Antiochi*, eamdem promovere a Romanis Legatis prohibitus, qua de Livius lib.45, sive Decad.5. lib.5. capp.8, & 10, Polybius Legat.92, Cicero Philip.8, Appianus in Syr., Justinus lib.34. cap.3, Vellejus lib.1. cap.10, aliique), *Aradios*, inquam, captos, pessimeque habitos, sub jugum positos fuisse: quò fit, ut prius *Aradii* proprii fuisse Juris procul dubio putandi sint. Verum etsi de Nummis dubitare nonnullis liceat, de *Trajani* tamen, ac *M. Aurelii*, & *L. Veri*, queis de modo, nulla moveri lis siquidem queat, ii propterea a Vaillantii recedere opinione, accedereque ad alterutram sive Harduini, sive Norisii nos cogunt.

VIII. Propius itaque ad veritatem, quantum utique fieri ex Nummis oportuit, accedere visus est Joh. Harduinus; qui prius quidem in Antirrethico de Num. Antiq. Colon., & Municip. p.66. sq., sicuti *Tripolitarum*, sic etiam *Aradiorum* Epocham unam, eamdemque cum *Seleucidarum* Aera fuisse cum Begero putarat, mutata postea sententia Oper. Select. in Chronolog. Vet. Test. p.582, & Hist. Aug. p.739. sqq., *Aradiorum* Aeram a Septembri anni 52. Seleucidarum, U.C. 493, ante Christi natalem 261. incepisse statuit, ex quo scilicet *Antiochi* II. *Thei* Syriae Regis excusso jugo, in libertatem se

Aradios vindicasse, atque in Populi Romani clientelam, fidemque se contulisse ex Nummis colligere se autumat, ubi nullum amplius Regum Syriae aut vultum, aut nomen, bene vero Romanorum Imperatorum reperias, ac una cum Turrito, velatoque capite, quod *Autonomiae* symbolum esse saepe diximus, numerales habentur notae BMT. anni 342, BNT. 352, (hunc *Tito* perperam tribuit Holstenius in Not. ad Stephanum de Urb. p.41. sq.), ac ENT. 355, velut in tribus *Domitiani* Nummis, qui ab anno U. C. 493, Christi ante natalem 261. ducti quadrant in annos U. C. 834, 844, & 847, Aerae Christianae 81, 91, & 94, *Domitiani* 1, 11, & 14. Vel ut in tergiminis *Trajani* Nummis EΞT. anni 365, ΔOT. 374, & EOT. 375, qui fuere U. C. 857, 866, & 867, Christi 104, 113, 114, *Trajani* 7, 16, & 17. Vel ut in *Hadriani* Nummo qT. anni 390, qui initio capto ab anno U. C. 493, ante Christianam Aeram 261, in annum incidit Christi 129, U. C. 882, *Hadriani* 13. Vel ut in Nummis *M. Aurelii*, & *L. Veri* AKY. anni 421, ideft U. C. 913, Aerae Christianae 160, quo ipso a Septembri Imperium *Augustus* uterque auspicatus est. Vel ut in *Caracallae* Nummo ZOY. anni 477, qui fuit U. C. 969, Christi 216, *Caracallae* 6, ac ultimus. Facit cum Harduino sociorum par nobile, tam Soucietus in Fastis Mundi Oper. T.II. p.29, quam Froelichius in Annal. Reg. Syr. p. 103, & 123, ac Num. Antiq. cap.4. p.44, sodalisque confirmandae sententiae geminos posterior iste profert e Cimelio Theupoli Nummos *Aradi* procusos cum *Muliebris* capitis turriti, ac velati, quo Genius Urbis munitae, ac Liberae sane refertur, effigie, ac notis anni BMP. 142, & ZqP. 197, qui ab Aerae Syromacedonum anno 32, U. C. 493, ante Christi natalem 261. ducti competunt in annum Christianam ante Aeram 120, & 65, U. C. 634, & 689, Seleucidarum 193, & 248. Eisdem e contra ex Nummis Harduino prolatis *Domitiani*, *Trajani*, *Hadriani*, *M. Aurelii*, & *L. Veri*, excepto ultimo notato ZOY, quem ad *Elagabalum* refert, Norisius loc. cit. inferre se putat *Ariadorum* Epocham triennio fore retardandam, eamque in annum Seleucidarum 54, U. C. 495, ante Christianam Aeram 259. referendam esse veri similius existimat, conjectura inde

inde capta, quod a *Ptolemaeo Philadelpho* in Aegypto, ac Phoenice imperante, aut potius ab *Antiocho* II. *Theo* in Syria regnante, quem inter utrumque ingens effervescebat bellum, *Autonomia*, qua postea ab *Antiocho* IV. *Epiphane* spoliatos, eosdem sub jugum denuo positos fuisse tradit Porphyrius apud S. Hieronymum in Dan. xi, donatos *Aradios* persuasum habeat; tumque inde omnium primos Epochae *Seleucidarum*, quae una toti Syriae tum usu erat, novam suam propriam Urbis ab anno U. Romae C. 495, Seleucidarum 54, ante Christi natalem 259, quo nempe in libertatem fuerant adserti, inceptam sufficiisse. Verum hacce de *Aradia* tam ab Harduino, atque Spanhemio, quam a Norisio cum anno U. C. 494, aut 495. copulata Aera valdequam dubitat Josephus Kell e Soc. J. in Adpendicula ad Numismata Graeca Popul., & Urb. p. 52. sqq.; quo loci tum deceptos Begerum, atque Spanhemium ostendit, dum litteras tam supra, quam infra in Nummis Aradiorum exaratas, Numerales esse, distinctamque indicare Aeram opinati sunt, quas meras Phoenicias esse litteras ad aliud indicandum censet; tum deceptum cum Liebeo pronuntiat Froelichium, dum in Annal. Reg. Syr. p. 81, 87, & 89. *Cleopatrae*, primo *Alexandri* I. *Balae*, postea *Demetrii* II. *Nicatoris* conjugi, tribuendos fore Nummos numeralibus obsignatos notis ΡΟΔ. 174, ΚΝ. ΠC. 280, ΡΟΕ. 175, Μ9, Ρq, ΡΟΕ. 175, ΡΟϛ. 176, ΡΠΔ. 184, ΒC. Δ. 202, ΡΠϛ. 186, ΑC. 201, ΔU. 404, ΕωΜ. 945, putat: quos sane Nummos nihil cum *Cleopatra*, cui Seleucidarum usu Epocha fuit, utquae longe ante mortem oppetiit, anno 191. Seleucidarum idest vita defuncta, nihilque Seleucidarum cum Aera habere commune Nummis ex aliis hisce a Froelichio *Cleopatrae* tributis, *Aradiis* certe restituendis ostensum liquido dedit Auctor Gallus *Recueil des Medailles des Rois* &c. Paris. 1762. p. 83, qui non est alius, quam D. Pellerinius Nummis hujuscemodi tam dives, quam his in explicandis felix; e quibus Nummus *Aradi* scalptus, iis omnino similis, qui *Cleopatrae* a Froelichio tributi sunt, nota ΘΚC. anni 229. consignatus legitur: qui annus si Aerae Seleucidarum esset, cusus utique Nummus anno 38. post obitum *Cleopatrae* fuisset, tum deni-

 que

que contra Norisium Aeram hanc ab U. C. anno 495. exordiri nequire ex Nummo Musei D. Ilgneri notato EOT. anno 375. facile suadet, qui nempe ab eo U. C. anno 495. ductus in U. C. annum 870, Christi 117, *Hadriani* 1. incurret. Jam vero siquidem eo in Nummo *Phoebi* caput conspiciatur, quo de Victoria de Parthis relata *Trajano* gratulari Aradios voluisse suspicatur, non vero *Hadriano*, a quo eodem ipso anno Imperii 1. Armenia, Mesopotamia, Assyria, aliaeque Orientis Provinciae abdicatae fuere, inde fieri ipsi videtur, ut ad superiorem U. C. annum 494. retroducendus *Aradiorum* Aerae cardo sit, a quo ductus annus 375. cum U.C. anno 869, Christi 116, *Trajani* ultimo, quo a *Trajano* Parthiae regnum *Partamaspati* tributum est, probe congruit. Sed hacce de *Aradi* Aera hactenus.

IX. Jam vero ad celebres alias in *Seleucidis* Mediterraneis positas Urbes modo progrediendo, *Arethusa* Urbs haud ignobilis, Appiano in Syr. p. 201, Straboni lib. 16. p. 518, Evagrio lib. 3. cap. 34, ac Zosimo lib. 1. cap. 52. inter Emesam collocata, & Epiphaneam, Graecoque nomine ab *Arethusa* Macedoniae, Plinio lib. 4 cap. 10, ac Ptolemaeo lib. 3. de Maced. memorata, desumpto, a *Seleuco* I. *Nicatore* Urbis conditore sic adpellata, teste Appiano loc. cit., prima se nobis offert, quae veteri quoque *Seleucidarum* oblitterata, novam instituere visa sit Aeram. Atque isthaec Aera quidem *Arethusiorum* ab U. C. anno 685, ut Norisio de Epoch. Syrom. dissert. 3. cap. 9. §. 7. p. 351. sqq. visum; aut ab anno 686, ut magis Harduino in Num. illust. p. 28, in Chron. Vet. Test. p. 613, & Hist. Aug. p. 799, & 812. placuit, qui Seleucidarum fuit 244, aut 245, ante Christi natalem 69, aut 68, incepisse duobus ex Nummis *Septimii Severi*, ac *Diadumediani* cum notis anni ΓΞ. 263, & ΕΠC. 285. indubie demonstratur. Ii enim ducti ab U. C. anno 685, aut 686, ante Christianam Aeram 69, aut 68, desinunt in U.C. annum 947, aut 948, Christi 194, aut 195, *Severi* 2, aut 3, ac in annum U. C. 969, aut 970, Christi 216, aut 217. Verum *Antoninus Caracalla* anno siquidem Christi 217. in vivis degeret, Aprilis die 8. inter Edessam, & Carrhas interfectus, nec ante diem hanc anni hujus

jus *Macrinus* cum filio *Diadumediano* Imperium fuerit auspicatus, Aeram ideo *Arethusae* uno anticipatam anno a Norisio, anno cum Harduino deprimere uno juvat, ac interest, ita nempe ut *Arethusiorum* annus 285. in *Diadumediani* Nummo signatus cum anno exeat U. C. 970, Christi 217, *Diadumediani* 1. Quae vero novam instituendi Aeram istam *Arethusiis* caussa esse potuerit, definire haud facile contigit. Ea probabilis Norisio visa est, quod sub id temporis, quo acri, mutuoque se bello duo Fratres *Antiochi* VIII. *Grypus*, ac IX. *Cyzicenus* petebant, lacerabantque, quove Syriae in partes dilaceratae, Arabum praesertim Phylarchi frusta, quae possent, ad se rapere festinabant, quum *Arethusa* potitus fuerit *Sampsiceramus*, uti refert Strabo lib. 16. p. 518, fieri ideo potuerit, ut novo cum Principatu, nova quoque *Arethusae* instituenda visa fuerit Epocha. Verum praeterquamquod nulla veri simili conjectura certus, fixusque *Sampsicerami* Regno anni cardo statui, designique potest, huicce plane Viri doctiss. conjecturae, haud alioqui facile contemnendae, id obstare videtur, quod una cum *Arethusa*, Urbem *Emesam* insuper, aliaque proxima Oppida a *Sampsiceramo* capta, occupataque fuisse indubium sit ex Strabone loc. cit., Josepho Antiq. lib. 18. cap. 3, & lib. 19. cap. 5, ac Cicerone Epist. ad Attic. lib. 2. ep. 13, 15. sq., & 22. *Emesae* ast enim novam haud unquam inductam Epocham fuisse, sed veterem jugiter *Seleucidarum* obtinuisse super. Art. I. §. VI, ac rursus paullo superius §. V. ex Nummis factum est palam. Ea Harduino veri habetur conjectura similior, quod a foedere hoc anno cum Romanis, sicut ab Iliensibus in Troade, & in Cilicia ab Alexandrinis, ab Epiphaniensibus, & a Pompejopolitis, sic & in Syria ab Arethusiis inito, (cujus attamen nullum producit testem), Epochae istiusmodi cardo repetendus sit. Quam sane juxta opinionem, Epochae istiusce caput repetendum ego putaverim ab *Autonomia* Urbi a *Lucullo* indulta U. C. anno 685, Seleucidarum 244, ante Christianam Aeram 69, quo insigni de *Tigrane* Armeniae Rege victoria relata, ex omni fere Oriente Legatos ad se venientes benigne *Lucullus* excepisse, ac Syriae Urbes beneficiis sibi devincire, in fidemque recipere studuisse legitur, adeo

adeo ut a nonnullis Urbibus ut bene, optimeque de ipsis meritus, ac veluti conditor *Lucullus* habitus, cultusque fuerit, apud Strabonem lib. 11. p. 532, & lib. 12. p. 539, Plutarchum in Lucullo, & Orosium lib. 6. cap. 3. Fieri etiam potuit, quomodo pridem factum duobus *Antiochis* Fratribus *Grypo*, & *Cyziceno* mutuo se bello laniantibus, ut *Antiocho* X. *Eusebe*, atque *Demetrio* III, *Philippo*, & *Antiocho* XII. *Nicephoro* fraternis se praeliis, saeviori quin imo rabie se mutuo atterentibus, tantarum demum caedium pertaesae Urbes pleraeque, bellisque pene collapsae, atque in his *Arethusa*, occasione arrepta, qua pariter incursiones a Judaeis, & ab Arabibus in Syriam factas refert Justinus lib. 39. sq., in libertatem se adseruerint, inque proprii deinde Juris argumentum novas instituendas duxerint Aeras: sed prior mihi conjectura praeplacet.

X. In eisdem *Seleucidis* Mediterraneis *Arethusae* proxima jacet *Epiphania*, juxta Antonini Itinerarium, ad Orontem fluvium, ejusdem Cive Evagrio lib. 3. cap. 34. teste, consita; quae olim *Emath* dicta, postmodum ab *Antiocho* IV. *Epiphane* instaurata, suo de cognomine *Epiphania* denominata est, teste S. Hieronymo alibi relato. Negans id vero, *Emath* videlicet *Epiphaniam* esse, Bonfrerius Eusebium vertens in Onom. Urb. Oper. Menochii T. II. p. 206. audiendus haud est: Aquila namque, velut ex Theodoreto, & Procopio in II. Reg. VIII. 19, nec non ex Codice Regio a Montfauconio collato edocemur, Regum loc. cit. verba מֶלֶךְ חֲמָת *Melech Ghamath* vertit Βασιλεὺς τῆς Επιφανείας *Rex Epiphaniae*, cui ideo utroque subscribere pollice haud dubitarunt S. Cyrillus Comm. in Amos 6. 2, & S. Hieronymus in Amosi eumdem locum, ac in Quaest. Hebr. ad Gen. x; videndusque Petrus Wesselingius Probabilium cap. 25. p. 215. sq. Neque magis adsensum praebeo, ut enim praebeam haud efficiunt invicte, quae profert, momenta, Joh. Christoph. Haarenbergio in Exercit. Geogr. de Regione, & Urbe Hemath Miscell. Berolin. T. VII. p. 443. sqq., ubi *Hemath* eamdem cum *Heliopoli* fuisse Urbem existimat: nam *Heliopolim* indistinctam a *Baal Gad*, aut *Baal-Hamon* sq. Art. verius statuentem Ikenium audiemus.

Epi-

Epiphaniae jam vero, praeter Aeram *Pompejanam*, qua de supra dictum, alteram, initio ducto ab anno U.C. 791, Aerae Christianae 38, inductam fuisse opinatus est Vaillantius, ipsumque pone sequutus Norisius de Epoch. Syrom. dissert. 3. cap. 9. §.6. p.348. sq., Nummi *M. Antonino Gordiano* inscripti, scalptique *Epiphaniae*, una cum *Serapidis*, ac *Cerberi* effigie, notam anni ET. ςC. 206. exhibentis testimonio inducti. Is enim annus retroductus ab U.C. anno 991, Aerae Christianae 238, quo imperium *Gordianus* auspicatus est, annisque 6. tenuit, hoc est usque ad Christi annum 244, U.C. 997, quo a *Philippo* Praetorio Praefecto est interfectus, in annum incurrent U.C. 785, Aerae Christianae 38. Siquidem vero eo praecise anno, quo imperium *Gordianus* injit, is haud cusus videri Nummus queat, ideo Vaillantius *Epiphanensium* Aeram sexennio retardandam, ejusque caput in U.C. annum 791, Aerae Christianae 38. conferendum existimavit; Norisio vero inter utrumque terminum, idest inter annum U.C. 785, & 791. collocanda visa est. Eamdem autem inde ab anno U.C.791. repetendam etiam suspicatus est Norisius, quod Persas siquidem *Gordianus* e Syria expulerit anno U.C. 996, Aerae Christianae 243, inde fieri potuerit, ut *Epiphaniae*, in rei memoriam, is scalptus fuerit Nummus. Verum eam quoque animo suspicionem induit, utrum ad *Epiphaniam* in Cilicia referendus esset Nummus; suspicandique locus ei factus est a Dione lib.59. p.645, ac Svetonio cap.16, referentibus a *Cajo Caligula*, una cum paterno Commagenes Regno *Antiocho* XVII. *Epiphani* Regi restituto, adjecta fuisse Ciliciae maritima: quò proinde fieri potuit, ut *Epiphania* singulari quopiam a *Cajo* beneficio cumulata novam inde ab U.C. anno 791. Epocham instituendam existimaverit. Atque huicce plane opinioni de Nummo isto ad *Epiphaniam* in Cilicia referendo adhaesit Harduinus in Num.Popul. illust.p.55, in Chron.Vet.Test, p.613, & Hist. Aug. p.828, qui & errorem ejusdem in Nummi numerali nota detexit ex simillimo huic altero in Cimelio Ducis Cenomanensis extante, ubi loco ςC. 206, distincte habetur ςT. 306. Eodem de errore a Comite Mediobarbo, qui ejusdem Nummi typum a Jacobo Sponio acceperat, Norisius

etiam

etiam admonitus, mutata sententia, *Pompejanam* eo in Nummo signatam Epocham putavit, ab eo nempe annoU.C.690, ante Christi natalem 64. *Epiphaniae* in Syria inchoatam, quo a *Pompejo* donata Urbs *Autonomia* est, ideoque ejusdem annum 306. inde ductum exjisse sub Autumnum anni U. C. 996, Aerae Christianae 243, quo a *Gordiano* bellum in Syria contra Persas auspicio felici, avibusque secundis inceptum fuerat. Ex adverso Harduinus in ea persuasione firmiter persistens, quod *Epiphaniae* in Cilicia scalptus fuerit Nummus, Aerae caput in eo designari pugnat annum U. C. 685, ante Christi natalem 69, quo ipso anno Urbes in Cilicia plerasque alias, cujusmodi *Alexandria* ad Issum, ac *Pompejopolis*, nec non in Troade *Ilium*, atque in Seleucide *Arethusa*, velut ex ipsarum Nummis Urbium ostendere adgreditur, foedus cum Romanis pepigisse, indeque novam usurpare in Nummis Aeram cepisse persuasum habet. Quo proinde ab anno U.C. 685, ipsius opinione, ductus annus 306. pertingit in U. C. annum 991, Aerae Christianae 238, *Gordiani* I, Autumno ejus anni, quo a *Gordiano* Antiochiam adpulso, Persis debellatis, Carrhae, Nisibis, Urbesque aliae recuperatae sunt. Cum Norisio facit Abbas Belleyius in dissert. de Nummis Epiphaniae Monum. Acad. Inscrip. Paris. T.XXVI. p.391. sq., ubi postquam Norisio scrupulum exemisset an ad Syriae, an ad Ciliciae *Epiphaniam* referendi sint Nummi, ad priorem illam proculdubio referendos quinque alios Musei Theupoli, Pellerinii, Vitry, & Montoliveti ostendens, unam in hisce *Pompejanam* obsignatam conspici Aeram conficit: qua de abunde, puto, super. Artic.IV. §.XVIII. dictum est.

XI. Certiores itaque, undequaque constantes ad Urbium Epochas referendo gradum, a Syria tamen haud recedendo, *Leucadia* nobis occurrit, quae Plinio lib. 5. cap. 23. post Laodiceam ad Libanum memorata, valde mirari subit, quod inter *Coelesyriae* Urbes Cellario Geogr.Antiq.T.II.lib.3. cap.12. p.368. sqq. praetermissa fuerit. *Leucadiae* itaque, *Augustaeam* praeter Epocham aliquando usurpatam, superiori velut Articulo I. §.36. palam est factum, nuperam ab anno U. C. 801, Aerae Christianae 48. deinde fuisse institutam Epo-
cham

cham persuasum habuit doctiss. Virorum par nobile Vaillantius, ac Norisius de Epoch. Syrom. dissert. 3. cap. 9. §. 8. p. 354. sq. Persuasionis hujusmodi vero in caussa utrique fuit *Trajani* Nummus *Leucadiae* cusus, cujus in anteriori epigraphe *Trajanus Germanici*, ac *Dacici* titulo decoratus conspicitur, in posteriori vero parte *Leucadii* cognominati & ipsi *Claudii* leguntur, una cum litteris EN. anni 55. Ab eo igitur anno, quo *Leucadia* de *Claudii* nomine *Claudia* dicta creditur, novae ducendum Epochae exordium existimant; quumque *Trajanum Dacici* titulum non ante U. C. annum 856, Aerae Christianae 103, *Trajani* 6. tulisse censeant, si ab hinc anni 55. retroducantur, in annum incurrent U. C. 801, Christi 48, *Claudii* 8, a quo anno anteriori 7. idest, Aerae Christianae 47, U. C. 800, Romae Ludi *Seculares* habiti fuerant. Repugnat his, atque biennio *Claudianam* hancce retardandam Epocham esse, ab annoque U. C. 803, Christi 50. auspicandam contendit Harduinus in Num. Popul. illust. p. 95, & in Chron. Vet. Test. p. 634, quo a capite ducti anni 55. in *Leucadiae* Nummo signati in annum incidunt U. C. 857, Aerae Christianae 104, *Trajani* 7, a quo superiori anno circa Julium, Augustumve *Dacica* relata victoria est: qua de multa qui adversus Norisium etiam disputant, adeundi Duumviri doctiss. Pagius ad an. 103. n. 7, ac Longuerue de Var. Epoch. cap. 4. §. 2. sq. p. 128. sqq. Sub *Gordiano* denique *Claudiana* hac abrogata, *Leucadios* ad veterem regressos *Augustaeam* Epocham, ab *Asia recepta* videlicet, sive ab Imperio in Syria ab *Augusto* inito, super. Art. I. §. XXXVI. demonstratum est, quin rei in liquido positae refingendae opera denuo frustra impendatur, quod otio abutentis profecto esset; videndusque Froelichius in Num. Antiq. cap. 4. p. 48, quo loci hacce de utraque Leucadiae Aera agit.

XII. Inter Antiochiam, & Hierapolim *Berrhoea* in Cyrrhestica, *Seleuci Nicatoris* & ipsa opus, Procopio de Bello Persico lib. 2. cap. 7. constituta, quae olim *Chalep* Nicetae Choniatae in Joh. Comneno cap. 7, & Nicephoro Callisto lib. 14. cap. 39, ad quos accedunt Holstenius in Not. ad Stephanum de Urb. p. 65, & Harduinus in Num. Popul. illust. p. 33, ac Buno in Not. ad Cluverii Introd. Geog. lib. 5. cap. 22. p. 607,

dicta, hodie *Aleppus*, frequentata commercio Urbs, (nisi *Aleppus* sit vetus *Chalybon* ad ortum Chalcidicae a Ptolemaeo lib. 5. cap. 15. apposita, veluti malunt Postellus, & Rauwolfius, nisique magis *Chalybon* ipsa sit vetus *Chalep*, qua de re disputandum Geographis derelinquo), *Berrhoea*, inquam, veteri antiquata *Syromacedonum* Epocha, novam usurpasse ex Nummis videtur. Extant enim vero *Trajani* Nummi duo *Berrhoeae* cusi, e D. Foucaltii, ac Joberti Cimelio ab Harduino in Hist. Aug. p.747, & 752. descripti, in quorum uno littera A, in altero littera Γ. nota anni 1, & 3. scalpta conspicitur. Siquidem vero in posteriori hoc Nummo *Trajanus Dacici* non modo, sed & *Parthici* titulo decoratus legitur, inde arguere fas est a *Parthica Trajani* Victoria novam in *Trajani* honorem, reique gestae memoriam, Epocham *Berrhoenses* auspicari voluisse; ideoque fortassis insuper, quod a *Trajano*, quum in Syria, profecturus adversus Parthos, demoraretur, singulari *Berrhoea* beneficio aliquo fuerit adfecta. Quo sane *Parthici* titulo, quum post Victoriam de Parthis relatam, anno Christianae Aerae 115, U.C. 868. *Trajanus* decoratus fuerit, inde consequitur, quod Berrhoensium annus 1, & 3. fuerit U.C. 868, & 870, Aerae Christianae 115, & 117, Imperii *Trajani* anno Christi 98, U.C. 851. initi annus 18, & 20. inceptus. Duos alios insuper *Antonino Pio Berrhoeae* inscriptos Nummos e Museo P. Chamillartii descriptos exhibet in Hist. Aug. p.767. Harduinus, quorum unus obsignatus littera A, alter littera B, hoc est anno 1, & 2. conspicitur: qui procul dubio fuere *Antonini Pii* annus 1, & 2, U.C. 891, & 892, Aerae Christianae 138, & 139: queis ad novi Imperatoris gratiam promerendam, sibique beneficiis illum devinciendum, pro ubique jam in Syria recepto more, studioque Romanos erga Imperatores, quos erga Divinis neque parcebant honoribus, novum ipsi gratulati *Berrhoenses* Imperium, arcteque initum animo obsequium testari voluisse videntur.

XIII. Hinc a *Berrhoea* nempe haud procul consita *Hierapoli* in Cyrrhestica, interiori scilicet Regione Syriae, Urbe haud ignobili, quae olim *Bambyce* dicta, Syris *Magog*, Plinio teste lib.5. cap.23, a *Seleuco Nicatore* deinde *Hierapolis*

polis adpellata, celebre sibi a *Dea Syra*, Graecis *Derceto*, Syris *Atergate*, Judaeis *Astarte*, Latinis *Cybele*, Poenis *Venere Caelesti* denominata, teste Strabone lib.16. sub fin., nomen fecit, quod in Nummis passim sub *Trajano*, *Antonino Pio*, *M. Aurelio*, *L. Vero*, *Antonino Caracalla*, *Alexandro Severo*, *Philippo* &c., cum epigraphe Θεᾶς Συρίας *Deae Syriae*, cusis usurpasse legitur, nova sub *Antonino Pio* instituta Epocha ex ejusdem *Antonini Pii* Nummis duobus nota Δ. anni 4, alteroque cum littera H. anni 8 obsignatis colligitur apud Harduinum in Num. Popul. illust. p.72, & Hist. Aug p.768. sq. Instituta altera insuper sub *M. Aurelio*, & *L. Vero* arguitur ex ipsorum quoque Nummis ibid. p.780. sq. exhibitis, *Hierapoli* scalptis cum numeralibus anni notis Δ. anni 4. in *M. Aurelii* Nummo, & Z. anni 7. in Nummo *L. Veri*. Cui ego quidem, aut egregie fallor, Epochae *Hierapoli* instituendae occasionem Ludos *Quinquennales* fecisse auguror, quos in honorem cum primum *Atergatis*, tum perinde *Augustorum* solemniter agendi facultas ab *Antonino Pio* facta primum fuerit anno 4, Aerae Christianae 141, U.C. 894; quo ipso anno eidem Imperatori *Zeugmate* in Syria Oppido, ubi ponte videlicet ab *Alexandro M.* pridem constructo, Plinio lib.5. cap.24, Dione lib.40.p.128, Strabone lib.16. p.746, ac Stephano de Urb. p.126. testibus, Euphrates trajici poterat, cusus habetur Nummus; tum etiam *L. Vero* eodem anno *Zeugmate* cusus alter cum nota Γ. apud Harduinum in Hist. Aug. p.779; eumdemque annum 4. *Novum*, *Faustum*, ac *Felicem*, eidem *Antonino Pio* Senatus, Populusque Romanus adprecatus in Nummo legitur altero, ex Petro Bellorio ab eodem Harduino eodem loci p.768. laudato, in aliisque plurimis alibi, ac in Aegypto quammaxime percussis, de quibus abunde, puto, dictum, ubi de Aegyptiorum Epochis: videndusque, qui de Graecarum etiam Urbium more in Nummis Ἔτους Νέου Ἱεροῦ Augustos de *Anno Novo Sacro* aut primo, aut secundo &c., incepti redeunte Imperii die, gratulandi differit, Erasmus Froelichius in Notitia Element. Num. Antiq. cap.4. p.52. sq.

XIV. In Chalcidica Syriae Regione altera *Chalcis*, Graeco nomine sic adpellata *Seleuco Nicatori*, teste Appiano in

in Syr. p.201, unde Regioni toti nomen inditum, Urbs haud ignobilis, suam & ipsa peculiarem ob Epocham memorandam venit. Suos haec olim Regulos habuit Urbs, quos inter tres *Ptolemaeus*, *Herodes*, & *Aristobulus* laudati Josepho Antiq. lib.13. cap.23. sq., lib.14. cap.13, lib.19. cap.4, & lib. 20. cap.3, ac de Bello lib.7. cap.27, & Straboni lib.16. p.519. leguntur. Ex quo vero Reges habere desiit, Romanorum dominio subjecta, sub *Domitiano Flavii Vespasiani* filio, a quo *Flaviae* cognomen, in Nummis etiam usurpatum, Urbi deinceps adhaesit, tum primo novam *Chalcidis* institutam Epocham fuisse quatuor docent Nummi, duo *Trajano*, & *Hadriano* eadem una cum nota EK. anni 25. inscripti; tertius *M. Aurelio* cum numeralibus litteris BO. 72, alterque *Commodo* insculptus cum nota q. anni 90. Igitur a *Trajani* anno postremo, & *Hadriani* primo, U.C. idest anno 870, Aerae Christianae 117, retroducti anni 25. incurrent in annum Christi 92, U. C. 845, *Domitiani* 12: a quo item ducti anni 72, & 90. indicabunt annum U. C. 916, & 934, in Aera Christiana 163, & 181, *M. Aurelii* 3, & *Commodi* 2: ideoque *Chalcidensis* Epochae cardo annus haberi debet *Domitiani* 12, U. C. 845, Christi 92: atque haec Norisius de Epoch. Syrom. dissert. 3. cap.9. §.3. p.328. sqq. Cum Norisio facit Harduinus in Num. Popul. illust. p.182, & Hist. Aug. p.753. sqq., qui optime illud observat in Aegypto, atque Syria tam plures adhuc *Trajano*, post initum ab *Hadriano* Imperium, eo ipso *Trajani* anno 20, qui fuit *Hadriani* 1, quam utrique, *Trajano* idest imperare desinenti, & *Hadriano* imperium auspicanti, eodem ipso anno U. C. 870, Aerae Christianae 117, *Trajani* 20, *Hadriani* 1, Nummos fuisse procusos. Cujusce rei ea fuit utique ratio, & caussa, quod *Trajano* superstite adhuc, & cum *Tribunitiae Potestatis* xx. *Augusti* titulum retinente, eodem ipso anno *Hadriano* imperium, sive suprema Exercituum Praefectura collata fuerit. Ita *Tripolis* etiam Nummi utrique Imperatori *Trajano*, & *Hadriano* cum anni nota HKY. 428, qui Aerae *Tripoliticae*, hoc est *Syromacedonicae* ducto ab U. C. anno 442, ante Christi natalem 312. cardine, in annum incidunt Christi 117, U. C. 870, *Trajani* 20, Ha-

Hadriani 1. Sic *Antonino Pio* anno U.C. 891, Aerae Christianae 138. jam imperium adepto, in Aegypto Nummos adhuc multos *Hadriano* cusos fuisse constat cum anni nota 20. Cujusmodi moris eam fuisse caussam etiam adjungit Harduinus, quod *Augusti* titulum annos ultra viginti retinere *Augusto* nemini per Senatum, ante *Antoninum Pium*, cui per tres annos insuper prorogatum Imperium fuit, fas legitur factum; quin imo, neque postea; quam ob rem *Trajanus*, *Hadrianus*, *Antoninus Pius* non modo, sed nec amplius *M. Aurelius*, *L. Verus*, ac *Diocletianus* in Nummis cum *Augusti* titulo post annos 20. comparent.

XV. Sed enim dubitatio heic subit, qui fieri potuerit, ut a *Chalcidensibus*, quibus alioqui *Flavianam* Aeram ab U.C. anno 845, Christianae Aerae 92. inceptam fuisse ostendimus, in geminis tamen aliis *Hadriano*, & *M. Aurelio* inscriptis Nummis numerales obsignatae fuerint notae Δ. anni 4, in *Hadriani* Nummo, qui fuit U. C. 873, Christi 120, *Hadriani* idest 4; & A. anni 1, in Nummo *M. Aurelii*, qui Christi fuit 161, U. C. 914, *M. Aurelii* hoc est 1? Cujusce immutandi moris ea subesse caussa potuit, quod eo *Hadriani* anno 4. *Quinquennalia* habita fuerint, cui propterea Nummo percusso vota persolvere, festivaque precari honori, religionique *Chalcidenses* habuerint; annus vero *M. Aurelii* 1. illustris tam ob *Quindecennalia* Proconsularis Imperii Consulatus anno 1. ab ipso solemni pompae adparatu celebrata, quam ob decretam, susceptamque contra Parthos, Syriam infestantes, eodem anno ab ipso expeditionem, evaserit. Inquirenda demum superest, quae alioqui primo dirimenda loco fuerat, *Flavianae* istiusmodi *Chalcidis* instituendae, (quam etiam *Diospoli*, *Capitoliade*, *Rabbathamenae* fuisse institutam infra videbimus); Epochae caussa. Atque haec altera videri sane nequit, nisi quia eo Christianae Aerae anno 92, U.C. 845, *Domitiani* 12, ejusdem in honorem *Quinquennalia* indicta fuerint, atque Ludi *Capitolini* instaurati; quinto idest post anno, quam *Seculares* ab eodem *Domitiano* Ludi celebrati fuerant, idest anno U. C. 841, Christi 88, *Domitiani* 8, velut ex Nummis adversus Loidium hosce Ludos ad sequentem annum differentem invicte

victe demonstravit Pagius in Crit. Baron. ad cit. an. 88. n. 2. sqq., & n. 10. sqq. Annal. Eccles. T. I. edit. Lucen. p. 717. sqq. Quos agendi perinde Agones facultas *Chalcidensibus* facta siquidem fuerit, ipsis propterea, cum *Flaviorum* cognomine deinceps adsumpto, novam in beneficii sibi a *Domitiano* collati memoriam, instituendam Aeram visam fuisse nullus ego dubito. Conferendus interea Pagius cum in Differt. Hypat. cap. 11. sq. n. 12, & 14. Adpar. p. 76. sq., tum in Crit. ad cit. annos 92, 93, 120, & 121. n. 2. Annal. T. I. p. 730, 733. sq., ac T. II. p. 105. sqq., ubi *Quinquennalia* a *Domitiano*, & ab *Hadriano* celebrata anno uno deprimit, & ad sequentes Aerae Christianae annos 93, & 121. differt: qui annus tamen apud *Chalcidenses*, caeterorum more Syrorum, ab Autumno superioris anni siquidem exordium sumpserit, integra proinde stat nostra de *Chalcidensis* Aerae origine, cardineque opinio. Alteram sed enim ante hanc in Chalcidene obtinuisse Aeram acute vidit doctiss. Abbas Belleyius Observat. in Chalcidenis Tetrarchiam Monum. Acad. Inscrip. &c. Paris. T. XXVIII. p. 554. *Ptolemaeo* nempe *Mennaei* filio Chalcidis Dynastae vita functo, U. C. anno 714, Christi ante natalem 40, filius successit *Lysanias*, quem *Ituraeae* Regem a *M. Antonio* factum fuisse scripsit Dio lib. 49. p. 411. Hunc postea caussata *Cleopatra*, quod Parthicis studeret rebus, a *M. Antonio* interficiendum curavit, ipsius accepto Regno U. C. anno 718, ante Christianam Aeram 36, veluti referunt Dio loc. cit., ac Josephus Antiq. lib. 14. cap. 4. Vacuum tamen *Lysaniae* locum occupavit *Zenodorus* quidam ferox ingenii homo, Latronumque fautor, cui perinde Tetrarchia ab *Augusto* U. C. anno 727, Christi ante natalem 27. confirmata est; quae postea, *Zenodoro* apud Antiochiam vita functo, *Herodi* ab eodem *Augusto* U. C. anno 734, ante Christianam Aeram 20. contributa traditur Josepho Antiq. lib. 15. cap. 13, ac Dioni lib. 54. p. 526. Singularis jam vero Nummus extat in D. Pellerinii Museo a *Zenodoro* scalptus cum nota L. ΖΠ. anni 87, qui ab anno U. C. 727, Christi ante natalem 27, quo Ituraeae, & Chalcidis Tetrarchia *Zenodoro* confirmata ab *Augusto* fuit, retroducti in U. C. annum 640, ante Christianam Aeram 114. incurrunt: quo sane anno,

novo

novo cum *Ptolemaei Mennaei* filii Regno, nova incepisse *Chalcidensis* Aera videtur: quae alioqui triennio retardanda, cumque U. C. anno 643, Christi ante natalem 111. copulanda Belleyio visa est. Ab Harduino tamen alter *Zenodori*, quem perperam *Herodis*, atque *Philippi* patrem facit, in Num. Herodiad. p.336, productus est Nummus obsignatus L. BΠΣ. anno 282: qui recte ideo Seleucidarum Aerae ipsi visus annus est, in annum Christi ante natalem 30, U.C. 724, quo ipso *Augustaea* cepit Aera: quò proinde fit, ut gemina in Nummis a *Zenodoro* consignata fuerit Aera, prior *Seleucidarum*, ut hoc in Harduini Nummo, atque *Chalcidensis* posterior, ac propria, velut in Nummo Cimelii D. Pellerinii a Belleyio inspecto.

XVI. In Commagene jam vero, *Euphratesia*, a fluvio Euphrate sane in confinio decurrente, sequiori aetate denominata, veterem *Seleucidaram* usurpari tandiu Aeram non destitisse, quamdiu sub Syriae Regum jugo Regio mansit, haud dubium est, velut ex Nummis planum super. Art. factum est. Atqui *Commagenis*, postquam Romano Imperio colla subjugare compulsi sunt, novam ultrocitroque initam fuisse Aeram Olympiadis 212. anno 3, *Vespasiano* Augusto II, & *Nerva* Coss. prodit Auctor Chron. Paschal., sive Alex. p. 248. edit. Parif., Ven. p. 198: qui annus plane in annum competit U. C. 824, Aerae Christianae 71, quo *Vespasianus* Kalendis Juliis imperii annum 3. est auspicatus; non annum 2, ut mendose habet Chronici Alex. cit. Auctor. Angusta nempe intra Commagenes, Syriae Superioris Regionis, confinia amplissimum olim Seleucidarum Imperium redactum primo fuerat, coarctatumque, facta ejusdem potestate *Antiocho* XIIII. cognomento *Asiatico*, ipso prius in fidem recepto, ac perinde Mesopotamiae parte adaucto, a *Pompejo* anno U.C. 690, ante Christi natalem 64, ut habent Appianus in Syr. p. 133, ac Strabo lib. 16. p. 516. *Mithradati* postea Commagenes Regnum ab *Augusto* adtributum fuisse anno U. C. 734, ante Christianam Aeram 20. refert Dio lib. 54. p. 526. Posthac vero a *Germanico* in Syriam misso, *Tiberii* jussu anno U. C. 771, Aerae Christianae 18, Commagenes in Provinciam redacta est, *Q. Servaeo* Rectore eidem imposito, teste Strabone lib. 16. p. 516. Verum *Tiberio* defun-

defuncto; a *Cajo Caligula* anno U. C. 790, Aerae Christianae 37. *Antiocho* XVII. *Epiphani*, Commagene Regum IV, paternum restitutum fuisse Regnum, adjectis Ciliciae Maritimis, auctor est Dio lib. 59. p. 645; quod postinde eidem ablatum ab eodem *Cajo*, denuo anno U. C. 793, Christi 40. a *Claudio* redditum tradit Dio lib. 60. p. 670; donec postremo idem *Antiochus* regno prorsus a *Vespasiano* exspoliatus est anno U. C. 825, Aerae Christianae 72, *Vespasiani* 4, & Commagenes Romanam in Provinciam est redacta, uti referunt Josephus de Bello Jud. lib. 7. cap. 27, Svetonius in Vespas. cap. 4, Eutropius lib. 7. cap. 19, & Victor in Epitome cap. 9. Praeter Commagenem vero, in Provinciam etiam redactas a *Vespasiano* Thraciam, & Ciliciam tradit Svetonius cap. 8, Achajam, Lyciam, Rhodum, Byzantium, Samum, Tracheam, Ciliciam, quae antea liberae erant, scribit, exscribitque ex Eutropio, Eusebius in Chron. Oper. S. Hieron. T. VIII. p. 680. sq., videndique Scaliger in Not. ad Euseb. p. 199, Hervvartus in Chron. p. 152, Vallarsius ad Euseb. p. 680. pro *Thracia* legendum cum Cellario, & Hearnio *Tracheam* recte admonens, & Norisius in Cenotaph. Pisan. dissert. 2. cap. 11. p. 364. sqq., ubi lapsum Usserium in Annal. Vet. Test. p. 651, neque Josephi de Bello lib. 7. cap. 27. sententiam rite assequutum ostendit, dum ejusdem Josephi sententia *Antiochum Vespasiano* reconciliatum, Regnoque ab eo restitutum scribit. Josephus enim id unum tradit *Antiochum Vespasiano* reconciliatum utique fuisse, jussum tamen Regno excedere, Romaeque deinceps vitam agere. Conferendus etiam idem Vir. doctiss. de Epoch. Syrom. dissert. 2. cap. 4. p. 130. sqq. ubi multa docte, pro more, abundeque de *Commagenorum* Epocha disputat. In *Vespasiani* itaque honorem, a quo, *Antiocho* Rege depulso, Romanis Provinciis *Commagenes* fuerat aggregata, novam inde Provinciae Epocham *Commageni*, sive ut Imperatori rerum potienti adularentur, sive ut sibi de Syrorum Regum excusso jugo adblandirentur, instituendam, Nummisque inscribendam duxere, ab anno idest U. C. 825, Aerae Christianae 72. initio ducto, qui apud ipsos ab Autumno superioris anni U. C. 824, Christi 71. inceperat, quo a Syris nempe redem-

redempti, Romanis fuerant adcenſiti. Conſtat id ex Auctore Chronici Alex. non modo, ut audivimus, ſed ex Nummis etiam ſive *Samoſatae*, ſive *Germaniciae* in Commagene cuſis.

XVII. Atque *Samoſatae* quidem, Urbis nobilis, quae totius Commagene olim caput, ac Regia ſedes ad Euphratem ſita, Plinio lib. 5. cap. 24, Straboni lib. 16. p. 516, Joſepho de Bello lib. 7. cap. 28, Stephano de Urb. p. 281, & Ammiano lib. 18. cap. 9. Valeſ. 4, & lib. 20. cap 26, Valeſ. 11. dicta eſt, deque *Veſpaſiani* nomine *Flavia* deinde cognominata in Nummis adparet, quaeque tandiu Commagene totius Metropolis manſit, donec Chriſtianis ſub Imperatoribus nova facta Provinciarum diviſione, Provinciae *Euphratenſis*, quod nomen in Commagenes locum ſubrogatum eſt, nova *Hierapolis* conſtituta Metropolis eſt, *Samoſatae*, inquam, *Flavianam* hanc obtinuiſſe Aeram oſtendunt Nummi ibidem percuſſi, qui praeter *Flaviae* cognomen, numerales anni notas ET. Ξ. 60, ut in *Hadriani* Nummo; vel ET. Bq. 92, ut in altero *L. Veri* praeferunt, apud Noriſium de Epoch. Syrom. p. 147. ſq., & Harduinum in Num. Popul. illuſt. p. 148, & Hiſt. Aug. p. 759, & 777, cui tamen cum in Num. illuſt. loc. cit., tum in Chron. Vet. Teſt. p. 638. iſtiuſmodi *Samoſatena* in Commagene Aera, non ſecus ac *Neapolitana* in Samaria, anno uno anticipanda, ideſt anno U.C. 823, Aerae Chriſtianae 70. ab Autumno ineunti adfigenda viſa eſt. Anni jam vero iſti 60, & 92, initio ducto ab U. C. anno 823, juxta Harduinum, aut 824, juxta Noriſium, in annum incidunt U. C. 882, aut 883, Chriſti 129; aut 130, *Hadriani* 13, aut 14, ac in annum U. C. 914, aut 915, Chriſti 161, aut 162, *L. Veri* 1, aut 2. Verumtamen etſi Harduino favere Auctor Chron. Alex. videatur, qui *Commagenam* hanc Epocham conſignat *Veſpaſiani* anno 3, Noriſio viciſſim favet Joſephus de Bello lib. 7. cap. 27, a quo *Antiocho* XVII. *Epiphani*, Commagenes Regi IV, Regno exſpoliato facultas Romam adeundi facta a *Veſpaſiano* anno 4. refertur; ut vidit etiam Baſnagius in Annal. Polit. Eccleſ. ad an. 72. §. 4. p. 780. ſq., unde anticipatione quadam uſus Auctor Chron. Alex. videtur, ſuperiori id factum anno referens. Videndi

etiam Maſſonus in Diſſert. de Regibus Commagenes apud Haymium in Theſ. Britan. T. I. p. 116. ſqq., ac Bimardus de la Baſtie in Addit. ad Joberti Scient. Num. §. 1. T. II. p. 355. ſq., ubi plura de Commagenes Regibus, atque Aera. Alterum *Hadriano* ſcalptum epigraphe CA, *Caducei* cum effigie, ac Nota ET.ΘN. anni 59. inſignitum producit Haymius Theſ. Britan. T. II. edit. Vindob. 1763. p. 272. ſq.; quem haud recte quidem a Vaillantio p. 36, atque Leunclavio *Saetae* Urbi Lydiae, copulatis nempe CA, Urbis ſiglis, cum ET. anni notis, adſcribi obſervat, atque *Samoſatae* reſtituendum inde probat, quod ejuſdem ac prioris *Hadriani* Nummi obſignati Ca.ET. Ξ. anno 60. fabrica ſit eadem, atque eadem in utroque *Cadacei* figura conſpiciatur: fallitur attamen *Samoſatae* Aeram hanc anno uno, vel altero retardandam, inque U. C. annum 825, Chriſti 72. conferendam opinatus: cauſſae ſiquidem haud ſubſit ullius, cur a recepta vel Harduini, vel Noriſii opinione de *Samoſatena* Aera diſcedere nos cogat.

XVIII. Quod nunc ad *Germaniciam* Commagenes Urbem alteram haud ignobilem attinet, in trium Provinciarum Ciliciae, Syriae, & Cappadociae confinio poſitam, ea *Καισάρεια Caeſarea Germanica* de *Caii* Caeſaris *Germanici* agnomine olim adpellata tam in veteri Notitia Eccl., ac in Not. Hieroclis, quam in Nummis *Juliae Domnae*, ac *Juliae Mamaeae*, *Severi*, ac *Peſcennii*, aliiſque, queis de modo, apud Holſtenium in Not. ad Steph. de Urb. p. 84, Triſtanum T. II. p. 39, Spanhemium p. 590, Cellarium Geogr. Antiq. T. II. p. 338, & Harduinum p. 39. ſq., quos ipſe tamen ad *Caeſaream* in Palaeſtina referendos putat; deinde *Germanicia* dumtaxat Theodoreto lib. 2. cap. 25, Socrati lib. 2. cap. 37, Nicephoro lib. 14. cap. 39, ac Stephano de Urb. loc. cit. adpellata legitur. Mortuo nempe *Antiocho* XVI. inter Commagenes Reges III, miſſo in Syriam *Germanico* Regnum in Provinciam anno U. C. 771, Aerae Chriſtianae 18, *Tiberii* juſſu redactum fuerat; aſt *Tiberio* ipſo defuncto, a *Cajo Caligula*, imperii ſtatim ſub initio, *Antiochi* filio ejuſdem nominis XVII, cognomento *Epiphani*, Commagenes inter Reges IV, anno U.C. 790, Aerae Chriſtianae 37. Regnum eſt reſtitutum, uti tradunt

dunt Dio lib. 59. p. 645, ac Svetonius in Cajo cap. 16. In accepti ergo beneficii memoriam, argumentumque, quo suum erga benefactorem illustrem *Cajum Germanicum* obsequium tam obligaret, quam obligatum testaretur, cum Urbi de *Caji Caligulae* utroque cognomine, & agnomine *Caesareae Germanicae* nomen indendum, tum inde novam, ab anno idest U. C. 790, Christi 37, inducendam Aeram *Antiochus* duxit. Cujuscemodi novae sane Epochae locupleti nobis documento sunt Nummi *Germaniciae* scalpti *M. Aurelio* tres cum notis annorum numeralibus A. 1, KΘ. 29, EKP. 125, & *M. Aurelio Commodo* alter cum litteris ΘMP. 149, apud Vaillantium, ac Norisium de Epoch. Syrom. dissert. 2. cap. 4. p. 148. sqq., qui anni 125, & 149. ducti ab U. C. anno 790, Aerae Christianae 37. cum annis concurrunt U. C. 914, & 938, Christi 161, & 185. *M. Aurelii* 1, & *Commodi* 6. Nummum quod attinet *M. Aurelii* notatum KΘ. anno 29, de eo certi nihil definiri potest: dubitare namque licet, tum an *M. Aurelio* Patri, an *M. Aurelio Commodo* filio adtribuendus sit; an etiam lectus sit male Nummus, ac loco KΘ. sit IΘ. 19, qui fuisset Imperii *M. Aurelii* 19; an KE. 25, ut ego valde suspicor, qui fuisset *Commodi* 6; atque ita sicut anno 125. respondet in altero *M. Aurelii* Nummo annus 1, sic in Nummo *Commodi* anno 149. responderet in isto exacte annus 6; an tandem litteris KΘ. desit littera P., qua adjecta indicatur annus 129, qui tum fuisset Aerae Christianae 165, U. C. 918, *M. Aurelii* 5. Sic etiam de Nummo *L. Veri* apud Blanchinium de Anno mortis Christi cap. 4. §. 6. Opusc. T. I. p. 241. sq., in quo littera P. nota Centenarii detrita adparet, dubitari fas est, an litteris EK. adjungenda sit, ut Vir doctiss. existimat, ut inde annus 125. fiat, suffultus Nummo simili *M. Aurelii* notato EKP. anno 125: dubio namque manente, an hic *M. Aurelio*, an *Commodo* tribui debeat, inde Blanchinii conjecturam omnino concidere necesse est. Nummos ast enim hos omnes Harduinus, ut innui, ad *Caesaream* in Palaestina, quam *Flaviam*, *Augustam*, *Germanicam*, *Claudiam*, *Commodianam*, & *Antonianam*, de *Vespasiani*, *Augusti*, *Germanici*, *Claudii*, & *Commodi* nominibus in Nummis adpellatam fuisse pugnat, referendos fore

 per-

persuasum habuit in Num. Popul. illust. p.39. sq., de Herodum Num. p.331, & 336. sqq., in Chron. Vet. Test. p.633, & 637, ac Hist. Aug. p.781, & 788, Aeramque notatam esse *Claudianam* ab Autumno anni Christi 42, U. C. 795, *Claudii* 2. initam; quo anno *Caesaream* de *Germanici* Fratris *Claudii* agnomine *Germanicae* titulo adauctam existimat. Quam suam perinde confirmare opinionem satagit in Epist. ad D.Henrionium p.907. sq.; atque in Nummo demum *Commodi* notas legendas ΘΛΡ. anni 139. contendit, non, uti Norisio visum ΘΜΡ. 129. Verum Nummos illos *Germaniciae* in Commagene, seu Euphratesia restituendos esse cum Tristano, Holstenio, Spanhemio, Cellario &c. recte docuit Norisius de Epoch. Syrom. p.148. sqq., docteque amplius demonstravit in Paraen. ad Harduinum Cenotaph. Pisan. adsuta Oper. T.III. edit. Veron. p.1288. sqq., qua ipsa de re recolenda, si placet, quae abunde nobis, opinor, super. Cap.V. Art.I. de Epochis Hebraeor., Samarit. &c. §. XLII. sqq. disputata sunt. Quod autem ad numerales demum attinet notas ΘΛΡ., mediam litteram adeo detritam ostendit Norisius Toinardi testimonio, ut nonnisi divinando ab Harduino pro sua opinione suffecta littera Λ. fuerit, ut nempe ducta ab U. C. anno 795. *Claudiana* Aera, annum 139. in *Commodi* 1, U. C. 933, Christi 180. conferret; ipse vero augurando vicissim sufficiendam litteram M. duxerit, ut annus 149. videlicet anno U. C. 938, Christi 185, *Commodi* 6. congrueret.


XIX. In Seleucide Pieria ad Sinum Issicum, in Syriae Pylarum angustiis posita *Rhosus* Urbs a Strabone lib.16. p.751, Plinio lib.5. cap.22, Athenaeo lib. 13. p.586, atque Stephano de Urb. p.276, quae ideo ab aliis *Ciliciae* tributa legitur, veluti S. Hieronymo de Scriptor. Eccles. cap. 41, in Synodo VII. Act. 4, a Hierocle in Not. Eccles. &c., Aera insignis se nobis offert. Extat porro in Museo D. Pfavv *Rhosi* scalptus *Commodo* singularis utique Nummus cum Numerali nota Ετους ΘΙC. anni 219, laudatus Abbati Bellevio in Differt. de Rhosi Aera Monum. Acad. Inscript. &c. T.XXX. p.262. sqq. Perrarus & alter *Rhosi* cusus *Septimio Severo* cum Nota ϛΝC. anni 256. laudatur Nummus a D. Wisaeo in Not. ad Nummos Cime-

lii

lii Bodlejani. Tertius, sed absque Aera, a Maffejo Antiq. Gall. epist. 22. exhibetur Nummus *Rhosi* scalptus cum epigraphe Ἱερᾶς κ̀ Ἀσύλου. Gemina itaque his in Nummis Aera indicata Belleyio visa est, prior *Caesariana* ab U. C. anno 706, aut 707, Christi ante natalem 48, aut 47, in *Septimii Severi* Nummo obsignata; posterior *Augustaea* ab U. C. anno 723, ante Christianam Aeram 31. incepta, atque in *Commodi* Nummo inscalpta. Verum Aerae istiusmodi caput a Victoria *Parthica* U.C. anno 714, Christi ante natalem 39, *Ventidii Cassi* opera Cyrrhestica in Syria a *M. Antonio* relata, qua de Dio lib.49. p.404. sq., Eutropius lib.7, Strabo lib.16. p.751, Josephus Antiq. lib.14. cap.27, Vellejus lib.2. cap.78, Justinus lib.42. cap.4, Florus lib.4. cap. 9, aliique Usserio Annal. Vet. Test. 514. memorati, ducendum fortasse videtur, adeo ut nova *M. Antonio* isthac Aera Romana de re optime contra Parthos in Syria ab ipso gesta Rhosii gratulari voluerint. Inde ducti anni 219. in U.C. annum 933, Christi 180, *Commodi* 1, ductique anni 256. in annum U. C. 970, Christi 217, *Caracallae* ultimum incidunt. *Augustorum* vero defunctorum nomina in Nummis scalpta comparere haud insolens est.

XX. Altera Pieria in Seleucide quoque, ad Maris oram sita, *Balanaea* Urbs, a *Balneis* accepto sane nomine, Straboni lib.16. p.518, Plinio lib.5. cap.22, ac Stephano de Urb. p.62. memorata, quam apud S. Athanasium in Epist. ad Solitarios p. 812. male Καλαναῖν adpellari observat Holstenius in Annot. ad Geogr. Sacr. Caroli a S. Paulo de Patriarchatu Antiocheno p. 182, Aera celebris occurrit. In gemino quippe perraro *Balanaeae* scalpto Nummo cum *M. Antonii* nomine, Musei D. Pellerinii, cum *Bacchi* effigie uno Nota Aq. anni 91, & in altero cum *Jovis* imagine Nota ΔP. anni 104. conspicitur. Aerae porro *Balanaeae* caput ab U. C. anno 630, Christi ante natalem 124. auspicandum fore censet Vir doctiss. Abbas Belleyius in Dissert. de Aera Balanaeae in Syria Monum. Acad. Paris. Inscript. &c. T.XXX p.287. sqq. Eo nempe anno Syriae Urbes aliae, aliaeque ab *Alexandri* II. Syriae Regis, vulgo *Zabinae*, Syriace *Emptitii*, *Protarchi* Mercatoris filii, qui Syriae Urbibus plerisque, quibus ob superbiam admodum infen-

fensus. *Demetrius* II. Θεος evaserat, istius in locum a *Ptolemaeo* VII. *Evergete* II, vulgo *Physcone* Aegypti Rege U. C. anno 625, Seleucidarum 184, Christi ante natalem 129. suffectus fuerat, Josepho referente Antiq. lib. 13. cap. 9, atque ostendunt ex Nummis *Alexandri* II. cum Nota ΔΠΡ. Seleucidarum anni 184. tam Haymius in Thesauro Britan. T.I. p. 89. sqq. post Vaillantium Hist. Reg. Syr. p. 317. sqq., quam Froelichius in Annal. Regum Syr. p. 87. sqq., & p. 94, obedientia defecisse leguntur apud Justinum lib. 39. cap. 2, adeo ut huncce post annum Nummos amplius cum *Alexandri* nomine procusos nullos prostare observarit Erasmus Froelichius in Annal. Reg. Syr. p. 90. sq. Fieri ergo facile potuit, ut alias inter Syriae Urbes *Balanaea* se se, occasione belli *Alexandrum* II. *Zabinam* inter, & *Antiochum* VIII. *Epiphanem*, vulgo *Grypum* arrepta, in pristinam eo libertatem anno vindicaverit. Fortassis etiam, sicut aliis Syriae Urbibus aut a Seleucidis Regibus indulta, aut a Romano Senatu restituta saepius *Autonomia* legitur, sic & *Balanaeae* Urbi ab *Antiocho* VIII. *Grypo*, ut suas eam in partes raperet, aut ab ipso quin imo *Alexandro* II. *Zabina*, ut sibi propitiam servaret Urbem, *Autonomiae* jure donata est: cujus ideo rei gratia veteri Seleucidarum abrogata, nova deinceps Aera fuerit instituta.



DE

DE EPOCHIS, SEU AERIS

Ascalonitarum, Gazensium, Azotiorum, Gerasenorum, Capitoliensium, Rabbathmenorum, Diospolitarum, Gadarensium, Pellensium, Hippenorum, Abilenorum, Caesareensium, Nicopolitarum &c.

Articulus VI.

I. Animo propositum equidem erat Epocharum prorsus, quammaxima saltem parte, tam superiorum, quam modo sequentium tractatione supersedere, sparta nempe, quae à Duum Viris inter alios doctiss. Harduino, atque Norisio adornata jamdudum, ac numeris absoluta penissime omnibus videbatur; ne in alienam ego plane messem falcem immittere frustra voluisse, crambemque Lectori jam alioqui Κατα Φροντικῷ obtrudere recoctam viderer. Verumtamen quum propositum id mihi quoque fuerit, pretiumque operae factum de veterum Populorum, Urbiumque prorsus omnium, quoad ejus fieri per me posset, Annis, Periodis, Epochisque, quarum memoria litteris, Nummis, Lapidibusque mandata maneret, pertractare, ordo postulabat, atque rei pretium erat, ut de iis quoque utramque implerem paginam, ne quid videlicet desiderandum Lectori benevolo, liberalique relinquerem. Quid ad haec vero, quod ager hic utique segetibus dives est adeo, ut vel ex abundantis alienae messis manipulis spicas adhuc colligendi, inque manipulos conferendi alios, neque modicas, neque vacuas, spatium supererat? Ast quem, amabo, ignarum adeo fugit inveterata simultas illa, si fas est ita loqui, sive modestius ut loquar, perennis illa sententiarum utrinque discordia, quae Duumviros inter illos doctiss. ad obitum usque viguit, distractosque adhuc dum utrinque fecus, alterutrius, pro ingenio, praeconceptaque opinione, partis sectatores tenet? In quibus illud summopere displicet sane, quod nec absque scandalo fit, partium studio illorum plerosque ita deti-

detineri, ut quos uno alioqui veritatis amore duci, afficique oporteret, deceretque, eo praepostere ita nervos intendant totos ingenii, non ut pro sua pugnent, quod fas est utique, stentque, velut pro aris, focisque, parte, sed ut adversae, quod nefas est, quanto iniquiorem, Συνάγειν Φθόνον invidiam conflare, ϗ δίκην Επαγον dicamque impingere queant. Tentandum ei itaque supererat, qui partium studio animum prorsus exuisset, num ratio suppeteret aliqua utramque componendi partem; sin minus, partis utriusque rationes aequa ita lance perpendendae erant, ut omni prorsus affectu sepolito, ei caussa adjudicaretur, pro qua graviora rationum pondera starent. Quod probe ne ab me praestitum fuerit, Aπαθῆ, studioque partium libero prorsus Lectori judicandum relinquo, dum interea rem ipsam festinus adgredior.

II. Ad Syriae, ac Coelesyriae jam vero, Phoenices, ac Syro Phoenices alias Urbium Epochas antequam nostra se accingat oratio, de Urbium in Pentapoli Philistaeae, ac in Decapoli trans Jordanem Aeris agere juvat, ac interest, queis de hunc agendum ad locum dimisimus, quum de Urbium aliarum Judaeae, Palaestinae, & Galilaeae Epochis super. Volum. IV. Art. I. agebamus. Ut fidem itaque, quam ibi obligaveram, modo liberem, atque primo *Ascaloni*, ut oportet, facto heic loco, Urbs haec porrò una ex quinque olim Philistaeorum Regiis, Josue XIII. 3, & I. Reg. VI. 17, junctis Josepho Antiq. lib. 13. cap. 3, ac Scylace in Periplo, ubi primum Cepas ortas ferri, juxtaque morem ideo Alexandrinorum Cepas *Ascaloneas* significari refert Stephanus de Urb. p. 51. sq., quocum faciunt Plinius lib. 19. cap. 6, Hesychius in Lex., Strabo lib. 16. p. 522, Athenaeus lib. 2. cap. 27, & Columella de Re Rust. lib. 12. cap. 10, jungendique Salmasius, & Holstenius ibid. in Not., ita dicta a *Tantali* fratre, *Hymenaei* filio, *Ascalo* traditur Suidae in Lex. T. I. edit. Kust. p. 350, qui ea desumpsit ex Xanticho, & Nicolao Damasceno, quos etiam exscripsit Stephanus. Fuit & superstionis Ethnicae Urbs tenacissima, ut & vicina *Gaza*, prae reliquis Philistaeae Urbibus, ubi celebre olim *Astarthae*, Syris *Atergati*, Graecis *Derceto*, Poenis *Veneri Caelesti*, Latinis *Cybeli*, vulgo *Deae Syriae* dica-

dicatum Fanum memoratur Ovidio Metam. lib. 4. fab. 3, Diodoro lib. 2. cap. 2. p. 46, Luciano de Dea Syra p. 1070, Pausaniae in Atticis, sive lib. 1. cap. 14. p. 36, ubi ex versione Romuli Amasaei sic habet de Athenarum Templis loquens: *Non longe abest Caelestis Veneris delubrum, quam primi omnium Assyrii coluere; a quibus Paphii in Cypro acceptum Sacrorum ritum cum Phoenicibus, qui in Palaestina Ascalonem Urbem incolunt, Phoenices cum Cytheriis communicarunt. Athenis vero eam Religionem induxit Aegeus ... Quod aetate nostra extat Deae signum ex Pario lapide, Phidiae opus fuit.* Memoratu quoque dignum, quod a Judaeis in Thalmude Babylon. in Gemara *Avoda Zarah* fol. 11. 2. de famosioribus quinque in Orbe fanis traditur, inter quae istud Ascaloniticum, verbis hisce: *Fanum* id est *Bel in Babylone*, *Fanum Nebo in Cursi*, *Tirathae in Mapheg*, *Zeriphae in Ascalone*, *&* *Nishrae in Arabia*; queis de Fanis plura Lightfootus in Chrograph. praemissa S. Matthaeo cap. 14. Oper. T. II. p. 180, ac Relandus in Palaest. illust. lib. 3. edit. Norimb. p. 441. sqq.

III. Jam vero *Ascalonitae* ab Auctore Chronici Alex., sive Paschal. ad an. 1. Olymp. 169. p. 182. edit. Paris., Ven. p. 146. inde annos putare suos feruntur ab Consulatu idest *Antonii*, & *Albini*, qui secundum ipsius computum in U. C. annum 655, ante Christianam Aeram 99. incidit. Sed enim in Scriptore isto confusam, perturbatamque Consulum esse seriem, nullamque exinde certam erui posse temporis notam jamdiu notatum est Viris doctiss. Scaligero, DuCangio, Spanhemio, & Longuerue, quod & alibi ostensum dedimus, ideoque hoc loci emendandum in Consulum pari, in quo ipse quinquennio peccavit, ac pro geminis hisce post quinque positis annos, reponendos heic *C. Marium* II, & *Flavium Fimbriam* Coss. nemo non inde videt, quod annus 1. Olymp. 169, pro *Ascalonitarum* Epochae cardine recte alioqui positus, cum anno Christianam ante Aeram 104, U. C. 650. concurrit, quo *C. Marius* II, & *Fimbria* Coss. reapse fuere. Eusebius ast enim in Chron. ad an. 2. Olymp. 264, *Probi* Imp. 2. Oper. S. Hieron. T. VIII. saepe laudato p. 760. inde retro annos 380. *Ascalonitis* numerari diserte tradit. Juxta haec itaqne, prin-

cipio quidnam caussae fuerit, cur nova *Ascalonitis* Epocha arriserit, veteri antiquata, quae ad id usque temporis fuerat usurpata, haud facile convenit. Ea Johanni Harduino in Num. Popul. illust. p.29, de Num. Herod. p.345. sq., in Chron. Vet. Test. p.611, 618, 625. sq., & 635. sqq., & Hist. Aug. p. 702. sqq., 709, 720, 732. sqq., 742. sqq., 771. sqq., & 800. sqq. animo insedit opinio, ut *Ascaloniticae* Aerae originem fecisse putaret foedus cum Romanis percussum Autumno anni U.C. 650, ante Christianam Aeram 104; quo ipso anno *Ramathae* Urbis Epocham pariter incepisse supponit, atque hancce fuisse plane caussam opinatur, cur *Ascalon* Plinio lib. 5. cap. 13. Oppidum *Liberum* fuerit adpellatum. Veri ea vicissim similior visa Norisio de Epoch. Syrom. differt. 5. cap. 4. §. 1. p.530. sqq., ac Froelichio in Annal. Reg. Syr. p.102, & Num. Antiq. p.44, caussa est, quod *Ascalonitae*, prius Aegypti, postea Syriae Regibus obnoxii, ac perinde Judaeorum positi sub jugum, eo demum excusso, & ab *Alexandri Jannaei Hircani* filio Judaeorum Regis imperio se vindicantes, inque libertatem adserentes se se, eodem ipso tempore veteri qua *Lagidarum*, qua *Syromacedonum*, qua *Judaeorum* antiquata Aera, novam ab *Autonomia* recuperata ineundam duxerint. Ut ut hocce tamen de Controversiae capite sit, ea nunc longe potior de Epochae istiusmodi cardine quaestio expedienda nobis incumbit, quam Doctorum jamdiu vexatam jurgiis videmus. Scaliger enim vero Isag. Canon. lib. 3. p.301, & in Not. Euseb. p.2293, Hervvartus in Chronolog. cap.236, Spanhemius de Praest. Num. differt. 9. p.868, queis cum facere videtur DuCangius in Not. ad Chron. Pasch. loc. cit., hanc *Ascalonis* Epocham in annum U. C. 651, ante Christi natalem 103. conjicere non dubitarunt. Anno contra uno retardandam, annoque idest ante Christianam Aeram 102, U. C. 652. adstringendam, initio ducto ab Autumno superioris anni, duxit Harduinus in Antirrhet. p. 78, qui sententia postea mutata, ad superiorem annum *Ascalonis* Epocham retrahendam esse Oper. Select. locis antea dictis agnovit. Ast enim Usserius in Annal. Vet. Test. p.362, & post ipsum Norisius loc. cit., queis adstipulari non dubitant Relandus in Palaest. illust. lib. 3. p.444, atque

que Froelichius locis antea dictis, anno uno anticipandam hanc *Ascalonis* Aeram, annoque hoc est ante Christi natalem 104, U. C. 650. illigandam multis ostensum dedere.

IV. Et pro Epocha quidem ista facere Eusebium ostendere Quatuorviri hi adgressi, Imperii *Probi* annum 2. cum anno 1. Olymp. 264, U. C. 1030, Aerae Christianae 277. concurrisse contendunt, a quo retroducti *Ascalonitarum* anni 380. pro Aerae cardine annum plane indicant U.C. 650, Christi ante natalem 104. Ab Eusebio haud abludere Chronici Alex., sive Pasch. auctorem Viri doctiss. pergunt ostendere, a quo pessime etsi cum anno 1. Olymp. 169. *Antonii*, & *Albini* Consulatus compositus fuerit, ut supra indicavi, probe tamen *Ascalonitarum* Aerae caput ab eo deductum est Olymp. 169. anno 1, qui fuit utique ante Christi natalem 104, U.C. 650. Rem vero pro ipsis, veritateque conficiunt Nummi *Ascalone* cusi apud Tristanum p. 304, Patinum p. 35, 113, 151, & 181, Vaillantium in Num. Imp. p. 331, Spanhemium, Harduinum, Norisium, Relandum, Froelichium locis antea dictis. *Augusti* nempe duo cum notis anni ΓP. 103, & ΓΙP. 113, qui ducto initio ab U. C. anno 650, ante Christianam Aeram 104, in annum incidunt U. C. 752, ante Christi natalem 2. *Tiberii* unus obsignatus ΑΛP. anno 131, idest U.C. 780, Aerae Christianae 27, *Tiberii* 14. *Claudii* alter cum litteris ςNP. anni 156, qui fuit Christi 52, U. C. 805, *Claudii* 12. *Neronis* duo notati AOP. 171, & BOP. 172, qui ducti ab U. C. anno 650, Christi ante natalem 104. quadrant in Christi annos 67, & 68, U. C. 820, & 821, *Neronis* 13, & 14. *Vespasiani* duo item cum litteris EOP. anni 175, & BΠP. 182, qui fuere U. C. 824, & 831, Christi 71, & 78, *Vespasiani* 3, & 10, sive ultimus. *Titi* gemini etiam obsignati BΠP. anno 182, & ΔΠP. 184, hoc est U. C. 831, & 833, Christi 78, & 80. Queis ex *Neronis*, *Vespasiani*, ac *Titi* Nummis utique *Ascalonis* Aerae cardinem ab U. C. anno 650, ante Christi natalem 104. removeri nequire invicte constat. Namque *Nero* seipsummet interfecit die 10. Junii anno U. C. 821, Aerae Christianae 68; *Vespasiano* vero Imperii anno 10, Mense 1, die 7. defuncto successit *Titus* filius, Imperium die 24.

 Junii

Junii anno U.C. 832, Christi 79. auspicatus. Quò fit, ut neque prior *Ascalonitarum* annus 171. in Nummo *Neronis*, neque posterior 182. in *Vespasiani*, & *Titi* utroque Nummo post Autumnum anni U.C. 650, ante Christi natalem 104. inire potuerit, alioquin enim aut illum post *Neronis* obitum, aut istum ante *Titi* imperium percussum fuisse oporteret. Hanc ipsam *Ascalonis* Epocham alii firmant, in tutoque ponunt Nummi ibi scalpti; *Domitiani* quatuor cum notis ΔΠΡ. 184, ΘΠΡ. 189, qP. 190, & HqP. 198, qui ducto initio ab U.C. anno 650, ante Christianam Aeram 104. quadrant in Christi annos 80, 85, 86, & 94, U.C. 833, 838, 839, & 847, *Domitiani* 1. ab Autumno superioris anni initum, 5, 6, & 14. *Antonini Pii* quatuor alii signati litteris ΔΝC. anni 254, ΕΝC. 255, ςNC. 256, & BΞC. 262, qui fuere dubio procul anni U.C. 903, 904, 905, & 911, Aerae Christianae 150, 151, 152, & 158, *Antonini Pii* 13, 14, 15, & 21. *Septimii Severi* unus cum nota AT. anni 301, hoc est U.C. 950, Christi 197, *Severi* 5. *Elagabali* unus etiam obsignatus AKT. 321, alterque *Severi Alexandri* cum litteris BΛT. 332, qui fuere Aerae Christianae 217, & 228, U.C. 970, & 981, *Elagabali* 1, ac *Severi* 7: quo ex Nummo *Elagabali* fit evidens *Ascalonis* Epocham anticipari, retardarique ante, vel post annum U.C. 650, ante Christi natalem 104. nequire, quin Imperii *Elagabali* cardo suo deturbetur inique loco, ab anno idest U.C. 971, Aerae Christianae 218, ab Autumno superioris anni Christi 217, U.C. 970. incepto: atque de *Ascalonis* Epocha satis jam, atque super, ut Epochis locus aliis fiat.

V. Ex quinque Philistaeae Satrapiis insignis Regia Urbs altera *Gaza* fuit, Josue XIII. 3, & I. Reg. VI. 17, juncto Josepho Antiq. lib. 6. cap. 1, in Codice Hebraeo העזה *Hazza*, absque littera G. adpellata, unde Josue loc. indic. gentile העזתי *Hazzathaeus* prodiit. Inde *Gazam*, idest cum initiali G. ideo Persis adpellatam post inde fuisse, quod sic *Aerarium* ipsis vocatur, indeque nomen inditum Urbi, quod *Cambyses* Armis Aegyptum petens, illuc belli & opes, & pecuniam intulisset, auctor est Pomponius Mela lib. 1. cap. 11. Cui repugnat Christophorus Cellarius in Geogr. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 13.

cap.13. §.218. p.511, inde Urbi originem, ac nomen adhaesisse negans, quod ita olim vocata Gen. x. 19, Deuter.11. 23, Josue x. 41, & xi. 22. legatur. Verum Melae stat utique sententia Urbem *Gazam* addita initiali G. Persis *Gazam* primo fuisse adpellatam; laudatis enim locis, initiali absque littera G., in Hebraeo codice העזה *Hazza*, vel *Hazzah* dumtaxat habetur. Quam Lectionem confirmat Stephanus de Urb. p. 78. edit. Holsten., usque hodie Syris *Azam*, hoc est ab *Azone Herculis* filio nuncupatam adfirmans, ut ipsemet vidit Cellarius. Quamquam *Azam*, sive *Gazam* magis ab Hebraea voce עוז, qua *Munitio* significatur, unde Isaj. xxiii. 11. cum affixo מָעֻזֶּיהָ *Mauuzneah Munitiones ejus*, adpellatam putat Bochartus in Geogr. Sacr. Par.II. lib.2. cap.12. p.743. Urbem ab *Alexandro M.*, *Babamesi* Persae ereptam, fuisse dirutam indicat Josephus Antiq. lib.11. cap.18, tradunt vero Strabo lib.16. p.522, ac Plutarchus in Alex., quam suis exsurrexisse deinde e ruderibus oportet, utpote quae prius sub Lagidarum potestate, a *Ptolemaei* nempe *Lagi* aetate usque ad *Ptolemaeum Epiphanem*, Josepho teste Antiq. lib. 13. cap. 21, post *Epiphani* ab *Antiocho* III. *Magno* erepta, denuo eversa refertur Polybio in Excerpt. Vales. p.86; quae sub Hasmonaeis iterum bene munita Urbs, & habitata Syris aliquoties erepta legitur I. Macchab. xi. 61, & xiii. 43. sq. Ab *Alexandro Jannaeo* rursus expugnata, eversaque traditur Josepho Antiq. lib.13. cap. 21; qua tamen ex clade tertio surrexit, a *Gabinio* instaurata, eodem Josepho teste Antiq. lib.14. cap.10, qui *Herodi* redditam ab *Augusto* lib 15. cap.11. subjungit, cuique demum Antiq. lib.17. cap. 13. Urbs Ε'λλνίς adpellata legitur, nec *Archelao* Regi Judaeae amplius obnoxia. *Majiuma* postea denominata est, postremoque *Constantia*, queis de variis Urbis fatis, & adpellationibus conferendi Eusebius de vita Constantini lib.4. cap.28, Sozomenus lib.5. cap.3, & post ipsos Lightfootus in Chorog. S.Matthaeo praemissa cap.13. Oper.T.II. p.179, Gallandius in epist. ad Relandum, isteque Palaest. illust. lib.3. p.583. sqq., ubi & Palmerium refellit duplicem perperam *Gazam* fingentem, Palaestinae hanc, alteramque prope Aegyptum, Geographis omnibus hactenus ignoratam. Istius Urbis jam

jam vero Incolae ſub Perſis, Graecis, Aegyptiis, Syris, Judaeis, ac Romanis Ethnicae ſuperſtitioni addictiſſimi manſere uſque ad *Juliani* aetatem, velut indicio fuit tam odium pluſquam vatinianum in S. Hilarionem, quo de in ejuſdem vita S. Hieronymus, quam nefaria, qua ſe toti *Jovi* Ἀλδημίῳ, ſive Ἀλδῷ, ſive *Marnae*, ſive *Cretenſi*, ſive *Cretageni* devoverant, Religio, cui celebre ibi Templum olim dedicatum diu ſubſtitit, quo de Stephanus de Urb. p.78, Etymologus, Marinus in vita Procli cap.19, Lampridius in Severo p.119, S. Epiphanius in Anchor. cap.108, S. Hieronymus in Iſaj. cap. 17, epiſt. 7. ad Laetam, & Marcus Diaconus in vita S. Porphyrii cap.9. in Actis SS. Bolland. Febr. T.III. p.655, ubi Seculo IV. Eccleſiae octo *Gazae* Diis fana dicata extitiſſe refert, a *Theodoſio* poſtea qua ſolo aequata, qua Chriſtianas in Eccleſias converſa; videndique Salmaſius ad Hiſt. Aug. p.202, Holſtenius in Not. ad Stephanum loc. cit., ac Relandus Palaeſt. illuſt. p.587. ſq. Quò faciunt etiam Nummi *Domitiano*, & *Hadriano Gazae* cuſi cum epigraphe Μαρνα apud Triſtanum T.II. p. 248. ſqq., Holſtenium loc. cit., Spanhemium p.669, Harduinum p. 62. ſq., Noriſium loc. cit., & Longuerue de Var. Epoch. p. 148. ſq.; ubi Seldenum de Diis Syris Syntag. 2. cap.2, Bochartum in Geogr. Sac. Par. I. lib. 1. cap. 15. p. 60, & lib. 2. cap. 12, ac Par. II. lib. 1. cap. 15. p.422, & lib. 2. cap. 12. p. 743, atque ipſos pone ſequutum Noriſium de Epoch. Syrom. diſſert. 5. cap. 3. p.518. ſq. putantes *Marna* ſcribendum eſſe מַרְנַשׁ *Marnas*, ſive מַרְנַשָׁא *Marnaſcha*, ſonareque apud Syros idem, àc apud Latinos *Dominus Hominum*, errare ipſos oſtendere nititur, ac *Marna* litteram S. a Latinis additam, in nominandi caſu apud Syros haud adjungi ſolere ex Marco, & Nummis ſuadere conatur, ideoque *Marna* Syris *Deus noſter* ſignificari concludit. Aſt enim hoc loci hallucinatum Virum doctiſſ. Longuerue ibidem in Not. advertit Maturinus Veiſſerus La Croze, in Bibliis Syriacis vocem *Dominus noſter*, non utique *Marna*, bene vero *Maran* ſcribi recte admonens: ſed de his obiter.

VI. Atqui ad *Gazaeas*, queis de nobis agere propoſitum eſt, operiſque praeſtituti exigit pretium, Epochas gradum facere praeſtat. *Gazae* itaque praeter *Aegyptiacam* ſub Ptolemaeis,

maeis, *Syromacedonicam* sub Antiochis, *Judaicam* sub Hasmonaeis, ac *Pompejanam* sub Romanis, queis de suo abunde, opinor, dictum est loco, alteram usu deinceps venisse Aeram primus omnium detexit Vir doctiss. Nicolaus Toinardus, referente, eumque laudante viro aeque eruditiss. Longuerue de Var. Epoch. cap.5, quod est de Mens., & Epoch. *Gazensium* §. 4. p. 156. sqq. Novam hancce nempe, *Hadrianaeam* inde dictam, *Gazae* inductam sub *Hadriano* Epocham fuisse tergeminis ex Nummis *Gazae Hadriano* percussis argumentatus Vir doctiss. est, quorum duo in Cimelio Regis Gall. prostant, in Museo Josephi Magnavaccae Bonon. alter. Nempe signati Nummi conspiciuntur litteris Γ. *Hadriani* ΕΠΙ., & *Gazienfinm* ΒqΡ. unus, Δ. *Hadriani* ΕΠΙ., & *Gazensium* ΓqΡ. alter, & Ε. *Hadriani* ΕΠΙ., ac *Gazensium* ΔqΡ. tertius, quibus notis designatos fuisse *Hadrianaei* imperii annos 3, 4 & 5, *Gazensis* vero Epochae veteris annos 192, 193, & 194. cum Toinardo contendit Longuerue contra Norisium de Epoch. Syrom. dissert.5. cap.3. p.421. sqq., qui priores litteras Γ. Δ. Ε. referendas potius ad Monetarii notas, a quo singulis eaedem annis variari solerent, existimat. Novam hanc autem *Hadrianeam* Epocham ideo *Gazensium* anno 190, U. C. 882, Aerae Christianae 129, *Hadrianaei* imperii 13. institutam Duumviri illi Doctiss. existimant, non quod tum Gazam advenisset *Hadrianus*, uti Norisio visum, quem pone sequitur Corsinius in Fastis Attic. T.IV. ad Olymp. 229. an.3. p.175. sq., ubi & vocem ΕΠΙ. numeralibus interjectam notis, Norisio ignoratam, sic interpretatur, ut eadem integra Επιδημια, idest *Hadriani Adventus* exprimatur; quia tum adhuc temporis Athenis demoratus *Hadrianus*, ibique Sacra *Eleusinia* celebrasse Mense *Boedromione*, idest Septembri, circa *Aequinoctium* Autumnale, Templa, & alia dedicasse Aedificia ex Dione lib. 69. p. 792. edit. Francof. ostenditur Longuerue p. 159. sqq.; sed quod tum primo Palaestina a Syria fuerit separata, specialique regenda Praesidi demandata. Quod fuse p.162. sqq. prosequitur Longuerue, probareque satagit contra Norisium, qui pridem jam Palaestinam a peculiari administratam Praeside, (cujusmodi Praesides utique *Extraordinarios* fuisse pugnat Longue-

guerue), & a Syriae ProPraetoris Jurisdictione distractam fuisse putat. Quo perinde loci observat Longuerue Aerae Christianae anno 131, U.C. 884, *Hadriani* 15. ab *Hadriano* Antiochiam appulso distractam a Syria fuisse Phoenicem, Syriam duas in Provincias distinctam, atque primam inde *Coelesyriam* dictam, cujusce Metropolis *Antiochia* manserit; alteram inde *Syro-Phoenicem* adpellatam, cujusce Metropolis *Tyrus* deinceps extiterit. Quamquàm eo ipso, quo a Syria Palaestina separata fuerat, anno peculiari beneficio aliquo ab *Hadriano Gazenses* adfectos fuisse oportet, utpote qui e Palaestinis soli *Hadriano*, nova cum hac Epocha, Nummos cudendos curaverint, ab eademque in Nummis obsignanda deinceps, *Hadriano* defuncto, & ipsi desierint. Atque ad *Pompejanam* utique rediisse *Gazenses* Aeram liquido singularis ostendit *Commodo* scalptus *Gazae* Nummus numerali cum Nota MC. anni 240. apud Haymium Thes. Britan. T.II. edit. Vindob. 1763. p.296. sq., qui ab anno U.C. 933, Christi 180, *Commodi* 1. retroductus in U.C. annum 692, Christi ante natalem 62, quo *Pompejanam* ab anno Aeram cepisse superius ostendimus. Ostendit & insignis alter *Gazae* procusus *Septimio Severo* Nummus apud eumdem Haymium p.310. cum Nota HΞC. anni 268, qui ductus ab U.C. anno 692, ante Christianam Aeram 62. in Christi annum 207, U.C. 960, *Severi* 15. incurrit.

VII. E quinque, Philistaeorum Satrapiis reliquae tres Regiae Urbes *Accaron*, *Geth*, & *Azotus* memoratae leguntur Josue XIII.3, ac I. Reg.VI. 17, junctis Josepho Antiq.lib.6. cap.1, & S. Hieronymo in Amosi VI. 2, & Abdiae I. 19, ac cum ipso Eusebio in Loc. Hebr. Et *Accaron* quidem, Hebraeis עֶקְרוֹן *Ecron*, in Philistaeae confinio, paullulum reductior a Mari ad Septentrionem posita, famosum olim Idolum habuit, *Baal-Sebub* בעל זבוב, de quo IV. Reg. I. 2.sqq., nempe conflatum ex בעל *Bal*, sive *Bel*, Isaj.XLVI.1, unde simplici voce *Belus*, sive *Belenus*, idem est, ac *Jupiter* Syris, ut notatum est Assemano Bibl. Orient. T.I. p.327, vel *Apollo*, ut olim Aquilejensibus in Inscript. apud Gruterum, Julium Capitol. in Maximino, & Herodianum lib.8, aut *Sol* Assyriis, teste Abarbanele Comment. in Hier.XLIV.17, ac Phoenicibus, Servio

vio teste in Aen.1; atque pro *Sole*, Laconicis *Bela*, & Creticis Ἀβέλιος, seu Ἥλιος, *Abelius*, sive *Elius* dictus fertur Hesychio; pro *Saturno* item Syris, atque Phoenicibus *El*, & *Bel*, & *Bolathen* apud Photium Cod.242; deinde voce composita *Baalim* II.Paralip.XXXIII. 3, sive *Beel Samen*, idest *Deus Caeli* Phoenicibus, *Sol* hoc est, conflatus dicitur Philoni Byblio apud Eusebium Praep. Evang. lib.1. cap. 10, & S. Augustino Locut. lib.7. cap.1; & *Belisama*, idest *Caelorum Domina*, sive מלכת השמים *Regina Caelorum* toties Hieremiae vocitata, *Luna* hoc est, seu *Urania*, Gallis *Minerva* in veteri Saxo apud Conseranos in Novempopulania, Graecis Ἀρτέμιδος, Latinis *Diana* apud Plutarchum de Virtut. Mulier., & Polyenum Stratag. lib.8; ubi de *Camma*. Inde *Baal-Berith* etiam conflatum Idolum, de quo Jud.VIII. 33, ac IX, 2, 4, idest *Deus Foederis* apud Sichimitas, sive ex *Venere*, & *Adonide*, sive ex *Luna*, & *Sole* compositum, Beryti eximie cultum, legitur apud Sanchoniathonem, ac Nonnum Dionysiac. lib.41. sqq., videndique Bochartus in Geogr. Sacr.Par.I.lib.1. cap.42. p 663, & Par.II. lib.2. cap. 17. p.775, Burmannus in Annot. ad Jud.VIII. 33, Goodwinus in Antiq. Sacr.Cod.lib.4. cap.3. p.93, & Carpzovius in Annot. ad hunc loc. p.499, ubi observat *Baal-Berith* Sichimitarum *Deo Foederis* respondisse apud Graecos *Jovem Foederalem*, apud Romanos *Jovem Lapidem*, per quem Juramenta fieri solebant, queis de Apulejus de Daemonio Socratis, ac Gyraldus in Hist. Deor. Syntag.2, Juriaeus in Hist. Crit. Dogm., & Cult. &c. Tract.4.cap.2. p.620. observans *Bal* eumdem esse ac *Elium* Sanchoniathonis apud Eusebium Praepar. Evang. lib.1. cap.7, *Berith* vero non aliam, quam *Beroen* Nonni in Dionys. lib.41. sqq., Idolum idest ex *Adonide*, & *Venere*, sive ex *Sole*, & *Luna* conflatum. Inde quoque *Baal-Gad* Idolum, quod cum altero *Mene* Isajae memoratur cap.65. v.11, queis de haud levis inter Eruditos disputatio intercedit. *Gad* גד enim, atque *Meni* מני promiscuo nomine *Stellas* generatim, sive Caelorum Exercitum, de quo Hierem.VII.18, & VIII.2. tam heic Isaj.LXV.11, quam Genes.XXX.11. significari, duce Abenezra in Isaj. locum hunc, censent Calvinus, Piscator, Junius, & Tremelius, Glassius,

Wasmuthus &c. apud Polum in Synopsi Crit. T.III. edit. Ultraj. p.636, ad quos accedunt Hillerus Par.II. Hierophyt. p.50, Gussetius in Lex., Kerberus de Particul. Hebr. p.28, & Clodius in Lex. Hebr. Selecto p.102. Sed Interpretatione hac, veluti nimis vaga, sacroque minus congrua Textui rejecta, tam *Gad*, quam *Meni*, pro quo ab Aquila apud S. Hieronymum in Quaest. Hebr. ad Gen.xxx.11, Εὔζωνος, idest *Accinctus*, seu *Expeditus* transfertur, intelligi *Solem* debere putat Fullerus in Miscell. Sacr. lib.5. cap.17. Crit. Sacr. T.VII. edit. Francof. p.275.sq. Per *Gad* alii *Jovem* accipiendum ducunt, veluti post Rabbinos Abenezrae memoratos, ac R. Kimchium apud Glassium in Grammat., Arias Mont., Pagninus, Munsterus &c.; alii *Martem*, ut Forerius, Malvenda &c.; alii *Solem*, ut Vitringa in Comment.ad Isaj. loc. cit.; per *Meni* vero *Deum* singulari hoc nomine dictum intelligi putant Grotius, & Polus loc. indic., quem in Armenia, & Phrygia speciali cultum honore ex Strabone, & Jamblico in vita Pytag. colligunt; Armeniam insuper ab *Ar*, sive ab *Aram*, quod est *Mons*, ac *Meni*, sive מִנִּי *Minni*, de quo Hierem.LI.27, quem Virum insignem aliquem fuisse, in Armenia Regem, atque post obitum inter Deos relatum putant, conflatam arguunt; alii per *Meni* accipiendum *Solem* volunt, sic Huetius in Differt. ad Origenis Comment.in Johan., unde per *Gad* vicissim *Lunam*, sive *Fortunam* intelligi jubet; per *Meni* ex adverso *Lunam* venire pugnat contra Huetium Vitringa ad Isaj. loc. cit.

VIII. Verum receptior est Vulgati Interpretis sententia tam *Gad*, quam *Meni* vocabulo etsi duplici, unam eamdemque, (quod frequens S. Scripturae est plurimo eamdem rem exprimere nomine), venire *Lunam*, sive *Fortunam* pro bono auspicio, secundoque omine Ethnicis habitam. Ita namque Isajae locum laudatum reddit Syrus Interpres, ac LXXviralis Graeca Versio eodem loci Ἐν Τύχῃ *Cum Bona Fortuna* habet. Ita & Chaldaeus Paraphrastes Isaj. loc. cit., Jonathan in Targo Hierosolymit., ac Syrus Interpres Gen.xxx.11. legunt *Fortuna bona*; Onkelos in Targo Chaldaico, ac Samaritanus Interpres vertunt *Felicitas*: ubi Arabica Versio retinet

net *Gad*. Ita etiam per *Gad*, ac *Meni* Gen., & Isaj. loc. indicato *Fortunam bonam* interpretati sunt cum Jonatha R. Salomon, aliique ibid., unde *Bonae Fortunae* apud Chaldaeos, Arabes, Idumaeos, Aegyptios, tam lectos sterni, quam mensas instrui consuevisse observant Judaei in *Nedar* fol. 56. 1, in *Sanhedrin* fol. 20. 1, & fol. 67. 2, ac in *Bereschith Rabba* fol. 65, & 71. apud Castellum in Lex. Heptaglot. T. I. p. 481; ubi observat ita & in Gemara tit. *Sanhedrin* cap. 11. fol. 56. haberi גָּדָא עָלָה צייך *Depicta erat in ea Fortuna* Esther VIII. 13. in Venet. Ita pro *Fortuna* locum utrumque Genes., & Isaj., tam nempe *Gad*, quam *Meni* accipiunt S. Hieronymus, ac vulgo Interpretes, Vatablus, Castalio, Grotius, Drusius, Menochius, Tirinus &c., Buxtorfius in Lex. Thalmud, Polus in Synop. Crit. p. 635 sq., Tsepregius in dissert. 1. de Authent. Ktibb p. 70, Bochartus in Geog. Sacr. Par. II. lib. 1. cap. 33. p. 584, ac David Millius in Dissert. Select. ad Varia SS. Litter., & Antiq. Orient. Capita dissert. 4, quo loci §. 5. sqq. p. 86. sqq. post Judaeorum Rabbinos, quos ex Arabismo *Gad*, de quo Gen. XXX. 11, aut כוכב צדק *Stellam Jovis*, aut frequentius מזל טוב, idest Ἀγαθὴν Τύχην *Bonam Fortunam* interpretatos fuisse refert Abenezra apud Fullerum loc. cit., observat *Gad* voce Arabibus *Fortunam bonam* designari, testibus Aljauharo, & Tograjo Poëta edito a Pocockio v. 37. Inde quoque veram *Atergatis* expromi originationem adnotat, ut eo nempe, non ut vulgo fertur, e nomine Hebraeo אדיר, & דג *Adardagis*, quasi Dea fuerit dimidia parte *Piscis*, ut a Luciano refertur, sed e Chaldaico אתור, & גד *Assyria Dea* derivetur, eaque fuerit ipsa *Luna*, ut Lucianus ipse quoque docet, observatque Scaliger in Fragm. Graec. Emend. Temp. adnexis p. 27. Atque ita *Atergatim* sane olim simpliciter *Gatim* adpellasse legitur Antipater Tarsensis apud Athenaeum lib. 8. cap. 18; tam vero *Gatis*, sive *Gad*, quam *Atergatis* nomine *Lunam* designari certum est; atque ad *Lunam* alias insuper referri Dearum adpellationes constat, ut *Junonis* ex Luciano; ut *Veneris* ex Nummis apud Vaillantium in Num. Imp. p. 97, & Harduinum in Num. Popul. illust. p. 29, quae in Nummis depingi solet, qualis a Luciano p. 1070. Dea *Syria* descripta legitur, altera nempe manu sceptrum te-

Ddd 2 nens,

nens, colum altera, in capiteque radios, turrim, ac cestum gestans, quaeque Ciceroni de Nat. Deor. lib. 3. *Syria, Tyroque concepta Astarte vocata* dicitur; ut *Dianae* ex Virgilio Aen. 1. v. 500; ut *Fortunae* in Inscriptionibus apud Gruterum p. 1072, & Reinesium p. 380, insigni Nummo apud Seguinum p. 4, ubi in parte antica *Fortuna* cum insignibus Cornucopiae, & gubernaculi conspicitur, in postica Inscriptio legitur *Feliciter*. Quae *Fortuna* sane Urbium plurimarum ubique Genius fuisse, Tutelareque Numen, ut *Adramae* in Syria, *Bostrae* in Arabia, *Gerasae* in Decapoli, *Tarsi* in Cilicia, *Chalcedonis* in Syria, *Tripolis* in Phoenice, *Ephesi*, *Smyrnae*, *Magnetiae*, in Ponto *Amasiae*, in Seleucide *Aradi*, in Phrygia *Cibyris*, in Lycia *Limyrae*, in Moesia *Marcianopolis*, in Mysia *Miletopolis*, *Naxi* in Cycladibus, *Nicaeae* in Bithynia, *Prusae* in Mysia, *Rhodi*, *Temeni* in Lydia, *Trianopolis* in Thracia, *Hyrcaniae* in Lydia &c., ex Nummis ibidem cum epigraphe Ἀγαθὴ Τύχη *Bona Fortuna* scalptis adparet, queis de Harduinus p. 79.

IX. Altera quoque מְנִי *Meni* voce eamdem ipsam dessignari *Fortunam*, sive *Lunam* receptissima est Interpretum opinio Latinam Vulgatam, LXXviralem Graecam Versionem, Chaldaicum Paraphrastem, Syrum Interpretem, Samaritanum, Arabemque Translatorem ad loca cit. Gen. XXX. 11, & Isaj. LXV. 11. presso sequutorum vestigio. Quam inde opinionem in tuto collocare pergit Millius cit. Dissert. §. 16. sqq. p. 106. sqq., quod *Luna* Arabibus olim *Menath* nuncupata legitur apud Mohammedum in Alcorano Sura 53, vers. 19. sq., ubi Meckae Urbis tres indicantur Deae, *Allata*, *Aloza*, & *Menata*, ut ad Suram 4. v. 115. Moslemi observant Interpretes. Sic & Turcis *Luna* dicta legitur *Ma*, Tartaris *Mine* apud Busbequium in Epist. Legat. Turcicae p. 136, Virginiensibus in America *Manith* apud Relandum in Dissert. Miscell. dissert. 12. de Linguis Americanis p. 212. Sic & olim Aegyptiis *Luna* fortassis indicata fuerat *Menuth* nomine, Dea nempe, unde adpellatio Urbi in Aegypto adhaesit, qua de Stephanus de Urb. p. 204. sq.; ex quo corrigendus Berkelio, & Holstenio ibid. in Not. videtur S. Epiphanius in Anchorato cap. 108, eam *Eu-*

menu-

menuthi adpellans *Canobi* uxorem, qui adverſ. Haer. lib. 3. p. 1093. a Mulieribus *Menuthis* fanum frequentari conſueviſſe commemorat. Quae poſtea *Luna* diverſos ob effectus diverſa apud Aegyptios nomina ſortita eſt, queis de fuſe, docteque Jablonskius in Pantheo Aegypt. Par. II. lib. 3. cap. 1. p. 3. ſqq., & cap. 3. p. 55. ſqq. Sic & pridem apud Graecos *Mene* adpellata *Luna*, quae poſtea Σελήνη, legitur apud Diodorum lib. 3. cap. 5. p. 91. Quin & poſteriori aetate Μήνη denominata Graecis DuumPoetis legitur alteri a Gronovio Manethonis fragmentis adjecto, apud Stobaeum alteri, ab inluſtri Spanhemio indicatis de Praeſt. Num. diſſert. 10. p. 130; unde profluxit Νεομηνία *Nova Luna*, Μανις, olim *Feſtum* ſtato *Lunae* die peragendum, undeque *Mania*, inſania ideſt, qua Feſta peragi apud Ethnicos ſolebant; atque inde *Menades* dictae Mulieres, quarum officio Deorum ſimulacra diebus feſtis circumferre cedebat. Quin etiam Romanis Dea *Mena* aliquando culta fertur apud S. Auguſtinum de Civit. lib. 7. cap. 2; eadem nempe, quae Argivis etiam Γενετη Μανη *Geneta Mane*, ideſt *Luna Genitrix* memoratur Plutarcho in Quaeſt. Rom. p. 277. Eodem quoque nomine Μήνη Samiis adpellata *Luna* adparet in Nummo apud Patinum p. 58, & Harduinum p. 148, a quo ſuis praeterea apte locis Urbes indicari haud praetermittuntur, ubi *Luna* tanquam Urbis Genius, Tutelareque Numen ſpeciali in honore haberetur, ejuſque in Nummis titulus exhiberi ſoleret, cujuſmodi fuerat Tiberias in Galilaea, Byzantium, Cydon, Samos, Icaria, Teanum, Smyrna, Ancyra Galatiae, Antiochia Piſidiae, Gabe, Juliopolis, Carrhes, Magneſia ad Maeandrum, Nyſaea Cariae, Saettina in Lydia, Sibildis in Phrygia &c., ad Graecos derivato *Lunae* cultu nempe ab Aegyptiis, Syris, Arabibus, Sabiis &c., apud quos maximo poſt *Solem* in honore fuiſſe *Lunam* prolixe alibi planum fecimus. Eadem Hebraea voce מְנִי *Meni*, *Fortunam*, ſive *Lunam* denotari non modo, ſed etiam *Daemonem*, ſive *Genium*, qui Graecis Μῆν dicitur, unde ex *Meni* detorto facti fuerint Μῆνες, Aeolice Μᾶνες, apud Latinos *Manes*, perſuaſum habuit Huetius in Epiſt. ad Bochartum in Collect. Tilladeti edit. Florent. T. II. p. 199 ſqq. Hinc Templum *Meni* ſacrum, quo de Strabo lib. 12.

p. 557.

p. 557, *Fortunae*, seu *Lunae*, *Genio*, sive *Daemoni* sacrum fuisse, atque *Soli* dicatum quin etiam putat, *Fortunae* siquidem, atque *Genii* sortes apud Astrologos in *Lunae*, atque *Solis* potestatem repositae fuerint. Unde a הר־מני, Monte *Meni*, idest *Soli* sacro Armeniae nomen derivatum autumat, quod Gens *Solis* cultui impense dedita esset; indeque a תוה־מֶני *Taub-Meni*, *Menis* etiam Montem denotante, *Tauromenii* quoque dimanasse nomen, quod ibi *Solis* cultus veteri positus in religione fuisset. Quo loci demum observare neque poenitebit veteres apud Italos quoque particulam *Ma* Graeco Αρης praepositam, unde factus *Mars* est, sive *Mamers*, fundum habuisse in veteri lingua Phrygia, sive Trojana, in eaque *Divinitatis* indicium fuisse, veluti multis ostendere nititur doctiss. Passerus Opusc. Scientif. T. XXVII. p. 217. sq. Nempe Phrygiis *Jovem*, non Ζεύν, uti Graecis, sed Μαζεύν, Hesychio teste, dictum observat. In Caria, Phrygiae Regione finitima, Stephano de Urb. referente, *Rhea* vulgo *Marhea* adpellari solebat. Ibidem *Bacchus* nuncupatus etiam *Masarsi*, ex *Ma* scilicet, & שָׂרָה *Sarah*, quod est *Regnare*, legitur. In Caramania, velut auctor est Strabo, *Bellona* dicta *Ma* est: unde Italis olim Αρης denominatus *Mars* per Συναλοιφὴν, quasi *Maares*, aut per Επένθεσιν *Mamers*, ita Oscis, Sabinis, ac Volscis dictus, testibus Varrone de Ling. Lat. lib. 4, & Festo, qui posterior inde nomen obtinuisse *Mamertinos* adjungit. Quod ad Urbem demum attinet eodem *Baal-Gad*, aliàs etiam *Baal-Hamon* nomine dictam, dicemus sequenti Articulo, in quo de *Heliopoli* sermo fiet.

X. Ut quae vero de Idolis e *Baal* conflatis dicere cepi, paucis, quoad ejus fieri poterit, absolvam, ita ex *Beel* derivatum est quoque Idolum *Phegor*, sive *Pehor*, de quo Num. xxv. 2, & Psal. cov. 28; quod בַּעַל פְּעוֹר *Baal-Pehor* Idolum Maimonidi in *More Nevochim* מורה נבוכים Par. III. cap. 45. vers. Buxtorf. p. 477, R. Jarchi Comm. in Num. xxv. 2. sq., Origeni Homil. in Num. loc. cit., & S. Hieronymo in Ose. iv. 14, & ix. 10, est *Priapus*, Idolum *Turpidinis* idest, cujus erant cubitales Φαλλος, Τριφαλλος, Ιτύφαλλος, *Phallus*, & *Triphallus*, & *Ityphallus*; ita quoque S. Isidoro Orig. lib. 8. cap. 11,

cap.11, Goodvino Antiq. Sacr. Cod. lib.4. cap.3. p.93., ejusque Annotatori Carpzovio, Ovvenum in Theologum lib. 5. cap.4. §.4, & Seldenum de Diis Syr. Syntag. 1. cap. 5. id inficiantes refellenti, Juriaeo etiam Hist. Dogm., & Cult. Par.IV. Tract. I. cap.2; *Jupiter Tonans* Scaligero, quem refellit Vossius de Idolol. lib. 2. cap.7. p. 175; *Saturnus* Theodoreto in Psal.105. 28, Masio in Josue, & Hottingero in Hist. Orient. cap.6. sq.; *Pluto* Seldeno de Diis Syris Syntag. 1. cap. 1, & Buddeo Hist. Eccl. Vet. Test. Par. II. p.617; *Sol* Vossio de Orig., & progres. Idol. lib. 2. cap. 7, ac Dionysio Vossio in Not. ad Maimonidem de Cultu Stellar. p.38; ad quos adcessit Hebenstreitus in dissert. de Βακχοις ad illust. locum Ezech. VIII. 17. in Thesauro novo Theolog. T.I. §.15. p.967. sq., a Veteribus cum *Sole* eosdem passim factos *Jovem*, *Martem*, *Belum*, *Saturnum*, *Panem*, *Herculem* &c. observans; *Adonidis*, seu *Osiridis* Idolum Calmetio in dissert. Numer. libro praefixa, ac Dissert. T. I. edit. Ven. p.76. sqq., ubi & de *Baal-Meon*, de quo Num. XXXII. 38, Josue XIII. 17, & Ezech. XXV. 9, Idolo *Solis* idest, unde Urbi nomen inditum, sicut ex *Baal-Dibon* Urbs altera cognomen accepit; alia ex *Baal-Sephon*, quo de Exod. XIV. 2, idest *Anubis* Idolo cum *Canis* effigie, vel *Adonidis*, Aegyptiis *Thamuz*, sive *Osiridis*, haud diversi a *Baal-Pehor*, sive *Priapo*, quorum eadem plane erant Φαλληφόρια, & Θυφαλληφόρια, & Παμύλια, nefandissimae nempe obscenitatis refertissima Mysteria, queis de S. Gregorius Nazian. Orat. 39, S. Hieronymus in Ezech. VIII. 14, Lucianus de Dea Syra p.414, Plutarchus de Isid., & Osir. p.355, Maimonides in *More Nevochim* Par.III. cap.29. edit.Buxtorf. p.426, David de Pomis apud Bochartum in Geogr. Sacr. Par.II. lib.1. cap.18. p.445, R. Joseph in *Avoda Zara* ibid., Kircherus in Oedip. Aegypt. T.I. Syntag. 3. cap.4, Braunius in Select. Sacr. p. 369, ac Deylingius Observat. Sacr. Par.III. Differt.1. de Fletu super Thamuz p. 531. sqq. Ex adverso *Baal-Sephon* Idolum *Solis* visum est Basnagio in Antiq. Jud. T. I; *Jovis Speculatoris* autumant Goodvvinus in Antiq. Sacr. Cod. loc.cit. post Fagium ad loc. cit. Exodi, ipsiusque Annotator Carpzovius p.496. sq., cui par erat apud Romanos *Jupiter Stator*,

quod

quod fugientes sisteret, Ζεὺς Στήσιος, de quo Rosinus Antiq. Rom. lib.2. cap. 5, ibique Dempsterus: quod Idolum a Magis Aegyptiis ad Caelestium Corporum posituras fabricatum, juxtaque Sinum Arabicum fuisse positum, observandi, retinendique Israelitas gratia, ex Judaeorum sententia R. Abenezrae, & R. Raschi ad Exod. xii. 12. refert Seldenus de Diis Syr. Syntag. 1. cap. 3. p. 123. Inde vero nomen Vico *Beel-Sephon* inditum in Deserto juxta Mare Rubrum, in extremis Aegypti finibus, ejus e regione facta fuit tertia Mansio filiorum Israel Exod. xiv. 2. Ubi illud obiter observandum ab Eusebio de Vico isto loquente Διὰ τῦ Κλύσματος addi verba, S. Hieronymo in Onom. neglecta, quae sane negligenda visa sunt etiam Bonfrerio, & Martianaeo. Ast enim Clerico, Relando, & Wesselingio Probab. cap. 16. p. 131. sq. haud praetermittenda rectius ostensa sunt. His enim putant indicari locum, seu Vicum in littore Aegyptiaco Sinus Arabici, per quem Israelitae profecti sunt. *Clysma* namque, non Aquarum inundatio, sive Maris Rubri aestuarium eo loci Eusebio significatur, sed Urbs Ptolemaeo, in Antonini Itinerario, S. Athanasio, Philostorgio, Hierocli, Cosmae Indopleustae, aliisque memorata. Eodem ex *Baal* prodiit & Idolum כמוש *Chemosch*, vulgo *Chamos*, de quo Hierem. xlviii. 7, in *Nabo* Urbe Galaaditidis celebre, ac Moabitis cultum. Illud idem cum *Baal Pebore* habuit S. Hieronymus in Isaj. xv. 2, cui consentiunt Goodvvinus loc. cit., ac Vossius de Idolol. lib. 2. cap. 8, illud ideo a *Baccho*, voce derivata a Graeco Κῶμος, quod est *Crapula*, indistinctum putantes; a *Plutone* haud diversum alii putant, ab Hebraeo כמס *Chamas*, quod est *Occultare*, derivato verbo; idem cum *Sole* fuisse *Chamum*, atque a *Luna* indistinctum *Nebo* Idolum verius persuasum habuere Seldenus de Diis Syr. Syntag. 1. cap. 5, & Syntag. 2. cap. 12, ubi videndus Beyerus in Addit., Vitringa in Isaj. xlvi. 1, Carpzovius ad Goodvvini loc. cit. p. 496, Calmetius in Dissert. de Numinibus Moabit. T. I. edit. Ven. p. 76. sqq., ubi eumdem cum *Chamo* fuisse censet tam *Homanum*, quem apud Persas, & Cappadoces in honore habitum auctor est Strabo lib. 15, quam *Apollinem Chomeum*, quem Romae in Palatino Templo cultum refert Ammianus lib. 23; neque dissentit Vossius de Idol. lib. 2. cap. 2. XI. Prae-

XI. Praeter haec duo *Phegor*, & *Chamos*, duo alia ex *Baal* pariter derivata Idola prae aliis famosiora in SS. Litteris habentur, idest *Baal-Moloch*, & *Beel-Sebub*, queis de obiter dicere praestat. Atque *Moloch*, & *Baal* pro eodem promiscue usurpari conferenti loca SS. Litterarum, ubi horum fit mentio, Levit. XVIII. 21, & XX. 2, III. Reg. XI. 7, & IV. Reg. XXI. 3. sq., & XXIII. 10, I. Paralip. XX. 2, Hierem. XIX. 5. sq., XXXII. 35, & XLIX. 1. sqq., Amosi 1. 14. sq., & V. 26, Sophon. 1. 4. sq., & Actor. Apost. VII. 43, facile, liquidoque patebit. Quale porro fuerit Idolum hoc, Ammonitis quammaxime cultum, haud convenit, nec una Interpretum est sententia. Atque principio sane Idolum istud, quod diversis juxta diversas Linguarum dialectos efferri solet, מֹלֶךְ *Molech* Levit. XVIII. 21, מַלְכֵּן *Malchen* II. Reg. XII. 31, מִלְכֹּם *Milchom* III. Reg. XI. 5. 7, Syro, & Arabi מַלְכּוּם *Melcom* ibid., מַלְכָּם *Malcham* Sophon. 1. 5, Μολόχ S. Lucae Act. VII. 43, Rabbinis Judaeorum apud R. Abenezram in Levit. XVIII. 21, R. Levi Ben Gerson ibid., R. Schimeonem Jalkut in Hierem. cap. VII. fol. 97. col. 1, R. Davidem Kimckium in II, hoc est IV. Reg. cap. XXIII. 10. sq., R. Mosem Mikotzum, Maimonidem in More Nevochim Par. III. cap. 38, & R. Salomonem Jarckium in Hierem. cap. VII. 31, Idolum, inquam, istud exprimi solebat *Regis* figura ex aere conflata, & concava, facie *Vitulum* referente, manusque expansas habente. Juxta quosdam jam vero, igne intus immisso, Idolum candefieri ita consuebat, ut ipsius manibus impositus Puer confestim totus cremaretur; juxta alios vero per duas pyras coram Idolo positas a Sacerdotibus puer traduci solebat. Queis praehabitis, sub *Molochi* profecto vocabulo latere S. Cyrillo Alex. Comm. in Amosi cap. V. 25, eumque pone sequutis Oecumenio, atque Theophylacto in Act. cap. VII. 43, Planeta *Veneris* Moabitis, (ut recte habet ibid. S. Doctor haud memoria lapsus, ut haud rite Calmetio dicitur), Ammonitisque, in quos ab illis cultum isthunc derivatum observarunt jamdiu Viri doctiss., speciali in honore olim habitae, visus est: quo etiam *Veneris* nomine Veteribus *Lunam* venisse, auctor est Macrobius Saturn. lib. 3. cap. 8. R. Levi in Levit. cap. XVIII. 21, ejusque vestigia presse sequuto Kirchero in

Oedip. Aegypt. Syntag. 4. cap. 15, est *Mars*; ita namque in Comment. Coptico ad Acta Apost. VII. 43. pro *Moloch* positus *Mars* legitur, in Ling. Aegygt. restit. Suppl. cap.3. p.527. sq. Quamquam & eò inclinat, ut credat *Molochum* facile cum *Typhone* confundi apud Graecos, sive cum *Mithra* apud Persas, cui cruentas immolari victimas consuevisse, atque duris, dirisque ejus Mystas initiari mysteriis debuisse constat ex Origene adv. Celsum lib.6. §.22. Oper. T.I. edit. Caroli de la Rue p.646. sq., Niceta in S. Gregorii Nazian. orat. in S.Lum., Nonno, & Elia Cretensi in ejusdem S. Doctoris orat. 3. sq. Oper. T.II. edit. Ven. p.301, & 437, videndusque Gyraldus in Hist. Deorum Oper. T.I. Syntag. 7. p.232. sq. Ariae Montano vicissim *Moloch*, derivato ex Hebraeo מֵלִיץ *Melitz*, quod est *Interpres*, vel *Legatus*, vel *Nantius*, idem atque *Mercurius* visus est: cujusmodi etymologiae eadem etsi habita ratio fuerit Stephano Moynio in Not. ad Var. Sacra p.111, מלאך *Nuntii* tamen vocabulo *Sol* magis indicatus ipsi videtur. Contra ex Hebraeo הָלַךְ *Halach*, quod *Ambulare* significat, *Moloch* nomen derivandum opinatus est Hottingerus, adeo ut juxta Arabicam significationem *Halach* هلك, quae est *Periit*, Idolum *Moloch* idem sit, ac *Rex devastationis*. Verum ex Hebraeo verbo מֶלֶךְ *Melech*, quod est *Rex*, vel *Imperator*, derivatum Idolum *Molech*, quod ideo per Βασιλέα, & per Ἄρχοντα saepe redditur Theodotioni, ac Symmacho, hasce proculdubio interpretationes haud patitur.

XII. Non unum itaque tantum, sed omnes Ammonitarum Deos vago hoc nomine *Moloch*, sicut altero *Baal* apud Gentes alias Deos promiscue omnes, designatos fuisse, opinio est, valdeque plausibilis Goodvvini in Adpar. Hist. Crit. ad Antiq. Sacri Cod. lib.4. cap.2. p. 86. sqq., Beyeri p. 255, Petiti Var.Lect. cap.1. Critic. Sacr. T.VII. edit. Francof. p.323. sqq., Spenceri de Legib. Hebraeor. Ritual. T.I. lib.2. cap. 13. edit. Pfaffii p.360. sqq., atque Salom. Deylingii Observat.Sacr. Par.II. Obs. 36. p.444. sqq., argumento potissimum ducto ex Isajae cap. XXXVI. 19, & XXXVII. 12. sq., ubi Reges Gentium *Chamat*, *Arphad*, *Sepharvaim*, *Ana*, & *Ava*, ac Dii *Gozam*

zam, *Charam*, & *Resepb* indiscriminatim & אֱלֹהִי *Elohi*, sive *Dii*, & מֶלֶךְ *Melech*, sive *Reges* adpellati leguntur: unde huc etiam recidere demum Palmyrenam Inscriptionem *Malach Belo* dicatam observant, ut eodem nempe בעל *Bal*, & מלך *Malach* vocabulo idem Palmyrenis indicatum fuerit Idolum. Ita tamen opinionem hanc suam accipi volunt, ut sicut apud Syros, ac Phoenices *Baalis* vocabulo praecipue *Jupiter*, sive *Sol* ipse veniebat, sic apud Moabitas, Ammonitasque *Molochi* nomine intelligi deberet potissime כִּיּוּן *Kiun*, prout locum Amosi v. 25. sq., ubi Hebraice מַלְכְּכֶם cum affixo *Malchem* habetur, Vulgato Interpreti *Regem vestrum*, interpretati sunt Aquila, & Symmachus, sive Ῥαιφὰν *Rephan*, prout ibi LXX. Graeci transtulere, atque ita Goodvvinus, atque Petitus, quorum priori *Kiun*, ac *Repha* idem visus est, ac *Sol*, sive *Hercules*, sive *Thamuz*, sive *Adonis*; posteriori vero, Petito idest eo triplici nomine unus, idemque *Saturnus* intelligendus videtur. Et Phoenicum, ac Carthaginensium *Saturno* quidem, quem *Hamilcam* Genti olim dictum refert Athenagoras in Legat. pro Christ., probe congruunt, quae de *Molocho* referri solent, utriusque nempe eadem figura erat, qua de *Saturni* Diodorus apud Eusebium Praep. Evang. lib. 4. cap. 7, utrique Infantes immolari solebant, queis de *Saturno* oblatis Minutius Felix in Octav., Tertullianus Apolog. cap. 2, & Porphyrius de Abstin. lib. 2. *Saturno* quin etiam figura eadem, eademque facta Sacrificia apud Japonios, Indosque, velut observant Hornius de Origin. Gent. Americ. lib. 2. cap. 13. p. 125. sq., ac Chevraeus in Hist. Mundi T.V. lib. 8. cap. 4. p. 144. Quam pariter in opinionem de *Molocho* ipsissimo cum Phoenicum *Saturno* utroque concessere pede RR. Kimchius, & Abenezra pridem Comm. in Amos v. 7, ac perinde Vatablus, Mariana, Bonfrerius, aliique apud Tostatum, Grotius in Deuter. XVIII. 10, Vallaeus ad Acta VII. 43, Drusius, Joh. Braunius in Select. Sacris lib. 4. cap. 9. p. 485, Juriaeus in Histor. Dogmat., & Cult. Par. IV. Tract. 2. cap. 3. sq. p. 570. sqq., ac Polus in Synopsi Crit. Sacr. T. III. ad Amosi v. 26. p. 1848. sq., & T. IV. ad Acta VII. 43. p. 1453. sqq.; quod confirmat ex Lexico Arabico, ubi *Camus*, alio כִּיּוּ *Kiun* nomine, idest *Austerus* expli-

catur, quod *Saturno* probe congruit, nec non ex Etymologico Persico-Turcico, ubi inter Stellas recensetur כיואן *Kavan* pro *Saturno*, qui & Arabibus כיואן *Kevan*, Syris vero *Saturnus* etiam IV. Reg.v. 18. רמון *Remvan*, qui & ipsis *Kivan*, Graecis vero Ῥαιφάν, Latinis Act. vii. 43. *Rempban*. Haud procul hinc absuit Bochartus in Phaleg, sive Geogr.Sacr. Par.I. lib.1. cap.15. p.59. sq., ubi Aegyptium vocabulum esse *Repban* pro *Saturno* positum, *Moloch* tamen pro *Marte* putat, Kircherum sequutus in Prodr. cap.5. p.147, quod hodiedum in usu esse apud Coptitas observat, quorum lingua partim ex Graeca, partim ex veteri Aegyptia conflata est. Hebraeum itaque כיון *Kiun* idipsum esse, quod Aegyptium *Repbam*, quo Graeci Interpretes in Aegypto scribentes uti maluere, utroque vero unum designari *Saturnum* confirmat testimonio tum Abenezrae, qui *Saturno* hoc *Kiun* nomen esse apud Persas etiam, atque Ismaelitas tradit; tum Plutarchi de Isid., ubi tam Aegyptium *Anubim*, quem *Cyon* Graecum eumdem cum *Saturno* esse scribit; tum Plauti in Poenulo, qui *Saturnum* adpellare & ipse *Ciun* haud dubitavit. Spencero vero Ammonitis sub *Molochi* nomine speciali habitus *Sol* in honore putatur, quae ipsa persuasio haesit Seldeno de DiisSyris Syntag.1.cap.6, ac Ludovico de Dieù ad Act. vii. 43, ut pote qui prae ceteris *Planetis* Gentes olim apud omnes potiori in honore, locoque semper habitus est. Contra *Cbiun*, sive *Cbon* idem cum *Luna* a Vossio de Idol. lib.2. cap.23; idem cum *Sirio* sidere habitus est Strigelio in Hypomnem. ad Nov. Test. p.387. Deylingio vicissim tum *Sol* praecipue apud Ammonitas hoc *Molochi* designatus vocabulo videtur, tum *Saturnus* quammaxime, ideo quod in Alphabeto Aegyptiaco apud Salmasium, & Kircherum in Scala Magna Sect.2. cap.3, in Prodr. Copt. cap.5, & in Lexico Copt. p.526. inter Planetas pro *Saturno* dinumeratus legitur Ῥηφάν, *Rempba*, qui est *Moloch* Act. vii. 43; *Saturnum* vero, sive *Rempbam*, sive *Kium* denique veterem fuisse Aegypti Regem existimat. Ab hacce parum distans altera insedit Lightfooto sententia Hor.Hebr. in Acta Apost.cap.7. vers. 43. Oper. T.II. p.716, & Comment. in eumdem loc. p.791.sq., ubi *Molecbum* indistinctum a *Sole*, sive a *Saturno* censet, per *Cbjiun*

Chjiun vero *Infirmum*, ac *Debile* ſignificari; & per *Rempham* deſignari *Vagum*, ac *Vacillans*, ut ſenſus nempe ſit, *Chjiun* totam eſſe IdolorumPhalangem, ſive Caelorum Exercitum velut in aciem diſpoſitum, *Rempham* ejuſdem Caeleſtis Militiae Ethnicis cultae repraeſentationem, utramque vero tam *Infirmam*, atque *Vacillantem* eſſe, quam qui Militiae iſtiuſmodi praeeſt, *Molech* impotens ſit, atque debilis. Qua perinde ab opinione neque prope, neque procul abſuere Joh. Franc. Buddeus in Hiſt. Eccl. Vet. Teſt. Par. II. ſect. 1. p. 608. ſqq. non alium a *Sole*, aut a *Saturno* habendum fore *Molochum* fuſe oſtendere adnixus; atque Pfeifferus in Diffic. Script. S. Locor. Cent. 4, & Loco 36. Exoticor. Nov. Teſt., eumdem, qui Chaldaeis כִּיּוּן *Ciun*, Perſis, & Arabibus *Civan*, Aegyptiis *Rephan*, Deum eſſe Temporis, ſive *Saturnum* multis ſuadere pergens. Quamquam *Sol Vulcanus* potius *Rephan* viſus eſt, idemque atque *Oſiris* Viro Cl. Georgio in Alphab. Tibet. Par. I. cap. 43. p. 74. ſqq.

XIII. Ea vero longe veri ſimilior inſedit ſententia Joh. Gerardo Voſſio de Orig., & progr. Idolol. lib. 2. cap. 5, & lib. 7. cap. 2. p. 156, ac Joh. Gottlob Carpzovio in Annot. ad Goodvvini Antiq. Sac. lib. 4. cap. 2. p. 482. ſq., ut Idolum *Moloch* ex tergemino *Saturno*, *Jove*, & *Apolline* conflatum putent, *Pantheum* nempe fuiſſe, quale fuiſſe *Deae Syriae* Idolum, nempe ex *Minerva*, *Venere*, *Luna*, *Rhea*, *Nemeſi*, & *Parcis* compoſitum liquido tradit Lucianus Oper. T. III. edit. Baſil. p. 720; quales fuiſſe apud Palmyrenos *Aglibolum*, & *Malachbelum*, *Madbachum*, & *Salamanem* alibi obſervatum eſt; qualiaque *Panthea* fuiſſe *Hermathenam* ex *Mercurio*, & *Minerva*; *Hermanubim* ex *Mercurio*, & *Anubi*; *Hermheraclem* ex *Mercurio*, & *Hercule*; *Hermerotim* ex *Mercurio*, & *Erote*, ſive *Cupidine*; *Hermharpocratem* ex *Mercurio*, & *Harpocrate* conflata, aliaque *Panthea* liquet, quibus de Sponius in Miſcell. Erud. Antiq. Sect. 1. Art. 4. Antiq. Graec., & Rom. Suppl. Poleni T. IV. edit. Ven. p. 671. ſqq. Haec tria namque pro Supremo Numine priſcas in Oriente Gentes coluiſſe putant, 1.° Naturae totius Auctorem, 2.° Naturam ipſam, ejuſque virtutem, & efficaciam, 3.° Naturae tam Auctoris Sym-

Symbolum, quam nobiliorem partem, effectuumque veluti parentem *Solem*, qui propterea tamquam inter Planetas supremus cum בעל *Bal*, idest *Dominus*, tum מלך *Moloch*, hoc est *Rex* adpellari meruerit. Quò faciunt septem illae Celulae, quot in Simulacro *Molochi* extitisse referunt Rabbini supracitati, quinque scilicet inferiores pro singulis *Planetis*, duae reliquae nobiliores pro *Luna*, & *Sole*; cui posteriori veluti praestantiori Infantes praeterea immolari solebant. Singularem & suam huc, quae ab his alioqui haud multum abest, opinionem de *Molocho* ingerit Calmetius in dissert. de Idolo isthoc T. I. p.65. sq., quod nempe cum *Sole*, sive cum *Luna*, sive cum utroque simul confundendum existimat, iis ferme momentis permotus, quod praecipui olim Aegyptiis Dii erant *Osiris*, & *Isis*, quos non alios fuisse, quam *Solem*, & *Lunam* discere fas est ex Diodoro lib. 1. cap. 2. p. 7, & Eusebio Praep. Evang. lib. 1. cap. 6, juncto Gyraldo in Hist. Deor. Syntag. 1. p. 6. Arabibus, ideoque Ismaelitis item *Bacchus*, & *Alilat*, in primo vero latuisse *Solem*, in posteriori *Lunam*, docet Herodotus lib. 1. cap. 131, & lib. 2. cap. 44. Phoenicibus *Belenus*, & *Astartes*, quos ipsissimos cum *Sole*, & *Luna* fuisse dubitare non sinit Sanchoniathon apud Eusebium Praep. lib. 1. cap. 6. sq., ibique Philo Byblius, atque Porphyrius. Persis *Mithra*, & *Urania*, ab Assyriis, & Arabibus eò inlati, teste Herodoto lib. 1. cap. 131, quo nomine non alios, nisi *Solem*, ac *Lunam* venisse non dubium est, ut alibi ostendimus, videndusque Gyraldus loc. cit. p. 7. Hisce jungenda praesto erant Viro doctiss., quod *Sol* ipsissimus erat, qui diversis apud diversas Gentes efferri alioqui nominibus solebat, Persis *Mithras* dictus, Porphyrio de Antro Nymph., Strabone lib. 15. p. 503, Statio Thebaid. 1, ibique Luctatio testibus. *Cyrus* etiam, ut auctores sunt Hesychius in Lex., Plutarchus in Artaxerse, & ante ipsos Ctesias in Persicis apud Photium in Myriobiblo Cod. 72. p. 126. Neque solida ulla satis ratio dubitandi superat Scaligero de Emend. Temp. lib. 6. p. 586, an Ctesias vocum כרש, & כרשר similitudine deceptus loco *Cibi* Persis *Solem* denominatum *Cyrum* scripserit; multoque minus negandi Gatakero Adversar. Posthum. cap. 21. p. 659. sq., ideo quod *Mithras* Persis *Sol* denominari consueverit.

verit. Nihil enim officit, quin gemino, sive altero pridem, alteroque postea dici nomine potuerit. Ctesiae vero consentiunt Gyraldus in Hist. Deor. Syntag. 7. p. 250; Carolus Paschalis de Coron. lib. 9. cap. 15. ideo *Cyrum* Persarum Regem a *Sole* dictum putans, qui in eo tamen fallitur e Graeco Κῦρον, quod est *Adolescens*, derivatum aestimans, quod *Sol* semper *Juvenis* sit, nec unquam senescat, quod potius e Graeco Κῦρος, quo *Auctoritas*, sive *Potestas* significatur, unde Κύριος *Dominus*, seu *Herus*, sive *Rex*, fuerat derivandum; Arquerius, & Ximenius apud Gatakerum, quibus tamen *Cyri* nomen perperam ex Hebraeo כורש, quod *Haeredem*, aut *Possessorem* significat, desumptum est; atque Drusius Observat. Sacr. lib. 12. cap. 17. Crit. Sacr. T. VI. edit. Francof. p. 1444, quo loci recte observat Persico *Chores* affinem esse tam in lingua Hebraea חרס *Chares*, seu *Cheres*, quo *Sol* utique significatur Josue x. 13, & Jobi ix. 7, unde קיר-הרש *Heliopolis*, idest *Civitas Solis* Isaj. xix. 18, (quem locum tamen potius ad *Leontopolim*, sive *Civitatem Leonum* referendum alibi diximus), quam in Glossario Philonis הרש *Hares*, seu *Heres*, mutato *Ham*, in *Cham*, Arabumque ritu *Chet* in *Caph*. Sed & *Sol*, Aegyptiis *Horus*, Babyloniis Σαῶς, Arabibus Τάλος, & *Samasa*, Scythis *Oetosyros* ex Herodoto, Stephano, & Hesychio traditur a Gyraldo loc. cit. Qui Syntag. 12. p. 356. sqq. varia pariter *Lunae* nomina perstringit, quae speciatim *Bendis* dicta Thracibus, testibus Palaephato, Suida, & Phavorino, traditur, Aegyptiis *Isis*, Scythis Μαππαλη teste Hesychio, Graecis *Hecate* &c. Quamquam, ut quae mihi quoque animo insedet, opinionem libere proferam, idem prorsus ipsum, quod Accaronitis solemni coli religione solebat, *Baal-Sebubum* idest, apud Moabitas, Ammonitasque *Molochi* nomine in honore fuisse habitum Idolum persuasum habeo, quo de proinde confestim agere suscipio.

XIV. Accaronitis itaque cultum Idolum *Baal-Sebub* non aliud fuisse, quam *Deum Muscam*, sive *Muscarum* vulgaris Doctorum fert opinio, derivato a זבוב *Sebub*, quod est Μυῖα *Musca*, nomine: unde IV. Regum 1. 2. Hebraeum זבוב בעל *Baal-Sebub* LXX. Graeci Interpretes verterunt Βάαλ Μυῖαν *Deum*

Deum Muscarum, ex radice, quae Hebraeis periit, ex Arabismo ducta دسبب, Hebraice דסעבאב *Dsebab*, quod est *Inconstans*, cui affinis est Chaldaica vox דבובא *Debuba*, ac Syriace *Debaba*, qua *Musca* significatur, ita ut Idolum *Baal-Sebub* Princeps, sive *Deus* fuerit habitus *Muscarum*, uti scripsit etiam Josephus Antiq. lib.9.cap.1., atque Suidas V. Ἠλίας T.II. p.52, sq., quo *Principis* nomine diserte adpellatur Matth. cap.XII. 24; quem ideo *Principem Muscarum* dictum legimus S. Hieronymo in Ecclesiasten cap. 19, in Matth. cap. 10, & lib. Nominum in Johan., S. Augustino in Johan. Tract. 1, & S. Isidoro Origin. lib.8. cap. 11. Vel quia Idolum illud figuram *Muscae* referebat, ut persuasum habuere Porphyrius in Περὶ τῶν Ἐμψύχων ἀποχῆς Drusio memoratus, S. Gregorius Nazian. orat. 2. contra Jul. p.102, Theodoretus, & Procopius in IV. Reg. 1. 2, ac Philastrius in Catalog. Haer. Vel quia dictus ita fuerit ad contemptum, quasi *Deus Stercoris*, unde Matth. XII. 24. Βεελζεβούλ, cum Λ finali, in Graeco legitur, velut habent etiam Versiones Arabica, Coptica, & Aethiopica: quam lectionem utique retinendam omnino vult Drusius in hunc locum Crit. Sacr. T.IV. edit. Francof. p.370. sq., Idolum illud a זֶבֶל *Sebel*, quod est *Stercus*, quasi Ζεύς fuerit Κοπρινὸς *Jupiter Stercorarius*. Siquidem enim, ut est apud Thalmudicos traditio in *Pirke Abboth* cap.5. §. 6. sq. nulla in Mactationis loco *Musca* conspici soleret, inde factum existimat Scaliger, quod ab Accaronitis Idolum suum ad instar Miraculum illud in Templo Hierosolymitano frequens *Beel-Sebachim* בעל זבחים adpellatum, a Judaeis per contemptum, inque contumeliam Idoli בעל זבוב *Beel-Sebub*, sive *Bel-Sebel*, *Deus Stercorarius*, seu *Immunditiae*, fuerit denominatus. Judaeis enim haud infrequens est vocabula inflectere, indeque diversa non tam efformare nomina, quam deformare pseudo-Deorum quammaxime: quomodo ex *Baal* ipsis passim effecti sunt *Beel-Zebach*, Deus *Sacrificiorum*, *Beel-Zebaoth*, Deus *Armorum*, *Beel-Zebal*, Deus *Habitationum* &c. Quam in sententiam omnium primo a Scaligero de Emend. Temp. in Fragm. p.26. propositam, interpretationemque sane inclinant Lightfootus loco supra cit., Grotius in Matth.XII. 25. Crit. Sacr. T.IV. p.382. sq., Barto-

loc-

loccius in Bibl. Rabb. T.I. p.308. ſq., ubi plurimis id exemplis confirmat, Coccejus etiam, Ovvenus Theologum lib.4. cap.5. §.5, ac Voſſius de Idol. lib. 2. cap.4. Sed enim obſervant Bochartus in Hierozoico Par.II.lib.4.cap.9.Oper.T.III. p.500. ſq., Seldenus de Diis Syris ſyntag.2. cap. 6. p.302, & Carpzovius in Annot. ad Goodvvini Adpar.in Antiq.Sac.Cod. lib.4.cap.3.§.5.p.497.ſq.haud veri fuiſſe ſimile,ut *Abazias* IV. Reg.1.2. Idoli iſtiuſce cultor eximius ignominioſo nomine iſto inſultare voluerit Oraculo, quod conſultum exoptans eadem adpellatione בעל זבוב deſignavit. Potius itaque *Beel-Sebub*, Idolum *Muſcarum* ideſt, ab Incolis Urbis *Ekron* ideo cultum, ac ita dictum exiſtimant, quod ab illis invocaretur, ut *Muſcas* abigeret; unde magis, quam Deus Μυῖαν, *Muſcarum* Μυῖαγρον Myjagron, ideſt *Averruncus*, fuerit habitus: qua cunctis in ſententia anteivit Gyraldus in Hiſt. Deor. ſyntag.1. p.47. Atque ita Urbis *Elis* Incolas etiam *Jovi* Ἀπομυίῳ *Muſcarum Abactori* ſacrificaſſe ſcribit Plinius lib.10. cap.28, *Myiagron* ideo nuncupatum adfirmans, quia dum ipſi Sacra fiebant, *Muſcae* protinus interirent, quae alias multitudine peſtilentiam adferebant. Quem in locum tamen adnotat Bochartus Hieroz. Par.I. lib.1. cap.5. Oper. T.I. p.36. *Myiagrum*, non Deum, ſed Heroem fuiſſe, neque in Elide, ſed *Alipheris* in Arcadia, Pauſania teſte in Arcad., ſive lib.8. cap.26. p.652. ſq., cultum. Et cultum ideo *Myiagrium*, invocatumque ſcribit ibi Pauſanias, ut dum rem Divinam faciunt, a *Muſcarum* protervitate ſecuritatem impetrent. Quo modo & Eleos in Olympio certamine *Jovi* Ἀπομυίῳ *Apoyimio*, quaſi *Abactori* facto Sacrificio, (immolato ideſt Tauro Deo, quem *Myiodem* adpellatum tradit Plinius lib.29. cap.6.), *Muſcas* confeſtim trans Alpheum fuiſſe profligatas, ſcribit in Eliacis prior., ſive lib.5. cap.14. p.410. Quin & Sacra Leucade *Muſcis* annua fieri ſolita in *Apollinis Actii* fano auctor eſt Aelianus de Anim. lib. 11. cap.8, juncto lib.5. cap.17. Romae quoque *Herculem Muſcarium* eodem honore, nomineque habitum, quod ejus in Aedem in foro Boario haud *Muſcis* ingreſſus pateret, teſtes accedunt Plinius lib.10. cap.29, Antiphanes Comicus apud Athenaeum lib.1. cap.5, Solinus cap.1, & Clemens Alex. in

Protrept. In Papho etiam circa fores, sive sacrificia *Veneris* nullas adparere *Muscas* solitas ex Androne memorat Apollonius in Mirabil. hist.8. Nec in Cretae Monte Carina passum 9. mille amplius *Muscas* reperiri refert Plinius lib.21. cap.14. Itaque Accaronitis, ob id beneficii, *Beel-Sebub* cultum fuisse, quod propulsandis *Muscis* prodesset, quemadmodum a pulsandis *Locustis* Athenis *Apollo Parnopius*, & *Hercules* in Oeta Monte *Cornopion* adpellatus est, & ab Erythraeis propter Ἴπες, *Vermes* idest, vitibus infestos, interemptos Ἰποκτόνος dictus est, persuasum quoque fuit Juriaeo in Hist. Dogm. Par. IV. Tract.4. cap.3. p.628. sq., Castello in Lex. Heptag. T.I. p.1008, Heinsio Exercit. Sacr. ad Matth. XII. 24. p.44. sq., & Hydeo in Hist. de Vet. Pers. Relig. cap.5. p.132; ubi Idolum hoc magnum fuisse *Culicem* metallicum refert, Telesmatice confectum apto tempore, sub fausto idest *Jovis* adspectu, alteriusve *Planetae*, cui subesse *Muscae* creduntur, cum proprio suffitu, precibus, superstitiosisque aliis caerimoniis collocatum.

XV. Verum ob hasce dumtaxat rationes fieri nequivisse, ut ad *Beel-Sebub*, tanquam ad Oraculum, pro sanitate recuperanda, se se *Abazias* conferret, recte observatum est Goodvvino in Adpar. Hist. Crit. ad Antiq. Sac. Cod. lib.4. cap.3. §.6. p.93. Quare ratio peculiaris alia in Idolo hocce profecto quaerenda superest, eo quammaxime, quod Matth. XXII. 24. *Daemoniorum Princeps* Ἄρχων Δαιμονίων dicitur, quod aliam, praeterquam propulsandi *Muscas*, potestatem praesefert. Grotius itaque Comm. in Matth. loc. cit. Crit. Sacr. T.IV. p.382. sq. observat Principem hunc Daemonum Porphyrio fuisse *Serapim*; eumdemque, qui Paraphrasti Chaldaeo Jonathae in Ecclesiast. cap.1. מלכא רשידים *Malko Daschidim*, sive *Asmodaeus*, hoc est *Rex Daemonum*, adpellatus legitur, Rabbinis vero ad Deuter. ult. *Samael* dici solet, ut notat eodem loci Matth. Ludovicus Capellus. Basnagio Antiq. Judaic. T.I. eo *Beel-Sebub* vocabulo *Deus Exercituum*, converso videlicet Hebraeo צבאת *Tsaboth* in Phoenicium זבוב *Sebub*, designatus visus est. Verum quid adpropriati Deo O. M. tituli commune cum Daemoniorum Principi, potestatisque Daemones ejiciendi, qua de Matth. XII. 24, & Luc. XI. 15, cum Exerci-

cituum Duce? Quorsum vero ad belli potestatem, Exercituumque Principem sciscitatum misisset *Achazias* de vita, an scilicet valetudinis recuperandae spes reliqua esset? Primus ergo post Gyraldum, qui pridem in Hist. Deor. syntag. *6*. Oper. T.I. p.197. observavit eumdem, qui Hebraeis, Chaldaeisque *Beelsebub* dicitur, Graecis esse *Plutonem*, atque ferme Latinis *Jovem Stygium*, seu *Infernum*, Bochartus in Hieroz. Par.II. lib.4. cap.9. p.501. suspicatus est, quod frequens quum fuerit Judaeis posterioribus vocabula suae linguae non pauca e Graeca deducere, cujusce rei plurima eodem loci exempla congerit, quumque Philistaeorum Urbs *Accaron*, quae S. Hieronymo scribitur *Acheron*, quave cum *Acheron* proxime alludit, fieri potuerit, ut ab ignaris Deus *Acheron* cum *Acherontis* Deo, ideo cum *Plutone* confusus fuerit, Principe ideo *Daemoniorum* adpellato, quem sane Inferis praefectum fuisse a Gentilium Theologia nemo ignorat. Quam Viri doctiss. tacito nomine conjecturam arreptam docte amplificavit Protestantium Triga haud plane indocta, Petrus Juriaeus in Hist. Crit. Dogmatum, & Cultuum &c. Par.IV. cap.3. p.632. sqq., Joh. Franciscus Buddeus in Hist. Eccles. Vet. Test. Periodo II. sect.4. p.526. sqq., ac David Millius in Dissert. Select. dissert.6. §.2. sqq. p.170. sqq., hisque exornavit momentis, quae diverso ab eo, quam ille tenuit, ordine proponenda sic duco, aliisque plurimis adaugebo observationibus. Principio itaque *Plutonis* si diversa apud Graecos nomina attendas, non is *Pluto* a Graeca voce Πλῦτος, qua *Divitiae* significantur, sic dictus est, sed ita dicitur *Plutus*, quem a *Plutone* distinguendum probe monuit Gyraldus in Hist. Deor. syntag.6. p.201. sq., eumque esse *Divitiarum* Deum ex Hesiodo, Hermippo apud Hyginum, Dionysio Halic., Aristophane, Philostrato, Diodoro, Pausania, Timocreonte, Phornuto &c. ostendit. *Plutonis* itaque, quem origine Phoenicem Deum, & a Phoenicibus מות, Graece Μὺθ, sive Θάνατον δὲ τῦτον ϗ Πλύτωνα Φοίνικες ὀνομάζυσι *Mortem*, atque *Plutonem* adpellatum refert ex Sanchoniathone Philo Byblius apud Eusebium Praep. Evang. lib.1. cap.10, etymologia potius ex Hebraeo, sive Phoenicio

 deri-

derivanda est vocabulo פלץ, quod est *Terrefacere*, unde מִפְלֶצֶת, & מִפְלַצְתָּה III. Reg.xv. 13, & II. Paralip. xv. 16, *Miphletset*, & *Miphlatsath*, quod est *Terror*, & *Idolum*, S. Hieronymo *Priapus*, aliis *Pan*, aliis *Diana*, seu *Astarte* apud Seldenum de Diis Syris syntag.2.cap.5, & Zanolinum in Lex. Hebr. p.380, *Pluto* Millio, converso צ. *Tsade* in ט. *Teth* pro familiari Hebraeorum more. Atque hinc Πλήσσω Jobi ix. 6, ut observat Castellus in Lex. Heptag. T.II. p.3012, quod est *Terreo*; ideoque Idolum illud aut malum Δεξαςικᾶς ita dictum, quod Mysteria Idoli cultoribus Φρικτα *Horroris* idest plena, reverentiaeque essent, putarunt Hottingerus in Idolograph. Vet. Test. Primitiis Heidelberg. adnexa p.883, & Clodius in Lex. Hebr. Selecto pro Supplem. Gussetii p.409; aut ita dictum, מפלצת, quod מפליא ליעבותא הוות *Mirificum risum prae buerit*, ut minus vere tamen apud Thalmudicos docet R. Joseph in Tract. de Idolol. cap.3. fol.84; aut ita dictum quod שהוא מביא פלצות וצרות רבות לעובדיו *Adducit terrorem, & calamitates multas Cultoribus suis*, velut longe verius interpretati leguntur RR. Levi, Kimchius, & Salomon ad III. Reg. xv. 13. apud Buxtorfium in Lex. Hebr. &c. p.610.

XVI. Quae sane in *Plutonem* probe quadrant, utpote qui Graecis, Latinisque cumprimis Κλυτόπωλος *Clytopolus* non tam ab *Equis* generosis, quam a *Mortuorum* luctu dictus Homero legitur Iliad.E'. *Ditis* Pater Macrobio in Somn. Scip. lib.1. cap.11, & Servio Aen.1. v.143, magis, quam a Terrena vi, ut Ciceroni visum, a *Vita*, qua Mortuos exspoliat, ut J. Quintilianus censuit. Ἅδης *Hades* Socrati apud Platonem, ac Phornuto apud Gyraldum Hist. Deor.syntag.6. p.194, quasi *Tristis* idest, *Tenebrosus*, & *Occultus*, quo de plura ibi, unde Εννυχιων αναξ *Noctis*, & *Tenebrarum Rex* apud Sophoclem Oedip. Colon. v.1553. adpellatur. Quod etiam *Ades*, non ex Hebraeo utique אדמה *Adamah*, idest *Terra*, ut censuit Sanfordus de Descensu Christi ad Infer. lib.1. sect.6, & 25, sed vel ab אדון *Adon*, unde & nomen *Adonis*, quod est *Dominus*, videndusque Seldenus de Diis Syr. syntag.2. cap.11, ut putat Gatakerus in Adversar. Miscell. Posthum. cap 35.

p.792,

p.792, vel a Punico איד *Ed*, quod est *Exitium* Job.XVIII. 12, & XXXI.23, sive A'πώλεια, sive *Mors*, ut observat Avenarius in Lex. *Agelastus*, ut rectius legi debet, non *Agesilaus*, Lactantio, Aeschylo, Methodio apud Athenaeum, idest *Luctuosus*; item *Agathalyus*, quod a bonis mortales solvat. Δαγέτας Pindaro, quod omnes agat Populos. *Axiocerses* Samothracibus Apollonii Rhod. Scholiaste ad lib. I. teste, quod ex Hebraeo אחוה קרץ *Achua*, *Possessio*, & *Keretz*, *Praecisio*, sive *Mors*, quomodo קרץ *Kerets* pro *Morte* accipitur Hierem XLVI. 20, ut monent Hebraei, unde & Arabica radix كسرتا *Kesrata* significat *Mortuus fuit*, velut ex Giggejo profert Golius in Lex. Arab. p.1886, quodque ex Graeco quoque A'ξιος *Axi*, seu *Achazi Possessio mea*, & Κερσος *Kersos Pernicies*, sive *Obitus* derivatum videtur, quomodo *Diabolus* Hebr. 2. 14. *Mortis* imperium habere dicitur, Τὸ κρατος ἔχων τῦ Θανάτυ, ubi Syrus Interpres דאחוד vertit, *Qui possidet imperium Mortis*, usus illo ipso verbo, Syro more, inflexo, ex quo conflatur *Axiokersos*, Syris enim אחד *Achad* idem est, ac Hebraeis אחז *Achaz*, ד *Daleth*, & ז *Zain* de more permutatis, ut observavit Bochartus in Geogr. Sac. lib. I. cap. 12. p.395. *Arimanes* Persis, apud eos primum a Zoroastre inductus, pro Deo *Malo*, tenebricoso, nefastoque habito, cui tetricae immolari ideo victimae consueverint, testibus Plutarcho in Isid., & Osir. p.369. sq., Laertio lib. I. sect. 8, Hesychio in Lex., Plethone apud Fabricium Bibl. Graec. T. XIV. p.137. sq., & Sharistano apud Hydaeum p.299; quo de, sicut & de *Oromasde* Deo *Bono* plura oppido videas apud Wolfium in Manicheismo ante Manichaeos p.39. sqq., Hydaeum de Vet. Relig. Persar. p.161, Beausobrium in Hist. Manich. p.169, Clericum ad Stanleji Indicem Philolog., Vindetum de Vita functorum statu p.36, Bruckerum Hist. Philos. T. I. lib. 2. cap. 3. p.171. sqq., Huetium Demonst. Evang. Prop. IV. cap. 5. T. I. edit. Ven. p.94. sqq., Schroetterum de Jurisp. Vet. Persar. cap. 4. &c. *Eubulius* Orpheo in Hymn., Phornuto, & Nicandro apud Gyraldum p.195, quod Mortalibus consulere, finemque curis, ac laboribus, caeterisque morbis adferre crederetur. *Clymenus*, & *Leptynus*, quod morte Mortalium corpora conterat; *Isodetes*,

tes, & Πυλάρτες, quod Janus praesit, quas nullus non ingrediatur. *Summanus* apud Romanos, quasi *Summus Manium*, a Tito Tatio inter Deos relatus, Varrone de Ling. Lat. teste, cui nocturna Fulmina tribui solebant, quo de Plinius lib.2. cap.52, Cicero de Divin., Ovidius Fast.6, Festus, ac Gruterus Inscript. p.1015. Πολυδέκτης, καὶ Πολυδέγμων, καὶ Πολύαρχος, Phornuto teste, quod multis dominetur. *Februus* a lustrationibus funerum. *Vedius* a particula *Ve*, quod nocendi vim habeat, Gellio lib.5. interprete: queis de aliisque *Plutoni* tributis nominibus, officiisque plura Joh. Boccatius de Genealog. Deor. lib.8. cap.6, Gyraldus loc. cit. p.192. sqq., Natalis Comes Mytolog. lib. 2. cap.9, Rosinus Antiq. Rom. lib.2. cap. 15, p. 220. sq., & Clasenius in Theologia Gentili lib.2. cap.4. sq. Graecar. Antiq. Gronovii T. VII. edit. Ven. p.101. sqq. Quae cuncta probe quadrant cum officiis, nominibusque, quibus *Beel-Sebub* Judaeis depingi solet, veluti *Daemonum* Princeps, qualis סמאל *Sammael* in מדרש רבות *Midrás Rabboth* fol.247. col.2; a R. Eliezere in פרקים *Perakim*, & *Pèrek*, seu cap.13; qui etiam *Sathael* vocatur S. Joh. Chrysostomo in Homil. de lapsu primi Homin.; quomodo מלאך המות *Malach Ammauueth*, *Angelus Mortis*, cui data est *Perdendi* facultas, describitur a Thalmudistis in Codice ברכות *Berachòth* cap.1. fol.4. col.2, & in עין ישראל *En Israel* cap.5. fol.4, qui & passim מלכא דשידי אשמדי *Ascmedai Asmodeus*, *Rex Daemoniorum* adpellatus legitur a R. Elia Levita in תשבי *Tisbi* ad radicem שמאל, in Thalmude Codice גיטין, de *Repudiis* cap.7. משחו *Miscechazò* fol.58, & in Cod. סוטא *Sotta* cap.9. fol.48. col.2. apud Bartoloccium in Bibl. Rabb. T.I.p.320.sqq. Qualis המשחית שרי כל על מלכים מלך *Rex Regum*, *& Princeps Perditionis*, velut adpellatur a R. Nephthali Hirtz in עמק המלך *Emech Hamelech* fol.83. col.2; quem *Daemonum* Principem iis quoque cultum quammaxime, qui mala per Magiam perpetrent, scripsit Porphyrius de Abstin. lib.2. §.41; velut מלאך המות *Melech Hemmuth*, *Angelus Mortis* a R. Reuben David Tebel in ילקוט ראובן *Jalcuth Reuben* fol. 97. col.1; quique Angelus *Sammael* Morituris adsistere, terrorem incutere, eisque vitam eripere dicitur R. Maimonidi in

in עֲבוֹדָה זָרָה *Abudah Zarah* de *Idololatria*, Opus a Dionysio Vossio Joh. Gerar. Vossii Patris Operi de Orig., & Prog. Idolol. subjunctum; a quo iterum in מורה הנבוכים *Moreh Nevochim* Par.III. cap.22. vers. Buxtorfii p.398. ex R. Schimeonis Ben-Lakish in Thalmude relati sententia *Satanas*, idest *Adversarius*, *Angelus Malus*, & *Mortis* nuncupatur: cui patia regerit R. Ephraim in עיר גבורים *Ir Gibborim*, in Urbe Fortitudinis fol. 11. col. 1; habenturque passim in Gemara בבא בתרא *Babba Batra Porta Postrema* fol.16. col. 2, & in ברכות *Berachoth* fol.61. col. 1.

XVII. Quò faciunt demum Epitheta, quibus *Angelus Rex Abyssi*, ipsissimus *Beel-Sebub*, *Princeps Daemoniorum*, a S. Johanne Evang. insignitus legitur Apocalyp. IX. 11, ubi scilicet adpellatur Hebraice אֲבַדּוֹן *Abaddon*, Graece Ἀπολλύων, *Apollyon*, Latine *Exterminans*: ubi Arabs Interpres sic explicat, ut *Abaddon* significet *Peremptorem*, & *Apollyon* idem sit, ac *Effusor Sanguinis* Bibl. Polygl. Lond. T.V. p. 951. Et *Abaddon* sane a verbo אָבַד *Abad*, quod est *Interiit*, *Perditus*, *Interfectus est*, *Perditionis*, seu *Interitus* locum significat Jobi XXVIII. 22, Psal. LXXXVII. 12, & Proverb. XV. 11. apud Aquinatem in Lex., ubi fuse ejus multa indicat nomina, eorumque rationes exponit, atque Castellum in Lex. Heptag. T.I. p.4, juncto Buxtorfio in Lex. p.2. Atque ita heic *Abaddon* pro loco *Perditionis* accipit Ludovicus Capellus; ac ita quoque ante ipsum Rabbinorum vulgo accipi consuevit, quibus septem infra terram loca, sive locum eumdem *Perditionis*, sive גיהנם *Gehennam* distingui consuevisse in septem Domicilia, ubi Damnatorum animae cruciantur, secundum septem poenarum gradus, in quos ipsi supplicia distinguunt, constat ex R. Jeoscivà ben Levi in Codice עירובין *Irubin* cap.2. עיסין פסין *Ossin Passin* fol.19, ubi haec *Gehennae* nomina memorantur 1.° שאול *Sceòl*, *Infernus*, de quo Jonae II. 3. 2.° אבדון *Abaddon*, *Perditio*, de quo Psal. LXXXVIII, nobis 87. v.12. 3.° באר שחת *Beer Sciàchath*, *Puteus Foveae*, sive *Corruptionis*, de quo Psal. XVI. 10. 4.° בור שאון *Bor Sciaòn Cisterna Sonitus*, sive *Desolata* sine aqua, de quo Psal. XL. 3. 5.° טיט היון *Tit Hajia Vèn Coenum luti*, de quo ibid. 6.° צלמות *Tzalmaueth Umbra Mortis*, de quo

quo Psal. cvii. 10. 7.° ארץ התחתית *Eretz Hatachtith Terra Infima*, de quo Isajae xxx. 33. Quae loca, & nomina scripta etiam leguntur in *En Israel* Par.I. fol.81. col.4. n.6. apud Bartoloccium in Bibl. Rabb. T.II. p. 130. sqq., ubi adversus Haereticos, quos laudat & ipse furfuris ejusdem Polus in Synopsi Crit. Sacr. T. V. ad Apocalyp. ix. 11. p. 1799, ostendit loco *Sceol*, non *Sepulcrum*, sed *Infernum* Rabbinis accipi passim in Genes. xxxvii. 35, Numer. xvi. 30, & 33, Deuter xxxii. 22, II. Samuel. xxii. 6, Jobi xi. 8, ac xxvi. 6, ac ita a R. Abenezra, & Levi ben Gersom. Praeter haec vero septem Gehennae proprie dictae loca, *Inferni* hoc est, *Intermedium* locum alium, nobis vulgo *Purgatorium*, in quo ad tempus puniantur, qui ex hac vita nec omnino perfecti, nec omnino impii migrarunt, a Rabbinis distingui observat eodem loci p.141. sqq. Bartoloccius, ita nempe a Thalmudicis in Cod. ראש השנה *Rosc Hasciana* cap. 1. fol. 16. col. 2, in *En Israel*, Par.I. fol. 123. col. 3. n. 10, in סנהדרין *Sanhedrin* cap.11. חלק *Chelek* fol.91, a R.Tanchuma in *Parascia* תולדות נח *Toledòth Noach*, ab Auctore מנורת המאור *Menoràth Hammaòr* Tract.1. נר א׳ *Ner Risciòn Lucerna prima*, חלק ש׳בי *Chelek* Par. II. cap.1. fol.10. col.4, in Cod. חגיגה *Chaghigha* cap.2. דורש׳ין אי fol.15, ac in veteri Codice זהר *Zòhar* apud Constantium in Concord. Bibl. Hebr. p.7, ubi duae habitationes distinguuntur, nempe שאול *Sceol*, e quo demum liber ascendit, & אבדון *Abaddon*, in quo in *Aeternum* commoratur: conferendus etiam Schoetgenius in Horis Hebraicis p. 1116, quo loci ex doctrina Hebraeorum Conclave *Inferni* omnium infimum *Abaddon* esse ostendit. Jungendi, qui ab hoc infimo *Inferni* loco *Abbadon*, supernum alium *Sceol*, a quo demum liber abire quisque permittitur, liquido distinguunt, Thalmudistae in *Erubin* cap.2, in *Midrasch Hannaalam* ad Gen. xviii, R.Menachem in Levit. xxi, R. Meir ben Gabri Cod. *Habodath Hakodesch* p.2. cap.31, Menachen Sionita in Levit. xvi, *Abkat Rochel* Cod. 2. p. 2, R. Resch Lakis in *Chelek* ad Isaj. xxx. 14, Auctor *Reschith Chocmah* in Tract. de *Poenitentia* cap. 3, R. Kimchi in Psal. xxxi. 4, Hebr. xxxii, Auctor libri *Kab Venaki* in Psal. lxxxvii. v. 49, R. Salomon ben Abraham eodem

dem loci, qua de Rabbinorum traditione a deundus Vir doctiſs. Henricus a Porta in Exercit. 2. de Purgatorio adverſus Hackſpanium, Binghamum, Beauſobrium &c. p. 327. ſqq. Verum *Abaddon* eo loci non pro loco, ſed pro *Daemonum* Principe, ſive *Inferorum*, accipiendum fore nemo probe non intelligit, forte derivatum ab Hebraeo *Adon*, quod eſt *Dominus*, ut ſupra dictum eſt, quo modo Daemoni in *Aruch* datum legitur. Atque ita locum accepere Druſius de Vocibus Hebraic. Nov. Teſt. p. 1. ſqq., Pfeifferus Oper. p. 507, Cheitomaeus de Vocibus Graeco-Barbaris, Neubaverus in diſſert. de Angelo Mortis, Dietericus in Antiq. Biblicis Nov. Teſt. p. 7. ſqq., ac Wolfius in Curis Philolog., & Crit. ad Apocalyp. IX. 11. T. V. p. 517: quo loci opinionem explodit Martini Feſſelii Adverſariorum Sacr. T. II. p. 353. *Mohammedi* nomen poſt Caſp. Waſerum in Analyſi Pſal. cx. ex Hebraea voce מָחָה *Machah*, quod *Delere*, *Perdere*, *Diſperdere* ſignificat Gen. VII. 4, Exod. XVII. 14, Deut. XXIX. 20, Pſal. LI. 3, alibique ſaepe, derivandum non dubitavit. Quo profecto nomine deſignatus etiam videtur Polo Synop. Crit. Sacr. T. V. p. 1799. Angelus *Nequam*, hoc *Abaddon* nomine, inquam, non *Mundi factor* intelligendus, prout ideſt diſtinguitur a *Mundi Opifice* Deo O. M., qui Chaldaeis, ac Syris אבוד *Abuda* denominatur. Junge, quod *Abaddon* heic idem ipſe fuit, qui Arabibus dictus eſt *Oboda*, عبدة eiſdemque eximie cultus, traditur a Tertulliano lib. 2. ad Nationes cap. 8, & Apolog. cap. 24, ubi conferendi Gothofredus, & **Havercampus**, & ab Euſebio de Laud. Conſtant. cap. 13. edit. Taurin. p. 690, ibique videndus in Not. Valeſius. De *Oboda* agit Uranius Arab. Antiq. lib. 4, eumque Regem fuiſſe antiquiſſimum Nabataeorum Arabum, poſt obitum inter Deos relatum, auctor eſt Stephanus V. Ὀβόδα; a quo multi deinceps Arabiae Reges *Obodae* denominati, non ſecus ac ab *Aretha* deinde Reges alii dicti ſunt, videntur. Quod ad Graecum Ἀπολλύων nomen attinet, id fortaſſis ab Απολυσις derivatum eſt, qua nedum ultimus cujuſque Feſti dies indicatur, ut Meurſio viſum in Gloſſario Graeco-Barbaro p. 54, ſed etiam *Mors* ſignificatur, ut obſervat Suicerus in Theſ. Eccleſ. T. I. p. 461, unde S. Joh. Chryſoſtomo in Geneſ. hom. 36. Ἀπόλυσις ἡ Ἐν-

τεῦθεν Ἔξοδος καλεῖται Exitus ex hac vita Ἀπολύσις vocatur; unde Ἀπολύω verbo proprie a *Vinculis*, seu e *Carcere solvere* significatur Joh. XVII. 39, & XIX. 10, Act. IV. 21, V. 40, XIII. 3, & XV. 35. sq., & alibi, ibique Glossae. Derivatum quoque a Syro חַבּוּלָא, quo *Perditio* significatur, unde *Angelus Perditionis* merito designatus fuerit, videri potest. Verum propius ad veritatem, Sacrumque Textum participium istud Ἀπολλύων pro nomine ibi positum e Graeco Ἀπολλύω, quod est *Extermino*, desumptum, recte *Exterminans* expositum est, ut idem sit, ac *Angelus Exterminator*, velut etiam hunc Apocalypsis locum interpretati sunt Vatablus, Piscator, Zegerus, Paraeus, Drusius &c. apud Polum loc. cit. p. 1800.

XVIII. Ab eadem radice vel Phoenicia אֵיד *Ed*, quod *Exitium* significat Jobi XVIII. 12; vel Hebraea אֲדוֹן *Adon*, quod est *Dominus*, atque cum ˇ *Kametz* quidem de *Deo*, cum *Pathach* vero scriptum de *Hominibus* dicitur, unde *Adonis*, qui etiam *Thamuz* dictus est, nomen prodiit, quo de Seldenus de Diis Syris Syntag. 2. cap. 11, profectum opinor Idoli nomen אַחַד *Achad*, de quo Isajas cap. 66. v. 17. sic habet: *Purificantes se in hortis post* אַחַד *Unam*, ut Vulgatus Interpres, & Arabs vertit post *Januam*, ut Paraphrastes Chaldaeus interpretatur, *Idolorum*, ut Theodotion, & Symmachus habent post *Alterum*: quam lectionem Interpretes multi sequuntur, post אחד *Ebhad*, ut in Textu, sive post אחת *Ebhath*, ut in Margine legendum monent Masorethae, quos pone sequitur Joh. Clericus Comm. in Isajae loc. cit. p. 306, ut locus nempe de *Hecate*, sive *Luna*, cujusce lustratione in hortis clam inquinare se se Judaei haud erubescebant, qua de super. cap. 65. v. 11. loquutum etiam Prophetam observat p. 298. sq., accipi plane debeat. Ut calumniam vero, qua cum Mohammedanos, tum Christianos heic ab Isaja redargui jactant R. Kimchius Comment. in Isajae loc. cit., R. Abarbanel in מַשְׁמִיעַ יְשׁוּעָה *Masmia Iscua*, *Praeco Salutis* p. 31. col. 3, R. Bechai in Deuter. fol. 220. col. 4, & R. Isaac ben Abraham in חִזּוּק אֱמוּנָה *Chisuch Emunah*, *Munimen fidei* p. 352, tanquam ineptiarum plenam, refutationeque indignam praeteream; tam ex Judaeis, quam ex Christianis plerisque hoc Isajae loco nullo de Idolo agi putant.

tant. Verum de Idolo heic loquutum Isajam persuasum habentes Grotius Critic. Sacr. T. II. pag. ultima, Vitringa Comm. in hunc locum, Seldenus loco supracit., & Bochartus in Geogr. Sacr. Par. II. lib. 2. cap. 8. p. 731. אֲדַד *Adadum* istud fuisse Phoenicum Idolum existimant, testimonio freti Macrobii, qui Saturn. lib. 1. cap. 23. de *Sole* Assyriis Sacro loquens sic ait: *Deo, quem summum, maximumque venerantur*, Adad *nomen dederunt. Ejus nominis interpretatio significat* Unus. *Hunc ergo ut potentissimum adorant Deum. Sed subjungunt eidem Deam nomine* Atergatim: *omnemque potestatem cunctarum rerum his duobus attribuunt, Solem, Terramque intelligentes.* Subdit vero Simulacrum *Adad* radiis inclinatis deorsum, *Atergatis* vero reclinatis sursum versum radiis apud Assyrios exprimi consuevisse, ut monstraretur vis *Caeli* in radiis esse *Solis*, radiorumque vi enasci quaecumque Terra progenerat. Atque Chaldaeis, Syrisque sane חַד *Chad*, sive אֲחַד *Achad*, seu אֶחָד *Echad* significat *Unus* Gen. II. 24, Deuter. XXXII. 30, & Jud. VI. 16, unde ex אֶחָד Masculino per apocopem fit אח *Ach Unus*, & ex חַד *Chad* per aphaeresim fit foemininum חֲדָה *Chadah Una*, sive etiam אַחַת *Achath Una* Deuter. XXI. 15, ac *Semel* Jobi XXXIII. 14; indeque geminatum חַדְחַד *Chadad* significat *Unusquisque*. Hinc itaque ex Hebraeo חַד *Chad*, permutato *Cheth* ח in *He* ה, profectum הֲדַד *Hadad* Phoenicium per ה scriptum, aut etiam per *Aleph* א אֲדַד *Adad*, quo *Unus* etiam significetur, auctore Macrobio probant, comprobantque Thalmudicorum auctoritate, queis הֲדָדֵי *Hadade* adverbium est *Una, Simul, Pariter, Semel*, ac *Similiter*. Arabibus etiam vocabulo חַדְאַד *Chadad*, حذاذ, sive הדאד *Hadad Similis, Idem, Unus* significatur. Hoc vero הדד *Unus* nomine recte *Sol* Phoenicibus, sive Syris designatus inde colligitur, quod is inter Astra eminens, velut *Unus* haberi meruit. Inde profectum, ut primum apud Idumaeos, postea apud Heliopolitas, a *Sole* desumpto cognomine, familiare Regibus illis, ingenti prae fastu non tam superbientibus, quam insanientibus, *Adad* praenomen fuerit, pronum est putare, quodque *Adad* Macrobio dicitur, idem ipsum fuerit, qui Sanchoniathoni apud Eusebium Praep. Evang. lib. 1. cap. 7. Ἄδωδος

Βασιλεὺς Θεῶν *Adodus Rex Deorum* nuncupatus, in Phoenice cum *Aſtarte* Dea regnaſſe fertur. Quo ex *Adodi* denique nomine *Benadadum*, III. Reg. xx, derivat Seldenus, quod Syriae Regibus fuiſſe commune deducit ex Nicolao Damaſceno apud Joſephum Antiq. lib. 8. cap. 6.

XIX. Quae opinio ut ut veri ſpeciem praeſeſerat quammaximam, impetrare nequivit attamen, ut ei adſenſum praeberet ſuum David Millius in diſſert. Selectis in Varia Sacr. Litter., & Antiq. Orient. Capita Diſſert. 5. de Idolo אחד, inde permotus, quod ab אהד *Adhad* cum ה *He* ſcripto diverſus omnino cenſendus ſit. אחד *Achad* ſcriptus cum ח *Cheth*. Quamquam iſthaec ratio etſi ſubſiſtat in radice Hebraea, locum haud tamen habet in Phoenicia inde deſumpta, fierique potuit, ut ex Hebraeo vocabulo *Achad*, mutato ח *Cheth* in ה *He*, factus *Adhad* fuerit. Potius itaque אחד *Achad* nomine deſignatam fuiſſe *Hecatem* Vir doctiſſ. perſuaſum habet, mutato nempe Hebraeo א *Aleph* in Graecum E, ac ד *Daleth* in Hebraeum ת *Tau*: cujuſmodi mutationis exempla nonnulla ſuppeditat, longe plura videnda apud Bochartum. Quae quum ita ſe habeant, neque erat ſane, cur Bocharto contradiceret exiſtimanti a Phoenicibus mutato ſimiliter ח *Cheth* in ה *He* ex *Achad* deſumptum *Adad*. Jam vero ſub *Achad* nomine latere putans *Hecatem*, ſive *Lunam*, ideo *Unam* dictam arguit, non e dialecto Hebraea, qua *Unica*, ſeu *Una* ſignificatur, quo modo alioquin ab Heſiodo in Theogonia v. 426, & 448. Μονογενὴς *Unigenita* vocata *Luna* legitur, ut obſervatum eſt Clerico in Heſiodi loc. cit. v. 411, ſed e dialecto Aramaea, qua *Potentia* ſignificatur in Verſ. Syriaca I. Petri v. 11, Judae v. 25, Apocalyp. 1. 6, Iſaj. ix. 1. &c., multiſque aliis in locis, quae late perſequitur Caſtellus in Lex. T.I. p. 77. ſqq., unde *Hecates* idem ſit, ac *Summe Potens*. Et *Hecatae* quidem, ſive *Lunae* ſummam tribui poteſtatem in terra, marique ab Heſiodo v. 43, & 427, in Caelo, Ereboque a Virgilio Aen. vi. v. 247, ac Prudentio contra Symmachum lib. 2. v. 360, ideoque eamdem *Unam*, & *Omnia* inde dici, velut ita dicta *Iſis*, quae cum *Luna*, & *Hecate* eadem eſt, in Inſcriptione apud Gruterum p. 82. *Una, quae es Omnia, Dea Iſis*, obſervat. Qua perin-

perinde ex ratione Isajae loco cit. אחר Idolum hocce Graeco, Vulgato, Arabique Interpreti post *Januam* fuisse positum suspicatur, quod *Hecatae* simulacrum ante fores collocari soleret, testibus Aristophane in Vespis v. 798, & Theocriti Scholiaste ad Idyll. B. v. 36: quo modo etiam Chaldaeis, & Syris אִכְּבְתָא *Ecbeta* sane est *Clausura*. Ad haec ab Isaja *Hecatem* eo loci designatam fuisse ex cultu Idolo huic exhibito confirmare pergit. Cultum namque dicitur in אֶל־הַגַּנּוֹת *El Haggannoath*, idest *In Hortis*, quo nomine, Hortorum nempe, qui Arboribus maxime consiti sint, Luci etiam veniunt. Ast enim *Hecatem* eximia in Lucis religione coli consuevisse discimus ex Ovidio Metam. VII. v. 74, Virgilio Aen. VI. v. 117, & Servio ad Georg. III. v. 232, unde & *Nemorensis* dicta in Inscriptionibus legitur apud Gruterum p. 41, & apud Sponium in Miscell. Erud. Antiq. Graec. Antiq. T. IV. p. 823; eique in *Nemoribus* exstructa Templa memorantur Herodoto lib. 2. cap. 138, Straboni lib. 16. p. 1089, Pausaniae in Arcad., seu lib. 8. cap. 23. p. 643, Horatio de Arte Poet. v. 16, ac Callimacho Hymno in Dianam v. 38, quem in locum conferendus Spanhemius p. 156. sq., jungendusque Curtius Symphorianus Hortorum lib. 4. capp. 14, & 19. Sed enim haec longe nimis petuntur, quam in *Hecatem* proxime quadrare possint, quum *Hecatae* non modo, sed *Idolis* universim in Lucis & fana aedificare, & festa agere, & facere sacra Ethnicis religioso in more positum fuerit. Longius vero abest, ut quae de Idoli hujusce cultoribus eo loci Isajas persequitur, *Hecatae* adaptari probe queant, ut lustratio, Suillae carnis, murum &c. comestio &c., quae Ethnicis frequentari non tam in *Hecatae*, quam in Idolorum fere speciei cujusque memoriam solebant. Inde quin imo patet difficilius in Idolum illud competere, quae de *Hecate* profani referunt Scriptores, eam scilicet Δαδοφόρου νυκτὸς Μεγαλοκόλπου Θύγατερ *Faciferae Noctis*, & *Magnigremii*, hoc est *Tartari* fuisse filiam, ut Orphaeus, & Bacchylides; eidem triforme fuisse caput *Equi*, *Canis*, & Agrestis *Hominis*, ut Artemidorus, & Chariclides apud Athenaeum; eidem de Canibus Sacra facta, ut Lycophron, Sophron apud Plutarchum de Isid., Theocritus Idyl. 2, Hesychius &c.;

Huma-

Humanas quin etiam sacrificari hostias, eique sanguine litari humano consuevisse, qua de fuse Gyraldus in Hist. Deor. Syntag. 12. p. 358. sqq., ac Dempsterus in Paralip. ad Rosini Antiq. Rom. lib. 2. cap. 19. p. 249. sq.

XX. Quamquam illud in confesso est apud omnes, diversis etsi sub adpellationibus, unum, eumdemque *Solem* apud Ethnicos, unam, eamque *Lunam* in honore, religioneque haberi consuevisse: quò fit, ut sub *Achad* nomine tam probe *Adadus*, sive *Sol*, quam *Hecate*, sive *Luna* latuisse apud Ethnicos intelligi queat. Quò fit, ut tam Genesis xxx. 11. בגד *Bagad*, sive *Gad*, idest *Feliciter*, veluti Latinus vertit Interpres, quam Isajae LXV. 11, & LXVI. 17. locum de *Hecate*, sive *Luna*, cui *Neomeniis* singulis vespertinam a divitibus Coenam, veluti Sacrificium in triviis offerri, instruique consuevisse tradit Aristophanis Scholiastes in Pluto v. 594. sqq., accipiendum censeat Joh. Clericus Comm. in Genes. p. 224, & Isaj. p. 298. sq., & 306. sq. Neque vero magis evincunt, quae Millius in Dissert. 6. §. 14. p. 189. sqq. profert, ut suadeat, persuadeatque ab eadem, qua *Pluto* dictus est, radice פלץ *Plütz*, nomen prodjisse Idoli alterius מִפְלֶצְתָּה *Miphlatsath*, sive מִפְלֶצֶת *Miphlatseth*, cujus mentio fit III. Reg. xv. 13, & II. Paralip. xv. 16, quod Idolum nempe ab *Hecate* indistinctum putat ideo, tum quod foemininum illud fuerit, illudque a *Maacha Asae* Regis matre praecipua religione cultum, Mulieribus vero *Muliebria* dumtaxat Idola, sicut Maribus nonnisi *Mascula* coli Numina consueverint; tum quod nulli Dearum rectius *Terroris*, a quo Idolo illi nomen adhaesit, congruat adpellatio, quam *Hecatae*, quae ideo Graecis Βριμω, quod *Terreat*, dicta est Apollonii Scholiaste ad lib. 3. v. 860. teste, quae terribili specie triformis capitis, ut supra innui, exprimi solebat, videndusque Minutius Felix in Oct. p. 192; quaeque *Inferorum* Regina habita legitur, eademque cum *Proserpina* Apulejo Metamorph. lib. 11. p. 358; tum quod & *Dea Salutis*, cujus idcirco opem in periculis constituti implorare solerent, credita fuerit, apud Scholiastem Aristophanis in *Pace* v. 276. Quae tamen omnia haud efficiunt, ut a vulgati Interpretis, cui Idolum illud *Priapus* est, sententia recedamus, aut ad alteram accedamus Castalionis,

qui

qui *Panem* fuisse putat ideo, quod Idolum istud in Luco positum fuerit, quum *Priapus* in hortis collocari soleret, quodque a *Terrore* dictum fuerit, qui *Pani* congruit, unde *Panicus* timor, ut observat Gatakerus, profluxit. Enim vero III. Reg. xv.13, & II. Paralip. xv.16, ubi Hebraeus Textus habet מִפְלֶצֶת *Miphleseth*, idest *Terriculamentum*, sive *Pavorem*, uti vertunt etiam Pagninus, Arias Montanus &c., LXX Graeca ad Reg. loc. cit. Σύνοδον *Conventum*, ad Paralip. vero loc. cit. Αςάρτη Εἴδωλον *Astarte Idolum* interpretatur, Paraphrastes Chaldaeus, ac Jonathas in Targo טעותא *Tabavatha*, *Errorem* legunt, *Idololatriam*, sive *Idolum* vertit Syrus, & Arabs Interpres: quae generalia nimis esse vocabula nemo non videt. Propius itaque *Priapi* sacra, sive Simulacrum Latinus utrobique legit Interpres, eique adstipulantur S. Hieronymus, istumque pone sequuti Munsterus, Vatablus, Grotius in Annot. ad Reg. loc. cit. Critic. Sacr. T. II. edit. Francof. p. 70. sq., Piscator, Cornelius a Lapide, Sanctius, Petrus Martyr, ac Polus in Synopsi Crit. Sacr. T. I. p. 532. sq. Atque *Priapum* quidem a *Terrore* recte denominatum fuisse; tum quod apud Graecos, ac Latinos in hortis ad fures arcendos, quin & per agros circumgestari ad malos a segetibus eventus avertendos, *Priapi* Simulacrum soleret, testibus Virgilio Georg. IV, ibique Servio, Vitruvio Archit. lib. 7, Columella lib. 10, Horatio, Theocrito Idyl., Diodoro lib. 4. cap. 2. p. 101, Tibullo &c.; tum quod insolenti, indecoraque sui effigie terrorem incuteret: nam *Hircum* ideo Aegyptiis dictum tradit Diodorus, terribilique falce armatum effingi consuevisse scribunt Phornutus, ac Tibullus apud Gyraldum: quomodo Corinthiis, ac Lacedaemoniis, Tullo Hostilio etiam *Pavor* Deus olim cultus ideo traditur ex Pausania, Livio, Lactantio, & S. Augustino ab eodem Gyraldo in Hist. Deor. syntag. 1. p. 55. Idolum adhaec illud, cujus Sacra curabat *Maacha*, *Turpitudinis* etiam fuisse ex laudato Reg. loco liquet, ubi Simulacrum adpellatur *Turpissimum* Latino Vulgato, favetque radix ipsa Hebraea פלץ *Phalatz*, quae sono ipso ad *Phallum* alludit. Spurcissimum vero Numen, inhonestissimumque fuisse *Priapum*, indeque dictum *Phallum*, & *Ithyphallum*, eidemque dicata Περιφαλλία, & Φαλλαγωγία, infa-

infamiae plena Sacra, referunt Herodotus, Diodorus, Lucianus &c., quo de plura dabunt ex Lactantio adhuc, Tertulliano, S. Augustino, Theodoreto &c. Gyraldus in Hist. Deor. syntag. 8. p. 290. sqq., Dempsterus in Rosini Antiq. Rom. Paralip. cap. 20. p. 258. sq., Vossius de Idol. lib. 2. cap. 7, ac Johannes Nicolai de Ritu Bacchanaliorum cap. 12. sq. Antiq. Graecar. T. VII. edit. Ven. p. 198. sqq.

XXI. Pro colophone dicendum obiter de Idolo מעזים *Mabuzim*, cujus mentio fit a Daniele Propheta cap. XI, v. 38. sq., ubi *Maozim* legunt Hebraeus, Latinus Vulgatus, Theodotion &c., *Fortem* Syrus, & Arabs Interpres vertit, *Fortissimum* habet Graeca LXX. Versio, Deum *Fortitudinum* Aquila, & Symmachus apud S. Hieronymum. Et עזון *Izun* quidem *Fortis*, sive *Robustus* est Psal. XXIV. 8, & Isaj. XLIII. 18; עזון *Ezun* quoque *Robur*, seu *Fortitudo* significatur Psal. CXLV. 6, & Isaj. XLII. 25. מעוז *Machuz* denuo *Fortitudo*, & *Robur* est Psal. XXVII. 1, *Munitio* Judic. VI. 26, unde plurale מעזנים *Mabuznim* Isaj. XXIII. 11. *Munitiones*. Quo nomine quodnam Idolum designatum fuerit, inter Interpretes haud convenit. *Arabibus Luna* inter Deos *Potentissima* nomine designata vel Arabico קבר *Kabar*, كبر, vel Syriaca אלעז *Aluzza*, quo utroque nomine Hebraeis, ac Phoeniciis *Robore super omnes potens* significatur, observatum est Firauzabadio Scriptori Arabi apud Pocockium in Hist. Arab. p. 91, & Kirchero in Oedip. Aegypt. T. I. p. 348. *Mabuzim* ex adverso generale Idoli fuisse nomen, cuilibet *Tutelari* Genio inditum, post Interpretes nonnullos Gejerum, Munsterum &c. persuasum habuere Spencerus de Legib. Hebr. Ritual. T. II. edit. Pfaffii lib. 3. dissert. 5. cap. 3. p. 849, ac Nevvtonus in Observat. ad Danielis Vaticinia cap. 14. p. 143, quam suam confirmare opinionem studet Spencerus Estheris XIV. 10. loco, ubi Ethnici laudasse Ἀρετὰς τῶν Ματαίων *Idolorum Fortitudinem* leguntur, ac Tobiae 1. 5. altero, ubi Israelitae sacrificasse Τῇ Βάαλ τῇ Δυνάμει, *Idolo Fortitudinis* dicuntur, velut Exemplaria legunt nonnulla: quo nomine *Vitulum* Samariae venisse suspicatur Vir doctus. *Jovem Olympium* eo designatum nomine putarunt Maldonatus, & Willetus in Melanchtone; *Plutum*, sive *Pecu-*

niam

niam, cujus potentiam omnes depraedicant, Polus in Synop. Crit. Sacr. ad Daniel. loc.cit. T.III. p.1594; *Deum* Verum Piscator, Junius, Polanus apud Polum loc. cit. p.sq. Ast verior Grotii in Annot. ad Dan.xi.38.sq. Crit. Sacr.T.III.edit. Francof. p.742. sq., ac Bocharti in Geogr.Sacr. Par.II.lib.2.cap.8. p.731. sq. sententia est putantium *Maozim* Deum Phoenicum fuisse, Judaeis colendum ab *Antiocho* propositum, eumdem scilicet ipsum, qui apud Phoenices *Belli* Deus, Αζιζος dictus legitur Juliano Apostatae in Orat. de Sole, Latinis idest *Mars*, Fortitudinis Deus. Arabibus enim, Syris, ac Phoeniciis עזיז *Aziz*, عزيز, unde *Azizos*, *Fortem*, ac *Robustum* significat: cui vocabulo praeposita littera heemantica, additaque forma plurali ejusdem Hebraicae originis, factum est מעוזים *Maozim*, unde Armentariis etiam *Magazim*. Rursus ע pronuntiato ut O, & Chaldaeorum, Arabumque more ז *Zain* mutato in ד *Daleth*, inde nomen prodiit Μωδιεὶμ, *Vicus*, ubi Templum Idolo illi aedificatum, quò respicit locus I.Macchab.11.15. Etiam hodie Judaei ע *Ain* in א *Aleph* converso *Martis* sidus ab eadem hac origine Hebraea מאדים *Modim* nuncupant, a *Fortitudine* nempe, ac *Robore*, quod cum affixo significatur מְאֹדֶךָ *Modecha*, *Fortitudine tua* Deuter.vi. 5, & מאדו *Modo*, *Fortitudine sua* II. Reg. xxiii. 25: unde etiam מְאֹד *Mod*, *Valde* Gen.1.31, ac geminatum מאד מאד *Mod Mod*, *Vehementissime* IV.Reg.x. 4. Denique de Diis aliis e *Baal*, sive *Beel* nomine conflatis, adeundus Fourmontius in Reflex.Critic. ad Hist. Veter. Popul. T.I. lib.2. sect.4. cap. 16. p.364. sqq., ubi de *Beel-Meon* Num.xxxii.38, quem *Horum* putat; de *Beel-Teem*, qui cum *Apolline* confundendus ipsi videtur; de *Baal-Pharasim*, quem a *Baal-Gad*, sive *Magdal-Gad* Josue xv. 37. haud distinguendum opinatur; de *Baal-Thamar* Jud.xx. 33, quo cum *Adzizum*, sive *Adramalech*, sive *Azzar*, idest *Martem* Urbis *Thadmour*, ipsi a *Thamar* indistinctae, eumdem esse existimat; de *Baal-Hasor* Josue xv. 23. sqq., a quo non differre *Priapum* autumat; de *Baal-Hamon* Cant.viii. 11, qui *Chamos* ipsi videtur, idem atque *Osiris*: sed de his satis jam, ac super.

XXII. In lineam, extra quam, plusquam oportuisset,

 mea-

meaque praeterquam ferret opinio, a desiderio, opportunitateque disputandi de *Idolis*, quorum frequens in Sacris Litteris occurrit mentio, quaeque bona nondum in luce collocata videre mihi videbar, me abstrahi, rapique passus sum, ut e lungo me diverticulo modo recipiam, quarta post *Accaron* Philistaeae Metropolis recensita locis antea dictis, ideſt Josue xiii. 3, ac I. Reg. vi. 17, legitur *Gath*, Eusebio, & S. Hieronymo in Loc. Hebr., ad Michaeae 1, in Praefat. ad Jonam, & in Hierem. xxv. *Geth* dicta, Josepho Antiq. lib. 6. cap. 1. *Gitta*, non confundenda sane cum *Gitta* vico Samariae, ac Patria *Simonis* Magi; neque cum *Gitta* Arce quadam Idumaeae; neque cum *Gath*, Eusebio, & S. Hieronymo *Gethhepher*, Jonae Patria, queis de suse Bonfrerius in Onom. Urb. Oper. Menochii T.II. p. 220, Relandus in Palaest. illust. lib. 3. edit. Norimb. p. 581, & 602, Ultraj. p. 785. sq., & 814, ac Schvvartzius in Not. ad Cellarium Geogr. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 13. §. 214. p.507. Sed haec Urbs potens olim quidem, ac Regia, destructa postmodum indicari videtur Amoso vi. 1; unde circa Templi primi excidium nulla ejusdem amplius prostat mentio quatuor inter alias Philistaeae Regias memoratas alioqui Sophoniae ii. 4, & Amoso 1. 7, uti Relando, ac Schvvartzio observatum est. Quinta demum ex Philistaeae Satrapiis Regia, sive Metropolis fuit *Azotus*, Hebraeis אַשְׁדּוֹד *Asdod* Josue xv. 47, & I. Reg. vi. 17, unde gentile *Allophylorum*, hoc est Philistinorum, hanc inhabitantium Urbem, הָאַשְׁדּוֹדִי *Haasdoddaeus* profluxit nomen Josue xiii. 3; quam a Profugis e Mari Rubro de nomine cujuspiam ex ipsis Uxoris *Azam*, ideſt עֵז *Ez*, quo *Capra* significatur Gen. xv. 9, Numer. xv. 27, ac Levit. iii. 12, alibique saepe, quam *Azotum* interpretati sunt, refert Stephanus de Urb. Potentissima olim Urbs a *Psammiticho* Aegypti Rege, nonnisi post obsidionis annos 29, expugnata fertur Herodoto lib. 2. cap. 157; neque nisi ingentis ope Exercitus postea a *Sargone* Assyriae Rege capta fuit, referente S. Hieronymo ad Isaj. xx. Proprii Juris facta pridem Urbs, occupata postinde a *Juda* Macchabaeo legitur apud Josephum Antiq. lib. 12. cap. 12; postmodum a *Jonatha*, una cum celebri falsi Dei *Dagonis* fano, quo de I. Reg. v. 2, quemve falsum

ſum Deum Σῖτον *Frumentarium* exponit Philo Byblius apud Euſebium Praep. Evang. lib. 1. cap. 7, quod is Deus arandi, ſerendique frumenti artem reperiſſe ferretur, qui a Graecis ideo Ζεὺς Ἀρότριος *Jupiter Aratorius* dictus legitur, ſuperſtitione ab Aegyptio *Serapi* derivata, cujuſce capiti, ob ſimile beneficium, modius imponi ſolebat, cujuſmodi poſtea ſuperſtitionis aemulis a Romanis innumeri *Frumentis* praepoſiti Dii fuere, referente S. Auguſtino de Civit. lib. 4. capp. 8, ac 21, veluti *Proſerpina* frumentis germinantibus; *Nodotus* geniculis, nodiſque culmorum; *Volutina* involumentis folliculorum; *Patelena* folliculis pateſcentibus, ſeque explicantibus, ut ſpica exeat; *Hoſtilina* ſegetibus novis ſe ariſtis aequantibus, (Aequare namque veteribus *Hoſtire* dicebatur); *Flora* frumentis efflorеſcentibus; *Lacturcia* ſegetibus lacteſcentibus; *Matuta* ariſtis matureſcentibus; *Runcina* Meſſi runcatae, ideſt e terra allatae; *Fructeſea* fructibus; *Spinia* ſpinis; *Seja* ſatis; *Segetia* ſegetibus; *Tullina* collectis tuendis &c., queis de obiter, videndique Gyraldus in Hiſt. Deor. Syntag. 1. p. 40. ſqq., atque Roſinus Antiq. Rom. lib. 2. cap. 20, ibique Dempſterus p. 252. ſqq., a *Jonatha* Macchabaeo, inquam, denuo capta, incenſa, & deleta fertur Joſepho lib. 13. cap. 8; quae poſtremo a *Gabinio* refecta, eodem Joſepho teſte lib. 14. cap. 2, *Salomae* donata ab *Auguſto* traditur ibidem lib. 17. cap. 13.

XXIII. Ex hiſce jam vero conjicere fas eſt, niſi mea me fallit opinio, *Azotiis* primum Aeram *Lagidarum*, brevi tamen, quamdiuque ~~ſub ipſorum fuere~~ poteſtate; *Syromacedonum* poſthac, ex quo videlicet ſub horum jugo poſiti ſunt; *Pompejanam* deinde; & *Auguſtaeam* denique, quum primum, atque perinde *Autonomiae* beneficio a *Pompejo* cumulati, in eoque ab *Auguſto* confirmati fuere, uſu ſucceſſive veniſſe. Sicuti vero ab *Aſcalonitis* novam vel ab *Autonomia* ſibi vindicata ſub *Alexandro Jannaeo*, vel a *Societate* cum Romanis inita Epocham inſtitutam vidimus; ſicut & a *Gazaeis* alteram etiam, *Hadrianeam* videlicet de *Hadriani* nomine adpellatam, ſive quod inſigni aliquo ab ipſo beneficio fuerint adfecti, ſive quod tum primo Palaeſtina a Syria fuerit ſeparata; ſic ab *Azotiis* beneficii cujuſpiam a *Septimio Severo* accepti gratia, memoriaque, no-

va inducta videtur Aera. Nummi enim extant *Azoti* cusi apud Vaillantium in Num. Graec. Imp. p. 92, & Harduinum in Num. Popul. illust. p. 9. cum Epigraphe in parte antica Αυτ. Και. Λ. Σεπτ. Σεουηρος Σεβ. Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Λεύκιος Σεπτίμιος Σεύηρος Σεβαστός, in parte aversa Ιουλια Δομνα Τυχη Ασωτ. *Julia Domna*, *Genius Azotiorum*. Nam *Julia*, a *Severo* in Uxorem ducta U. C. anno 941, Aerae Christianae 188, *Syra* genere fuit, testibus Spartiano in Severo cap. 3, ac Dione lib. 77. p. 874; in Syriam vero profectionem contra Parthos a *Severo* fuisse adornatam Christi anno 198, U. C. 951, testes accedunt Dio lib. 75. p. 854, ac Spartianus in Severo cap. 15, eumdemque Romae de Parthis triumphum egisse U. C. anno 956, Aerae Christianae 203. tradunt Herodianus lib. 3, & Dio lib. 76. p. 859. Epigraphe igitur illa novae indicio esse videtur Epochae alterutro ex his ab anno initae, cujusce tamen in Nummis vestigium adest nullum, idest nec anni Numeralis extat nota, nec, unde cardo auspicandus sit, alicubi constat: quod ideo magis divinando, quam certo adfirmando dictum accipi demum, intelligique velim. Judicium haud abhinc dispar ferendum est de *Gerasa* Urbe altera inter Decapolitanas haud ignobili, *Gergesa* etiam dicta, & *Gargasi*, qua de Bonfrerius p. 216, quam ita denominatam a Veteranis, qui sub *Alexandro* M. militaverant, quum Castra sequi diutius nequirent, heic sedes defixerant, refert Jamblicus Comment. in Nicomachi Arithmeticam e Codice MS. Meiboniano descriptus a Relando Palaest. illust. lib. 3. p. 597, alias p. 806. Nummi enim veteres extant apud Harduinum p. 63. *Hadriano*, & *Crispinae* cusi cum Inscriptione Αρτεμις Τύχη Γερασων *Diana*, sive *Fortuna*, sive *Genius Gerasenorum*: e qua suspicari licet *Gerasenos* ab *Hadriano* beneficio aliquo donatos novam ideo Epocham ineundam statuisse.

XXIV. Haud magis compertae Urbium aliarum sive in Pentapoli, sive in Decapoli positarum Epochae sunt, quas tamen ne taciti praetereamus, tum imprimis ipsarum Urbium, quae maximam cum superioribus habent affinitatem, suadet ordo, tum quoque maxima, quam ipsaemet habent, Epocharum probabilitas. Inter has itaque Urbes, quae Aera aliqua illu-

illuſtres videri queunt, *Rabbathama* ſe nobis offert Urbs ad Mare Galilaeae poſita, ut appictus in Nummo, quo de modo, cum piſce *Neptunus* admonet, diſtinguenda ſane tam a *Rabbath-Moab*, deinde *Areopoli* denominata, Urbe in Palaeſtina tertia conſita, quam a *Rabbathammana*, (veluti deturpatam Euſebii lectionem, *Ammon* loco ſubſtituens *Amman*, reſtituit Martianaeus, & poſt ipſum Weſſelingius Probabilium cap. 16. p. 130.), *Philadelphia* deinde adpellata, in Arabia ad ortum Peraeae collocata. In Nummo enim vero *Rabbathamae Antonino Caracallae* inſcripto, cui ſimilis extat alter *Gordiano Pio*, abſque anni tamen nota, ſcalptus, numeralis haec legitur nota EP. anni hoc eſt 105: cujus Epochae cardinem annum U. C. 846, Chriſti 93, qui fuit etiam *Capitoliadis* Urbis trans Jordanem in Peraea conſitae, quacum *Aeliam Capitolinam*, ideſt *Hieroſolymam*, peſsime confudit Harduinus, Aerae caput recte ſtatuit idem Harduinus in Num. Popul. illuſt. p. 143, & in Chron. Vet. Teſt. p. 638, ac poſt ipſum Froelichius in Num. Antiq. cap. 4. p. 47, & 49. Quid tamen in cauſſa fuerit iſtiuſmodi tam *Capitolienſibus*, quam *Rabbathamenis* inſtituendae Epochae, non adeo compertum eſt, ut ſtatui certo queat. A Graecis Colonis illuc perinde deductis ab *Hadriano*, ſuiſque pridem vivere legibus a *Domitiano* permiſsis eos fuiſſe percuſſos Nummos, in eiſque ab *Autonomia* initio ducto, ideſt U. C. anno 846, Chriſti 93. obtenta, obſignatos annos Harduinus perſuaſum habuit. Propius hinc abſuit Noriſius de Epoch. Syrom. differt. 3. cap. 9. §. 4. p. 335. ſqq., *Capitoliadi*, una cum *Autonomia*, a Romano *Capitolio*, ſive a Ludis *Capitolinis* inditum nomen opinatus. Harduini ſed enim conjecturae id officit, quod etſi *Aeliam Capitolinam* Graecos deductos fuiſſe Colonos concedamus, id de *Capitoliade* item concedere nulla nos cogit ratio. Id vero Noriſii opinioni obeſt, quod Ludi *Capitolini* a *Domitiano* inſtaurati fuerint, Cenſorino teſte de Die Nat. cap. 18, quocum conferendus Svetonius in Domit. cap. 4, anno U. C. 839, Aerae Chriſtianae 86, a quo tamen, ut ipſemet vidit, *Capitoliadis* Aera repeti nequit, duobus obſtantibus *M. Aurelii*, & *L. Veri* Nummis obſignatis ano H Ξ. 68, & Θ Ξ. 69, qui ducti ab U.C.

anno

anno 839, Christi 86, in annum inciderent Aerae Christianae 153, & 154, U. C. 906, & 907, annum idest 9, & 10. ante, quam imperium *M. Aurelius*, & *L. Verus* fuissent auspicati: qua de re plura super. Cap. V. Art. I. de Epochis Hebraeorum &c. §. XXI. sq. persequuti sumus, quae refingere modo non praestat. Jam vero alterutra etsi ex his pro *Capitoliensis* Epochae origine admitteretur opinio, neutra tamen ad *Rabbathamenam* adstruendam Aeram trahi tam recte debet, quam commode potest. Ea ergo veri mihi videtur fuisse similior novae *Rabbathamenae* instituendae Epochae caussa, quod a *Domitiano*, una cum Urbibus aliis Judaeae prius adcensitis, Syriae Provinciae fuerit Urbs isthaec contributa, una tamen suis utendi legibus Urbibus illis libertate relicta. Cujus ideo beneficii gratia, nova fuerit Epocha inducta, eaque in Nummis jactata. Quomodo novam *Gazae* ab eo, quo tum primo Palaestina a Syria fuerat separata, anno, in *Hadriani* honorem Aeram fuisse institutam paullo supra dicebamus.

XXV. Quae quum ita se habeant, novae hinc itidem habemus Urbium aliarum Epochae exordium, quod alioqui frustra alibi quaeras. Auctor nempe Josephus est Antiq. lib. 13. cap. 25, & de Bello lib. 1. cap. 9. a Judaeis sub *Alexandro Jannaeo* varias Syriae, Idumaeae, ac Phoenices Urbes, anno circiter ante Christi natalem 80, U. C. 674, fuisse occupatas, & ad Mare quidem Turrim *Stratenis*, *Apolloniam*, *Joppem*, *Jamniam*, *Azotum*, *Gazam*, *Anthedonem*, *Raphiam*, & *Rhinocoluram*, in Mediterraneis vero *Samariam*, *Doram*, *Marissam*, *Arethusam*, *Scythopolim*, *Gadaram*, *Seleuciam*, *Gabalam*, *Pellam*, *Hippum*, aliasque in Gaulanitide, Moabitide &c. Quae posthac Urbes a *Pompejo* anno U. C. 691, ante Christianam Aeram 63, qui Regibus, Urbibusque per Legatos in fidem receptis, Coelsyriam, Phoenicem, ac Syriam in Provinciam redegerat, a Judaeorum liberatae jugo, *Autonomia* donatae, suisque libere agere legibus permissae fuere, qua de re Josephus Antiq. lib. 14. cap. 4, ac Strabo Geogr. lib. 16. 521. sq. Postinde tamen *Agrippa* Junior Rex Judaeae insignes in Galilaea, Decapoli, Gaulanitide, & Traconitide Urbes tum primo a *Claudio*, tum post a *Vespasiano*, ob egregiam in bello Judai-

Judaico navatam Romanis operam, obtinuerat, Josepho referente Antiq. Jud. lib 20. capp. 5, & 9, ac de Bello lib. 3. cap. 3. Quo defuncto Rege, a *Domitiano* Urbes hasce Syriae rursus attributas, ac libertate suis utendi legibus adauctas, sive *Autonomia* donatas, novam inde Epocham instituendam, auspicandamque duxisse augurari fas est: quamvis Nummi plerumque desint, quorum ope istiusmodi confirmari augurium queat. Atque ne de Palaestinae, & Galilaeae Urbibus, queis de alibi, verba refingam, ad Urbes in Pentapoli, ac Decapoli Syriae comprehensas dumtaxat sermone reflexo, restrictoque, in hisce nova, quae in Nummis obsignata legitur, Epocha illustres occurrunt *Diospolis*, *Gadara*, *Hippus*, & *Pella*, quas prius *Autonomiae* a *Pompejo* restitutas *Pompejana* diutius usas Epocha vidimus; quaeque postea *Herodi* ab *Augusto* contributae, post ejus obitum vero Syriae Provinciae adcensitae, sed *Agrippae* rursus a *Claudio* restitutae, & a *Vespasiano* confirmatae, a *Domitiano* autem demum Syriae denuo adscriptae, novas inde induisse videntur Epochas.

XXVI. Atque *Diospoli* quidem, ita de *Jovis*, cui sane dicata Urbs fuit, nomine vel a Macedonibus Aegypti, vel a Syriae Regibus, uti Cellario Geog. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 13. p. 445. videtur, sed verius a Graecis Φιλορωμαίοις illùc a Romanis ad inhabitandum missis, adpellata, quae olim *Lydda* Judaeis dicta legitur I. Macchab. XI. 28. 34, & Act. IX. 38, junctis Josepho Antiq. lib. 20. cap. 5, ac de Bello lib. 1. cap. 5, S. Hieronymo in Epitaphio Paulae cap. 3, & in Obad. v. 19, Theodoreto Hist. Eccl. lib. 1. cap. 5, ac S. Johanne Damasceno in Epist. ad Theophilum Imp. de SS. Imagin., *Diospoli*, inquam, novam sub *Domitiano* institutam fuisse Aeram duplici ex Nummo *Septimii Severi* cum Nota ΘP. anni 109, alteroque cum Nota EP. anni 105. *Diospoli* obsignato apud Harduinum in Chron. Vet. Test. p. 638. sq., atque Froelichium in Not. Elem. Num. Antiq. cap. 4. p. 46. liquido adparet. Qui sane anni 105, ac 109. ducti ab U. C. anno 845, aut 846, Aerae Christianae 92, aut 93, *Domitiani* 12, aut 13. quadrant in annum U. C. 949, aut 950, ac 953, aut 954, Christi 196, aut 197, ac 200, aut 201, *Septimii Severi* 4, aut 5, ac 8, aut 9. Quamquam

cum

cum Belleyio Viro doctiss. Observat. in Nummos Diospolis, & Eleutheropolis Monum. Acad. Inscrip. T. XXVI. p.429. sqq. in ea opinione versatur doctiss. Josephus Khellius Soc. J. in Not. ad Haymium Thes. Britan. T. II. p. 322. sq., ut putet Aeram haud quaquam ab U. C. anno 846. ductam, veluti persuasum fuit Vaillantio, aliisque ipsum pone sequutis, ipsique Froelichio Num. Antiq. cap. 4. p. 46, littera E. deceptis, eam nempe, quae Nota Ετους *Anni* est, cum sequenti H, aut Θ, aut I, unde loco anni 8. 9. 10. effecere, littera P. perperam adjuncta, annum 105, 108, 109, in Nummis tam *Diospoli* supra memoratis, quam *Eleutheropoli* cum Notis E. H. anni 8. *Juliae Domnae*, & cum E. Θ. anni 9. *Septimio Severo* cusis apud Haymium T. I. p. 266, ac T. II. p. 322, obsignatam esse, sed annos dumtaxat *Septimii Severi* 8. 9. 10. utrobique consignari. Loco P. vero in duobus *Severi*, ac *Juliae* Nummis lecta Vaillantio, atque Harduino, unde annus 100. factus est, legendam litteram I, qua annus 10. indicatur, ex Barthelemyo, atque Belleyio jam alibi advertimus. Praefracte tamen inficias haud ire velim, quin *Diospoli*, atque *Eleutheropoli* novam sub *Domitiano* inducta fuerit Epocha; non secus atque tam *Pellae*, quam *Hippi*, ab eodem sub *Domitiano* cardine ductam, obtinuisse Aeram ex sqq. arguere fas erit.

XXVII. Atque *Pella* quidem, ab Urbe Moabitica hujusce cognominis alia, de qua Josephus Antiq. lib. 13. cap. 15, distinguenda, Urbs in Decapoli haud ignobilis, quae olim *Dium*, sive *Butis* adpellata fertur Stephano de Urb. p. 249, a *Seleuco* I. *Nicatore* postmodum exornata, deque Macedonicae *Pellae*, *Alexandri M.* patriae, Plinio lib. 35. cap. 10. teste, nomine adpellata, ab *Alexandro Jannaeo* deinde capta, ac diruta a Judaeis, quod Incolae ritus Judaicos recipere detrectassent, Josepho teste Antiq. lib. 13. cap. 23, ac de Bello lib. 2. cap. 19. postea instaurata, suis a *Pompejo* restituta habitatoribus fuit, suisque agere legibus permissa, Josepho referente Antiq. lib. 14. cap. 8: quò factum, ut *Pompejana* aliquando *Pellae* obtinuerit Aera, alibi nobis, atque Froelichio in Annal. Reg. Syr. p. 116. observatum est. *Hippus* quoque, Urbs in Decapoli altera, in Coelesyriae, Arabiaeque confinio a *Semiramide* olim condita, Stephano teste, *Antiochiae* deinde nomine, sicut & G da-

Gadara, vel a *Seleuco Nicatore*, vel ab *Antiocho Magno* adpellata, quae Judaeis in Thalmudo Hierosol. *Schevjith* fol. 3. col. 3. a Graeco Ἵππος derivata voce סוס *Sush*, hoc est *Equus*, unde gentile סוסיתה *Susitha*, Graece Ἱππηνή, velut observat Lighfootus in Chorogr. S. Matthaeo praemissa cap. 77. Oper T. II. p. 226, Ethnicis olim repleta, *Hippus*, inquam, hisce similia subjisse fata legitur apud Josephum Antiq. lib. 14. cap. 8, & de Bello lib. 1. cap. 16. A Judaeorum nempe jugo, una cum *Gadara*, *Scythopoli*, *Pella*, *Samaria*, *Dio*, *Marissa*, *Azoto*, *Jamnia*, *Arethusa* in Mediterraneis, *Joppe*, *Gaza*, *Dora*, *Turre Stratonis*, deinde *Caesarea* dicta, a *Pompejo* erepta *Hippus*, in libertatem adserta, suisque reddita habitatoribus, propriis vivere legibus permissa est. Quam ob rem *Pompejanam* diu pariter *Hippi* obtinuisse Epocham docent Nummi apud Harduinum in Num. Popul. illust. p. 18, ac Norisium de Epoch. Syrom. p. 344. sqq., queis de superiori Articulo dictum. Novam utrobique postea, hoc est *Pellae*, & *Hippi*, Epocham fuisse institutam, quantum conjecturis indulgere fas est, ex modo dicendis de *Gadara*, Josepho loc. cit. perpetuo ab *Hippo*, & *Pella* indistincta Urbe planum fiet.

XXVIII. Itaque *Gadarae*, quae in Peraea Josepho de Bello lib. 4. cap. 26. posita Urbs, in Decapoli Plinio lib. 5. cap. 18, distinguenda quibusdam apud Lightfootum in Chorog. S. Matthaeo praemissa cap. 75. Oper. T. II. p. 225, Cellarium in Geogr. Antiq. T. II. lib. 3. cap. 13. p. 543. sq., ac Relandum in Palaest. illust. lib. 3. p. 773. sq. edit. Ultraj., Norimb. p. 572. sqq. visa est a cognomine Urbe altera Palaestinae, sive ad littus Maris Mediterranei posita, olim *Gezer* III. Reg. IX. 15, deinde *Gazara* dicta I. Macchab. XIV. 34, & Josepho Antiq. lib. 13. cap. 11, de utraque vero videndus Bonfrerius in Onom. Urb. Oper. Menochii T. II. edit. Ven. p. 214. sqq., ac Buno in Not. ad Cluverii Introd. Geog. lib. 5. cap. 22. p. 695, una ex quinque Israelis totius Synedriis nobilitata, queis de Josephus Antiq. lib. 14. cap. 10, ac de Bello lib. 1. cap. 6, *Gadarae*, inquam, Cives *Vespasiano*, postquam ipsius experti iras fuissent, cum acclamationibus recepto, ei fidem obligasse suam omnem anno U.C. 822, Aerae Christianae 69. auctor

 est

est Josephus de Bello Jud. lib. 5. cap. 3. Et in duobus sane *Neroni*, ac *Vespasiano* scalptis *Gadarae* Nummis hae Numerales habentur notae ΑΛΡ. anni 131, & ΒΛΡ. anni 132; qui ducto Aerae *Pompejanae* initio ab anno U.C. 691, ante Christi natalem 63, incidunt in Christi annum 68, & 69, U. C. 821, & 822, *Neronis* postremum, ac *Vespasiani* primum. Verum huncce post annum Nummos etiam apud Patinum in Num. Imper. p. 183, 245, & 266, Vaillantium Imp. Num. p. 340. sqq., Harduinum, Norisium &c., in Cypro non modo, ut Harduinus est suspicatus in Hist. Aug. p. 737. sq, sed & in Syria, uti Norisio visum de Epoch. Syrom. dissert. 3. cap. 9. §. 1. p. 318. sq., tum a Judaeis, eosque praesertim, qui duplici *Cornucopiae* effigie insigniti sunt, tum a Syris, Graecisque, easdem cum Judaeis Urbes incolentibus, eosque potissime, qui *Deorum* imagines praeferunt, cusos, inquam, Nummos, inscriptosque constat *Vespasiano*, *Tito*, *Domitiano*, ac *Nervae* cum Epigraphe Ετους Νεου Ιερου Α. Β. Γ. Δ. Ε. ς. Ζ. Η. Θ., hoc est *Anno novo Augusti* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9, velut interpretatur Harduinus, cui Ἱερός *Sacrosanctus* idem est, ac *Augustus*, sive *Anno novo Sacro* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9, uti verior Norisii habet interpretatio. Qua proinde nova in Nummis formula usurpata nova sub *Vespasiano*, ac *Domitiano* Epocha inducta videtur, ab eo videlicet anno, quo tum a *Vespasiano* a Syria Urbes illae separatae Judaeae rursus adcensitae fuere; quove tum a *Domitiano* a Judaea distractae Syriae denuo fuere adtributæ.

XXIX. De nova demum *Abilae* etiam instituta Aera conjecturam facere, quantum ex Veteribus qua Monumentis, qua Nummis fieri potest, fas esto. Atque principio quidem quadruplex inter alias hujusce cognominis ab *Abel* derivati Urbs distingui solet, inter quas *Abel-BethMaach*, qua de Josue XIII. 13, II. Reg. XX. 19, III. Reg. XV. 20, II. Paralip. XVI. 4, ac Josephus Antiq. lib. 7. cap. 10; *Abel Keramim*, de qua Judic. XI. 35; *Abel-Meholah*, sive *Abel-Mecholah* Jud. VII. 22, III. Reg. XIX. 16. Elisaei patria; *Abel-Mitzraim*, qua de Gen L. 11, *Bethagla* deinde nuncupata S. Hieronymo de Loc. Hebr., aliaeque apud Bonfrerium in Onom. p. 160. sqq.,

ſqq., Lightfootum in Chorogr. S. Lucae praemiſſa cap. 1. ſect. 7. Oper. T. II. p. 475. ſq., & Relandum in Palaeſt. illuſt. lib. 3. p. 387. ſqq., aliàs 520 ſqq. Quatuor praeter quas, triplex adhuc diſtinguenda eſt *Abila* diligenter poſt Stephanum de Urb. p. 2. ſq., Euſebium, & S. Hieronymum de Loc. Hebr. cum Bonfrerio, Lightfooto loc. cit., Relando p. 390. ſqq., aliàs 524. ſqq., ac Cellario Geogr. Antiq. T. II. p. 371. ſq., 541, & 563, in Decapoli, ſive Galaatide una, diſtans a Gadara duodecim Milliaribus, & ipſa Viniſera Euſebio teſte, ideoque ſaepe cum *Abela-Keramim*, ideſt Graecis Ἀμπελώνων, Latinis *Vinearum* confuſa; altera in Peraea, Joſepho cum *Beſi noth*, & cum *Juliade* copulata Antiq. Jud. lib. 4. cap. 7, & lib. 5. cap. 1, ac de Bello Jud. lib. 2. cap. 22, & lib. 5. cap. 3, quae ipſa eſt *Abel-Settim*, ubi caſtramentati ſunt Iſraelitae ante tranſitum Jordanis Num. XXV. 1, & XXXIII. 49, Joſue II. 1, & Mich. VI. 5, Hebraeis שטים *Schittim* ab Arborum multitudine fortaſſis ita dicta, de qua etiam S. Hieronymus ad Mich. loc. cit., Graecis Σαττείν, Vulgato noſtro *Settim*, quod eòdem recidit. Tertia *Abila* in Coeleſyria ad Libanum conſita, *Lyſaniae* cognomento inſignita nedum S. Lucae III. 1, ſed etiam Ptolemaeo lib. 5. cap. 15, a quo inter Heliopolim, & Damaſcum collocata legitur, quade etiam Joſephus Antiq. lib. 14. cap. 23, & lib. 15. cap. 4, Polybius lib. 16. apud Joſephum lib. 12. cap. 3, Plinius lib. 5. cap. 18, Papias in Gloſſario, Itinerarium Antonini, Peutingerana Tabula, Notitia Eccleſ. Codino adnexa edit. Pariſ. p. 360, Byzant. Hiſt. T. XVIII. Ven. p. 311, & Acta Concil. Chalcedon., Hieroſolym., Conſtantinopolit. &c. Relando loc. cit. relata, apud Harduinum additis Nicaeno, & Antiocheno Concil. T. I. p. 314, & T. II. p. 579, 720, 1346, & 1418.

XXX. Prioris *Abilae* porro Decapolitanae mentio fit in Palmyrena Inſcriptione, quae num. 1. extat inter deſcriptas a Relando in Palaeſt. illuſt. lib. 3. p. 391. edit. Norimb., Ultraj. p. 525, ſive n. 3. inter editas, atque Scholiis illuſtratas ab Eduardo Bernardo, ac Thoma Smith, ubi Ἀγαθάγγελος Ἀβιληνὸς τῆς Δεκαπόλεος *Agathangelus Abilenus in Decapoli* memoratus legitur. Jam vero Nummus extat *Abilae* cuſus apud Goltzium

in Thes. p. 206, Holstenium in Not. ad Stephanum de Urb. p. 2, & Harduinum in Num. Popul. illust. p. 1. in honorem *Antonini Caracallae*, quem *Britannici* titulo decorat, ob Victoriam nempe, quam anno Aerae Christianae 209, U. C. 962. de Britannis is cum *Septimio Severo* patre retulerat. Anno itaque aut isto, quo cum *Severo* Imperii summam *Caracalla*, jam ab anno Christi 199, U. C. 952. publico Romani Senatus decreto Imperator declaratus, tenebat, administrabatque, aut biennio post, anno hoc est U. C. 964, Aerae Christianae 211, quo solus imperare cepit, *Caracallae* gratiam, Nummo cuso, aucupari, indeque novam ideo auspicari Epocham, a novo videlicet Imperatoris titulo, ob insignem de Britannis relatam Victoriam, adquisito, voluisse *Abileni* videntur; id etsi ex Nummo, ulla absque numerali anni nota scalpto, definiri, statuique certo nequeat. Quamvis autem certo neque constet, cui magis ex tribus supra laudatis Urbibus *Abilae* Nummus iste sit adscribendus, Relandi tamen Nummum ab *Abilam* Coelesyriae, sive ad Libanum Urbem referentis opinioni ut Holstenii, & Harduini eum *Abilae* in Decapoli tribuentium sententiam anteferam, id efficit profecto, quod Nummi in Coelesyriae Urbibus anni non absque nota cudi solerent. Caeterum & *Abilae* in Coelesyria, non secus atque *Chalcidis*, & *Heliopolis*, novam ab eo, quo Seleucidarum excusso jugo a *Ptolemaeo Mennaei* filio suam redactae in potestatem Urbes hae fuere; novamque ab eo rursus anno, quo *Ptolemaeo* expulso, in Arabum Phylarchi *Arethae* potestatem transductae eaedem fuere, Strabone lib. 16. p. 517, ac Josepho Antiq. lib. 13. cap. 23. referentibus, inductam fuisse Epocham aestimare fas est, quae tamen seq. Articulo diligentius examinanda dimittitur.

XXXI. De una, vel altera Palaestinae adhuc Urbe, quae peculiari insignis Epochà fuerit, paucis, quoad ejus fieri potest, agendo modo, primo se nobis offert loco *Caesaraea*, de qua delibata jam Volum. IV. Art. I. de Aeris Judaeorum &c. §. XIX. p. 409. sqq. bono nunc in lumine collocanda Aera est. Atque principio quidem *Caesaraeae* istheic, a cognomine in Syria ad Libanum Urbe, pridem *Arce* dicta, qua de unus ferme scite egit Haymius in Thes. Britan. T. I. p. 255. sqq., & T. II. edit.

edit. Vindob. 1765. p. 287, quo loci *Seleucidarum* ibi diu, ſeramque uſque ad aetatem obtinuiſſe Aeram ex Nummis oſtendit, diſtinguendae, Urbis nomine, gemina ſane venit, inſignis utraque Aera Urbs: *Caeſaraea* una *Palaeſtinae*, Turris antea *Stratonis* dicta, quae ab *Herode* deinde amplificata, exornataque, in *Auguſti* honorem inde *Caeſaraea* eſt adpellata, referentibus Joſepho Antiq. lib. 15. cap. 13, & lib. 16. cap. 9, ac de Bello lib. 1. cap. 16, Plinio lib. 5. cap. 13, & Ammiano Marcell. lib. 14. cap. 26. *Caeſaraea* altera *Philippi* in Trachonitidis finibus poſita, quae *Panias* ad Jordanis fontes, & ad Panium Montem, antea denominata, a *Philippo* poſtea exornata *Caeſaraeae* nomen obtinuit, Joſepho teſte Antiq. lib. 18. cap. 3, & ipſa diſtinguenda ſcite a *Caeſaraea* in Cappadocia ſub Argaeo Monte ſita, quae in *M. Antonini* Cimelii Medicei Nummo Ιερ. Και Ασυ. *Sacra*, & *Inviolabilis* adpellata legitur apud Holſtenium in Not. ad Stephanum de Urb. p. 154, & Cellarium Geog. Antiq. T. II. p. 526. Prior a *Veſpaſiano* Colonia facta eſt, eique poſtea Jus etiam Italicum a *Tito* indultum, Paullo teſte Leg. 8. ff. *De Cenſibus*: quae ideo in Nummis *Hadriani*, & *M. Aurelii* nobilem *Coloniae Primae Flaviae Auguſtae* titulum adſumpſiſſe legitur. Ex quo vero a *Claudio* Imp., ejuſque a fratre *Germanico* eò *Colonia* deducta eſt, unde & *Claudiae*, & *Germanicae* titulo etiam decorata legitur in Nummis aliis, novam ibi Aeram, cardine ducto ab U. C. anno ideſt 794, aut ſq., Chriſti 41, aut ſq., *Claudii* 1, aut ſq., veluti recte ab Harduino de Num. Herodiad. p. 331, & 342. ſtatuta eſt, non vero ab anno U. C. 792, Chriſti 39, uti Froelichio in Not. Elem. Num. Antiq. cap. 4. p. 47. viſum eſt, inſtitutam fuiſſe liquido conſtat ex Nummis ibi ſtatis *Claudio* cum Nota Ετους E. anni 6; *Neroni*, non *Tito*, neque *Domitiano*, ut Harduino viſum, ut oſtendit Noriſius, cum Nota L. IB. anni 12, & L. IΔ. anni 14; *Commodo* cum PΛΘ. 139; cum L. A. 1; *Fauſtinae* Commodi Matri cum L. IΘ. 19, L. K. 20, L. KA. 21, L. KB. 22; *M. Aurelio* cum EKP. 125; *L. Vero* cum L. IΘ. 19. &c. apud Harduinum in Num. Popul. illuſt. p. 39. ſq., de Num. Herod. p. 348, & in Chron. Vet. Teſt. p. 633, & 637, ubi & plures alios ibi percuſſos,

ulla

ulla tamen absque Aera, Nummos profert. Ex quibus intelligi sane datur in *Caesaraeae* Palaestinae Nummis *Flavianam* modo Aeram fuisse consignatam, *Augustorum* Imperii modo obsignatos dumtaxat annos fuisse.

XXXII. Posterior *Caesaraea*, nempe *Paneas*, a Templo in *Augusti*, non vero *Panis*, unde Πάνειον in Nummis haud Montis, bene vero Templi *Panis* esse nomen vult, ut Harduino de Num. Herod. p. 337. visum, *Augusti*, inquam, teste Josepho, in honorem ab *Herode*, (quem una cum fratre *Philippo*, non utique *Herodis M.*, sed *Zenodori* filium perperam facit Harduinus de Num. Herod. p. 329, & 336, ac in Chron. Vet. Test. p. 618.), ab *Herode*, inquam, cui ipsa Trachonitidis, & Ituraeae Regio, *Zenodoro* defuncto, tributa fuerat, exstructa Urbs haud ignobilis, quae in Nummis etiam apud Occonem p. 82, & Holstenium in Not. ad Stephanum, p. 154. sq. titulo Ιερ. Ασυ., & Νεωκορ. *Sacrae*, *Inviolabilis*, & *Aedituae* decorata legitur, a *Philippo* filio perinde amplificata, exornataque de *Augusti* nomine *Caesaraea* est adpellata, Josepho referente Antiq. lib. 15. cap. 13, ac de Bello lib. 1. cap. 16, & lib. 2. cap. 13. Ab eo itaque U. C. anno 751, Christi ante natalem 3, quo Urbs a *Philippo* dicata *Caesaris* nomine fuit, novam institutam fuisse *Caesaraeae* Aeram Nummi docent *M. Aurelii* cum Nota POB. anni 172, qui fuit U.C. 922, Christi 169, *M. Aurelii* 9; alter *Lucillae* cum eadem nota; *Commodi* cum ΡqΑ. 191, U. C. 941, Christi 188, *Commodi* 9; alter *Septimii Severi* cum Nota ΡqΘ. 199, qui fuit U. C. 949, Christi 196, *Severi* 4; *Juliae Domnae* cum CA. 201, U. C. 951, Christi 198, *Severi* 6; alter *Getae* cum nota CB. 202, qui fuit U. C. 952, Christi 199, *Severi* 7. apud Harduinum in Num. Popul. illust. p. 40; de Num. Herod. p. 330. sqq., & in Chron. Vet. Test. p. 618, quem pone sequitur Erasmus Froelichius in Not. Elem. Num. Antiq. cap. 4. p. 47.

XXXIII. Restat, ut de *Nicopoli* Urbe Palaestinae altera Aera & ipsa insigni verba faciamus. Urbs itaque isthaec in Evangelio *Emmaus*, ac deinde sub *Elagabalo* instaurata, *Nicopolis* adpellata, S. Hieronymo teste de Scrip. Eccles. in Julio Africano, scite distinguenda est ab Urbe multigena cogno-

gnomine, in Aegypto, ubi ab *Augusto* praelio superatus *Antonius* fuit, qua de Strabo lib. 17. p. 547, ac Dio lib. 51. p. 456; in Armenia Minore a *Pompejo* condita, Strabone lib. 12. p. 382, ac Dione lib. 49. p. 415. referentibus; in Bithynia, quae Plinio lib. 5. cap. ult. memorata est, a *Pompejo* ibi condita, ubi *Mithradatem* vicerat, qua de Dio lib. 36. p. 25; in Cilicia Stephano de Urb. p. 149. *Issò* dicta, ob Victoriam deinde ab *Alexandro* ibi primo de *Dario* relatam, *Nicopoli*, videndique Strabo lib. 14. p. 465, ac Diodorus lib. 17. p. 543: quam ad Urbem sane geminos referendos Nummos fore, singularem unum e Museo Equitis Abdy *Commodo* flatum cum Epigraphe Νικοπολιτων Της Σελευκιδος Ιερας C. E, quam *Sacram*, *Augustam*, & *Liberam* interpretatur, alterumque simili inscriptum titulo, censet Haymius Thes. Britan. T. II. edit. Vindob. 1765. p. 299. sq., & 310; in Lydia, sive Phrygia Salutari, de qua Not. Episcop.; in Thracia ad Nestum Amnem a *Trajano* ibi condita, ubi de Sarmatis triumphavit, adpellataque, Jornande de Reb. Get. cap. 18. teste, in qua Nummi *Commodo*, *Caracallae*, *Getae*, & *Crispinae* scalpti fuere apud Harduinum in Num. Popul. illust. p. 125, ac Spanhemium de Praest. Num. p. 889; in Thracia altera ad Haemum Montem, qua de Ptolemaeus lib. 3. cap. 11; in Epiro, quae in *Actiacae* Victoriae monimentum ab *Augusto* condita traditur Straboni lib. 7. p. 224, ac Dioni lib. 51. sub init., ubi ab *Augusto* usque ad *Gallienum* cusi Imperatoribus Nummi sunt apud Harduinum p. 125; in Moesia ad Istrum, sive Danubium, quam in Victoriae contra Dacos relatae indicium a *Trajano* conditam fuisse refert Ammianus Marcell. lib. 31. cap. 16, ibique *Trajano*, *Sept. Severo*, *Juliae Domnae*, *Caracallae*, *Getae*, *Diadumediano*, *Macrino*, *Elagabalo*, & *Gordiano* flati Nummi leguntur apud Harduinum in Num. Popul. illust. p. 125, & Holstenium in Not. ad Steph. p. 225, & Haymium Thes. Britan. T. II. p. 345 Itaque *Nicopoli* in Palaestina Urbe ab eo, quo a *Vespasiano* Colonia illò missa fuit, quove veteri mutato *Emmaus* nomine, novum de Victoria contra Judaeos relata *Nicopolis* tulit nomen, anno U. C. 824, Christi 71, *Vespasiani* 3, veteri abolita, novam, in jugem rei memoriam, institutam fuisse Aeram observat

servat doctiss. Abbas Belleyus in Dissert. de Nicopolis in Palaestina Aera Monum. Acad. Paris. Inscrip. &c. T. XXX. p. 294. sqq. Insignes nempe duo extant Nummi *Nicopoli* flati, in Museo Pembrokii alter *Trajano* cum Nota MB. anni 42. inscriptus, in D. Pellerinii Numophylacio alter *Faustinae* scalptus, atque litteris OB, anno 72. nempe consignatus: qui sane anni 42, & 72. ducti ab U. C. anno 824, Christi 71. probe quadrant in annos U. C. 865, & 895, Christianae Aerae 112, & 142, *Trajani* 15, & *Antonini Pii* 5, ante quem annum *Faustina* mortem objerat.

DE AERIS, SEU EPOCHIS

Palmyrenorum, Heliopolitarum, Damascenorum, Laodicensium, Tripolitarum, Berytensium, Bybliorum, Sidoniorum, & Tyriorum.

ARTICULUS VII.

I. SItu nobilis, solo dives, aquis amoena, vastoque Urbs undique ambitu amplissima *Palmyra*, unde toti *Palmyrenae* Regioni, haud procul ab Euphrate positae, inditum nomen est, privata sorte quidem summa inter duo Imperia Romanorum, atque Parthorum, in discordia vero prima semper in utrinque cura, Plinio descripta lib. 5. cap. 25, fatalis aeque fuit utrisque, Romanis, quod ultra eam Imperii proferre nunquam pomeria ipsi potuerint; Parthis, quod eadem durissimo sub ipsorum manere jugo diu saltem haud sustinuerit. Hebraeis porro תָּמָר *Thamar* dicta Ezech. XLVIII. 28, a *Salomone* aedificata, Moenibusque validissimis munita, (unde Stephano de Urb. p. 240. edit. Holstenii Φρύριον *Praesidium*, hoc est Militari Praesidio Urbs custodita, nuncupata legitur), *Thadamora*, quo adhuc nomine adpellatam Syris subjungit, a Graecis vero *Palmyrenam*, denominata fertur Josepho Antiq. lib. 8. cap. 2, qui id didicit utique ex III. Reg. IX. 18, & II. Paralip. VIII. 4, quocum facit pariter S. Hieronymus in Ezech. loc. cit., juncto cap. 47. v. 19, *Palmyram* inde postea nuncupatam adhr-

adfirmans, quod *Palmeta* ibi essent plurima, unde ex תמר *Thamar*, quod est *Palma* Cantic. VII. 8. sq., Joel. I. 12, Psal. XC2. 13, Plurali תְמָרִים *Themarim*, quod est *Palmae* Exod. XV. 27, Levit. XXIII. 4, Num. XXXIII. 9, ac Nehem. VIII. 16, derivata voce *Palmyra* denominata est. Repugnat his tamen Harduinus in Historia Augusta Nummis antiquis restituta Oper. Select. p.864. sq., atque fabulam esse, quae de *Palmyra* a *Salomone* aedificata refert Josephus, adfirmat, simplicesque, qui fidem ei adhibent; *Palmyram*, de qua III. Reg. IX. 18, quaerendam utique subjungens, non ultra Coelesyriam tamen, quae tota a *Palmyra* Coelesyriae ultra confinia posita, longo terrarum tractu Palaestina disterminatur, bene vero in ejusdem Palaestinae Meridionali parte, in qua tres aliae a *Salomone* Urbes aedificatae, idest *Gazer*, *Bethoron*, & *Baaloth*, eodem loci leguntur. Verum locum e III. Reg. IX. 18. petitum non ita stricte accipiendum, ut de Urbibus paullo inter se dissitis intelligi nequeat, ipsemet Harduinus videre potuit, qui *Gazer* in Tribu Ephraim, *Bethoron* in Tribu Benjamin, & *Baalath* in Tribu Dan aedificatas fatetur, queis de conferendi Bonfrerius in Onom. Urb. Oper. Menochii T. II. edit. Ven. p.174, 182, & 217, Relandus in Palaest. illust. lib. 3. edit. Norimb., quae mihi ad manus est, p.456, 472. sq., & 576. sqq., ac Cellarius in Geog. Antiq. T. II. lib. 3. p.447, 449, & 515. Jungendus & locus II. Paralip. VIII. 2. sqq., ubi de amplificato a *Salomone* Regno fit sermo, aedificatisque ab eo Urbibus, atque ex *Hirami* cessione, aut donatione, sive concessione adquisitis.

II. Et a *Salomone* utique Regnum adeo amplificatum fuisse, ut totam usque ad Euphratem Regionem obtinuerit, ex III. Reg. IX. 16. sqq., ac II. Paralip. VIII. 7. sqq. liquido constat, ut mirum proinde non sit, quod Syria quoque superior ejusdem potestati subesset, in eaque, sive in *Hamat-Soba*, alias *Syria-Soba*, haud longe ab Euphrate *Palmyra* in Regni sui confinio, suique ad Regni firmamentum condita, validissimisque munita fuerit moenibus: qua de re conferendi etiam Pineda de Rebus Salom. lib. 5. cap. 12. p.379, Sellerus in Antiq. Palmyr., Joh. Clericus Comment. ad III. Reg. IX. 18. p.394, ubi

cum Josepho haud ambigit, quin a *Salomone* condita *Palmyra* fuerit, atque Bonfrerius in Onom., ubi p.264. negat utique *Thamar*, de qua Ezech. cap.47. v.19, & cap.48. v.28', esse *Palmyram*, attamen p.245,& 267.a *Palmyra* haud distinguendam *Thadmor*, sive *Thermoth* fatetur, (qua in re fallitur egregie, quum neque a *Thamar* distinguenda *Thermoth* esset), aedificatamque procul dubio a *Salomone* fuisse confitetur. Longe post hac iam vero *Palmyra* ab *Hadriano* Imp., a quo plane multas oppido tulisse nomen Urbes scribit Spartianus cap.20, sive instaurata,sive ornamentis, ac moenibus adaucta, ejus de nomine *Hadrianopolis* cognominata refertur Stephano loco supra cit., videndusque Buno in Not. ad Cluverii Introd. Geog. lib.5. cap.22. p.696. Quod confirmat Inscriptio Palmyrena, qua de infra, ubi *L. Aurelius Heliodorus* cognominatus *Hadrianus*, idest Sponio interpretante, *Hadrianensis*, sive *Hadrianopolitanus* legitur. Colonia facta deinde a *Caracalla*, uti Sellero videtur, Ulpiano refertur lib.50. ff. tit.15. *De Censibus* L.1, atque conspicitur in *Caracallae* Nummo apud Goltzium p.241, & Harduinum p.129, videndusque Pancirolus in Not. Dignit. Imp. Orient. capp.48, & 147. Ab *Odenatho* populari adversus Parthos in fide Romani Imperii *Palmyra* strenue perinde servata est, Persarum Rege *Sapore* profligato, indeque meruit is, ut egregius Imperii vindex a *Gallieno* in Imperii societatem adscitus, Imperator *Odenathus* anno U.C. 1017, Aerae Christianae 264. audiret. Quo vita functo, seu interfecto, ab ejus Conjuge *Zenobia*, virilis animi foemina, Imperii summa in se, filiumque *Vaballathum* transducta ab anno Christi 267, U.C. 1020, Syriae totius, Aegypti, Cappadociae, Ancyrae Galatiae accessione, imo amplificata est. Qua demum ab *Aureliano* Imp. anno U.C. 1026, Aerae Christianae 273. subjugata, & capta, una cum Provinciis occupatis, Regioneque universa, Romani sub Imperii redire jugum *Palmyram* oportuit. Tum vero servata Urbs, rebellante *Antiocheo*, qui *Achillaeus* dictus est Vopisco, ab *Aureliano* recuperata, deleta est; cujusce subinde jussu reparata quidem est, in eaque *Solis* imprimis Templum instaurari, restituique jussum, ingenti ad expensas auri, argenti, gemmarumque

que adjecto pondo, missoque Roma Pontifice, aegre tamen adeo, ut sub *Justiniano* majorem adhuc partem deserta suis jacere in ruderibus videretur: queis de variis *Palmyrae* fatis plura Trebellius Pollio in Gallieno cap.12, in Salonino cap. ult., & in Aureliano cap.26., Zosimus lib.1.capp.39, 44. sq., 50, 54. sq., & 61, Zonaras, & Vopiscus in Aurel. capp.26. sq., & 31, ac Procopius de Aedif. Justin. lib.2. cap. ult.

III. Ad Epochas jam quod attinet, *Palmyrae* usurpatas tam Volum.III.Art.V.de Mens. & Annis Gazeorum, Palmyrenorum &c §.111.sq., p.256. sq., quam hoc ipso Volum.V. Art.I. de Aeris, seu Epochis Syrorum, Syromacedonum &c. §.xi. p.298.sqq., aliquando, diuque *Palmyrae* frequentatam *Seleucidarum* fuisse Aeram triplici ex Inscriptione Palmyrena apud Sponium, & Gruterum, Bernardum, ac Smithum, Cuperum, & Huetium abunde palam est factum. Posthac vero sub *Hadriano*, ex quo ipsius de nomine *Hadrianopolis* adpellari cepit, nova *Palmyrae*, in *Hadriani* honorem, seu ad ipsius gratiam aucupandam, seu in accepti beneficii memoriam, instituta Epocha videri facile posset. Verum *Palmyrae* usque ad imperii *Maximini* annum 1, U.C. 988, Christi 235. *Syromacedonum* Epocham obtinere non desiisse ex Inscriptione Palmyrena apud Sponium in Rei Antiquariae Select. Quaest. dissert.3, & in Miscell. Eruditae Antiq. sect.1.Art.1. Antiq. Graec., & Roman. Suppl. Poleni T.IV. edit. Ven. p.407. sqq., & p.650. sqq., Gruterum Inscript. p.86, Norisium de Epoch. Syrom. dissert.2. cap.3. §.2. p.127.sq., & in Actis Erudit.Lips. Suppl. T.III. sect.3, de qua etiam Petitus, Gallandius, Massonus, Sellerus &c., evidentissime constat. Ibi namque Lapis a *L. Aurelio Heliodoro Hadrianaeo* Diis Patriis *Aglibolo*, & *Malachbelo* pro sui ipsius, Uxoris, filiorumque salute dedicatus Mense *Peritio*, idest Februario, Ετους ΖΜΦ. anno 547. legitur, qui ducto initio ab U.C. anno 442, ante Christi nathlem 312, Seleucidarum 1, in annum probe incurrunt Aerae Christianae, ut innui 235, U.C. 988, Imperii *Maximini* 1. Postinde tamen, ex quo nempe *Odenatho* defuncto, Orientalis Imperii regimen ad se, filiumque *Hermiam Vaballathum* rapuit ejus Conjux *Zenobia*, *Septimia* cognomine, quippe

 quae

quae *Septimii Severi* proneptis esset, virilis, viroque paris animi foemina, bellicaque fortitudine illustris, tum primum, atque deinceps novam *Palmyrae* adhiberi Aeram occepisse, initio ducto ab eo, quo ipsa cum filio Imperium fuerat auspicata, U. C. idest anno 1020, Aerae Christianae 267, docent, aut ego fallor, aperte Nummi *Palmyrae*, (ut de Nummis *Odenatho* flatis, aut Numerali absque nota, aut cum nota anni Numerali L. Γ.3, & L.Δ.4. apud Occonem, Goltzium, ac Mediobarbum, quos pseudepigraphos esse recte vidit Froelichius de Familia Vaballathi p. 33, nihil heic ingeram), tam *Vaballatho*, quam *Zenobiae* scalpti apud Mediobarbum p.386, & 407, Tristanum T.III. p. 212, Patinum in Ind. p.29, & 429, Occonem p.485, & 495, Seguinum p.62, Harduinum in Hist. Aug. p.862. sqq., Jacobum de Bary in Epist. ad Relandum Palaest. illust. p.701, aliàs 949.sq., Bandurium in Num. Imp., ac Froelichium loc. indic. p.34. sqq.; qui geminum sane distinguendum putat *Vaballathum*, Patrem cognomento *Athenodorum*, qui a Patre *Odenatho* non e *Zenobia* utique, sed e priore Conjuge altera progenitus fuerit, atque filium cognomine *Hermiam*, qui a Patre Imperii Collega adscitus fuerit, atque ab *Aureliano* vice Caesaris Romani Imperii destinatus Rector, veluti legendum VCRIMDR & ipse putat, idem fuerit. Nummos equidem *Palmyrae* cusos negat Harduinus, quod in his cum *Vaballathi* effigies *Aureliani* compareat; neque *Palmyra* Parthis, neque Romanis paruerit, sed proprii fuerit Juris; bene vero ad Palaestinam esse referendos, quod indicio sit *Palmae* arboris effigies Nummis insculpta, quae Palaestinae, aut Phoenices symbolum est, *Palmyrae* nequaquam, utpote quae, Plinio teste, vasto undique ambitu arenis includeret agros. Verum pede utroque claudicat utraque isthae Viri doctiss. conjectura; & primo quidem *Palmyram* Romani Imperii potestati subjectam fuisse sub *Onedatho* id ostendit, quod ob Urbem, ac Regionem a Parthis egregie defensam, & contra *Saporis* conatus in fide Romani Imperii servatam, Imperii socius is a *Gallieno* adscitus fuerit. *Palmyram* vero, unaque Regionem, unde nomen ab Urbe ortum, a *Palmetis*, quae in Regione plurima essent, denominatam

natam fuiſſe teſtem locupletem paullo ſuperius audivimus S. Hieronymum in Ezech. XLVII. 19, & XLVIII. 28. Neque adeo deſerta, aridaque tota Plinio Regio dicitur, quin aquis ditata amoenis etiam adfirmetur, ideoque *Palmyrae* magis, quam *Palaeſtinae* ſymbolum quin *Palma* dicatur, nihil omnino prohibet. Itaque cum Jacobo de Bary, aliiſque peritis Bandurio, Froelichio &c., Nummos *Palmyrae* adſcribendos ut perſuaſum habeam inde cogor, quod veri fieri haud parum ſimile videatur, ut non *Palmyrae*, ubi rerum ſumma potiebantur, bene vero in Palaeſtina, ubi nulla pars ipſis poteſtatis inerat, percuſſi *Zenobiae* Matri, filioque *Vaballatho* Nummi fuerint.

IV. Hiſce praehabitis, quod jam ad Nummos ipſos pertinet, ex his unum profert e Muſeo Collegii Pariſ., ac P. Chamillartii Harduinus, ubi in parte antica caput exhibetur laureatum *Aureliani* cum ejuſdem nomine, annique nota A. I, in poſtica vero cum inſcriptione Αυτ. Ερμιας Ουαβαλαθος Αθηνου. *Imperator Hermias Vaballathus Athenae*, (ſive *Athenodori*, uti Froelichius interpretari maluit), filius, ejuſque laureato pariter capite, Numerales habentur notae L. Δ. anni 4: qui ductus ab U. C. anno 1020, Aerae Chriſtianae 267, quo cum *Zenobia* Matre imperium auſpicatum *Vaballathum* diximus, in annum incidit Chriſti 270, U. C. 1023, *Aureliani* I: quo nihil ad novam hancce, qua de agimus, *Palmyraenam* adſtruendam Epocham deſiderari luculentius poteſt. Quae tamen altero magis confirmatur *Aureliani* Nummo, in quo cum littera Z. legitur *Vaballathus* cum epigraphe, VCRIMPR, ut adfirmat Harduinus in Hiſt. Aug. p.862, ac de Nummis Seculi Conſtantini p.423, & 467, quam interpretatur *Vice Caeſaris Rector Imperii Romani*, litteram vero Z. notam vult eſſe *Tributi Septimi*. Sed utrobique lapſus, veram Nummi utriuſque loci haud aſſequutus lectionem mihi videtur. Bimardo de la Baſtie namque, Rei Nummariae Viro utique peritiſſimo, teſte in Annot. ad Joberti Scient. Num. in Novis Detectis §.8. T.II. edit. Ven. p.235, in omnibus Latinis *Vaballathi* Nummis VCRIMOR legitur, O videlicet loco P, (quas tamen litteras parum diverſe ab Harduino interpretari licebit, ideſt *Vice Caeſaris Rector Imperii Orientalis*, quas ipſe-

ipſemet verius in Num. Popul. illuſt. p. 129. ita fuerat interpretatus, qua proinde ab interpretatione perperam abſcedendum duxit in Hiſt. Aug. p. 862). Nota vero numerali Z. *Tributum* indicari *Septimum* gratis Vir doctiſs. fingit; notari enim *Vaballathi* annum tum ex ſimili *Zenobiae* Matris Nummo, alteroque ejuſdem *Vaballathi*, queis de modo, conſtat, tum ex calculo, nam ab anno U.C. 1020, Chriſti 267, novae, ut innui, Epochae cardine, ductus annus 7. pro imperii *Vaballathi* anno indicat Chriſti annum 273, U.C. 1026, *Aureliani* 4. Id magis adhuc patet, ut innui, octo ex Nummis aliis cum *Vaballathi*, tum *Zenobiae* apud Patinum p. 29, ipſum Harduinum, qui eos protulit ex P. Chamillartii Cimelio, Bandurium, ac Froelichium. In duobus enim *Vaballathi* Nummis in anteriori parte, cum *Aureliani* capite laureato, ejuſque Inſcriptione, litterae habentur L. B. anni 2, & L. Γ. anni 3. nota, in poſteriori vero cum *Vaballathi* epigraphe notae comparent L. E. anni 5, & L. ς. anni 6: qui *Vaballathi* imperii anni 5, & 6, facto ab U. C. anno 1020, Aerae Chriſtianae 267. initio, ut ſaepe dixi, in annum quadrant Chriſti 271, & 272, U. C. 1024, & 1025, *Aureliani* 2, & 3. Utrique huic *Vaballathi* Nummo gemini alii cum notis L. Z. anni 7, & L. H. anni 8. ejuſdem *Vaballathi* nomine inſcripti apud Occonem &c. junguntur: quorum attamen de ſinceritate valde dubitat Froelichius, quod *Aureliani*, qui annis 5. dumtaxat Imperium tenuit, extra tempora excurrant. Duos jam vero hiſce ſimiles *Zenobiae* inſcriptos delinearunt Nummos Patinus p. 429, Occo p. 485, Seguinus p. 62, Jacobus de Bary apud Relandum p. 701, ipſeque Harduinus p. 863. ſq., in quibus *Zenobia* cum *Septimiae* cognomento CEB. *Auguſtae* titulo decorata legitur, ac Numerales habentur notae L. E. anni 5, & L. Z. anni 7: qua poſteriori littera *Tributum* haud utique *Septimum*, ſed ſeptimum *Vaballathi* annum deſignatum videre demum Harduinus coactus eſt. Quamquam poſteriorem huncce *Zenobiae* Nummum, anno L. Z. ſeptimo notatum, ſpurium, atque quopiam a falſario lucri cupido conflatum reputat, fabricae ratione a genuinis diverſae habita, Illuſtriſs. Baro Philippus de Stoſch relatus Khellio in Not. ad Froelichium de Familia Vaballathi p. 38.

V. His

V. His ex Nummis itaque, ut jam orationi vela colligamus, abunde, puto, fit evidens 1.° ab anno 4. initi in Oriente Imperii a *Zenobia*, & a *Vaballatho*, quod Imperium anno ideſt U. C. 1020, Aerae Chriſtianae 267. a Matre, Filioque initum fuiſſe vice plus ſimplici diximus, quolibet deinceps anno 5, 6, & 7. Nummos *Palmyrae* cuſos fuiſſe, inſcriptoſque tam utrique Imperium Orientale adminiſtranti *Zenobiae*, ac *Vaballatho*, quam *Aureliano*, apud quem Occidentalis ſumma ſtabat Imperii: quod inde factum augurari fas eſt, cum ut novo Occidentis Imperatori adblandirentur, eumdemque ſibi gratia obligarent, tum ut etiam Imperii vtriuſque foedus veluti, copulataque ſimul potentia adverſus Parthos oſtentaretur: quò proinde factum, ut nonniſi *Zenobiae*, & *Vaballathi* imperii annus 4. in Nummis primum obſignatus compareat, utpote qui primus fuit Imperii ab *Aureliano* incepti. 2.° Poſt annum 7. Imperii *Zenobiae*, ac *Vaballathi*, poſt ideſt U. C. annum 1026, Aerae Chriſtianae 273, *Aureliani* 4, *Palmyrae* Nummos non amplius cuſos, inſcriptoſque *Zenobiae*, ac *Vaballatho* haberi ideo, quod, opinor, eo ipſo *Aureliani* anno 4, Chriſti 373, U. C. 1026. ab *Aureliano*, una cum *Palmyrae* Urbe, filioque *Vaballatho*, capta *Zenobia* regnandi finem, Romam in triumphum ducta, fecit. 3.° Cum anno itaque Aerae Chriſtianae 267, U. C. 1020, novi videlicet a *Zenobia*, & a *Vaballatho Palmyrae* initi Orientalis Imperii anno 1. novam *Palmyrae* inſtitutam fuiſſe, eamque Nummis inſcalpi Epocham anno ejuſdem Imperii dumtaxat quarto, ideſt U.C. 1023, Chriſti 270, *Aureliani* 1. incepiſſe; neque Epocham hancce annos ultra ſeptem duraſſe, hoc eſt uſque ad annum U. C. 1026, Aerae Chriſtianae 273, *Aureliani* 4, quot nempe, non amplius, novi Imperii apud *Zenobiam*, atque *Vaballathum* ſumma ſtetit: quo in Romanum liquefacto, a nupera *Palmyrae* quoque ceſſatum confeſtim eſt Epocha. 4.° *Vaballathum* non equidem fictum hominem fuiſſe, ex *Bagnalab* ideſt pronomine, *Reginae* videlicet, quo Palmyrenis *Zenobia* adpellabatur, confictum, ut perperam opinatus eſt Caſaubonus in Vopiſcum p. 232; neque filium eum fuiſſe *Herodiani* Athenienſis, generumque *Odenathi*, ut falſo putarunt Triſtanus, ac Spanhemius de Praeſt.

Num-

Num. differt. 7. p. 298; neque *Odenathi* filium priori e Conjuge, qua de nullibi conftat, procreatum, uti perfuafum habuit Froelichius de Famil. Vaballathi p. 32. fq.; fed revera *Zenobiae* filium, veluti cum Vopifco, ac Trebellio fidem indubiam faciunt Nummi modo producti; eumque denique ab *Aureliano*, non utique Armeniae Regem fuiffe creatum, ut falfo credidit, vocem *Hermias* in *Vaballathi* Nummis perperam interpretatus Bafnagius in Hift. Jud. lib. 8. cap. 3. §. 21. edit. Hagaecomit. p. 104. fqq., fed eidem Orientalis imperii regundi vices fuiffe demandatas; quod inficiari nequivit Cuperus in Epift. ad Bafnagium loc. cit., in qua *Vaballatho* Armeniae Regnum prorfus abdicare non ambigit.

VI. Nobiles inter alias, Epochis item illuftres, Coelefyriae Urbes *Heliopolis* recenfita legitur Ptolemaeo lib. 5. cap. 15, Plinio lib. 5. cap. 22, Straboni lib. 16. p. 518, Sozomeno lib. 1. cap. 8, & lib. 5. cap. 10, in Antonini, feu Aethici Itiner., in Not. Ecclef. Leonis Sapient. Byzant. Collect. T. XVIII. p. 360. edit. Parif., Ven. p. 311, Hieroclis Grammat. ibid. T. XXII. p. 49. edit. Parif., Ven. p. 41, alibique faepe. A *Solis* cultu porro in Syria frequenti, velut *Emefae* fub nomine *Elagabali*, in Aegypto fub *Hori* nomine, Paeonibus fub *Difci* brevis longo adpofiti ligno figura, Phoenicibus *Nigri* Lapidis, five *Baetyli* fpecie ab imo rotundi, & in cuneum attenuati, Thebis fub Ἐλιεύς adpellatione, deflexa vel ex Hebraea voce אֱלוֹהַ *Eloha*, vel ex Phoenicia עֶלְיוֹן *Elion*, queis de Philo Byblius apud Eufebium Praep. Evang. lib. 1. cap. 7, Hefychius in Lex., ac Damafcius in vita Ifidori Philof. apud Photium Cod. 242. p. 1050, ibique quammaxime pervetufto, atque folemni *Heliopolim* fuiffe cognominatam haud dubium eft. Atque quod ad Urbis hujufmodi fitum pertinet, *Heliopolim* hanc ad Libanum pofitam a cognomine altera in Aegypto fita caute diftinguendam, quod haud fecit Buno in Not. ad Cluv. Introd. Geog. lib. 6. cap. 2. p. 629, non aliam fuiffe, quam Urbem *Baal-Gad*, qua de fuper. Art. IV. §. VII. fq. p. 394. fqq., difputatum eft, multis oftendere conatus eft Ikenius in Differt. Philolog. Theolog. differt 15. p. 236. fqq. contra Cellarium eam in Auranitide, vel in Trachonitide, Relandum eamdem cis Jordanem, ac San-

Sanfonium eam ad radices Libani collocantes. Urbem videlicet in Valle Libani fitam ad ortum Solis ad radicem Montis Chermon, ideft Antilibani, quo loci ponitur Jofue xiii. 5, poft Renaudotium, Harenbergium, Vitringam, aliofque laudatos Zornio in differt. de Heliopoli Libanitia Mufei Bremenf. T. II. p. 288. inferta, La Rocquium Itin. Syriac. ad Liban. T. I. p. 94. fqq., Maundrellium Itin. Hierofolym. 150. fqq., aliofque obfervat. Ad haec *Heliopolim* ficuti pridem *Baal-Gad*, ita poftmodum in hanc ufque diem *Baal-Bek* dici contra Bellonium hanc effe *Caefaraeam Philippi*, Graecos nonnullos *Nicomediam*, Zornium *Bikat-Aven* apud Amofum i. 5, Vaillantium *Hierapolim*, aliofque *Palmyram* effe putantes, contendit, tum quod & hodie Vallis Libani *Beka*, aut praefixo Articulo, *Al-Beka* nuncupetur, teftibus La Rocquio, & Maundrellio, unde Urbi *Baal-Bek* nomen etiam adhaefit; tum quammaxime quod tam in Infcriptionibus in Urbe *Bal-Bek* effoffis explicitiffime *Heliopolis* nomen legitur, velut in Columna ibidem *Diis Heliopol.* dedicata apud Monconifium, & La Rocquium p. 100, & 134, quam in Nummis, queis de modo, ibidem fcalptis apud La Rocquium p. 142, in quibus Templi, cujus fuperbiffima hodiedum in Urbe *Bal-Bek* rudera fuperfunt, effigies confpicitur, addita Epigraphe *Col. Hel.*, ideft *Colonia Heliopolitana*. Jungendi Scriptor Syrus Ifa Bar-Ali La Rocquio p. 134. laudatus, qui in Lex. Syriaco diferte teftatur hodie *Bal-Bek* olim *Heliopolim* fuiffe adpellatam, nec non R. Beniamin Tudelen. Itiner. cap. 11. p. 121. fq., ubi a *Salomone* Urbem, filiae *Pharaonis* fibi defponfatae gratia, conditam refert, eamque plane ab *Heliopoli* indiftinctam poft La Rocquium p. 96, & 190. multis fuadere Baratierius ibid. in Not. nititur. Quacum Urbe demum Ikenius §. 9. fqq. p. 245. fqq. unam pariter, eamdemque facit Urbem alteram eodem loci Cantic. viii. 11, collato cum Jofue xi. 17, & xii. 7, *Salomoni* memoratam *Baal-Haman*. Quod ut faceret, inde motus eft, tum quod ex eadem radice tam Hebraea, quam Arabica, qua *Multitudo* fignificatur tam גד *Gad*, quam הָמוֹן *Hamon* profluxerit, ut proinde in Scholiis Graecis Cant. viii. 11. Ἐν ἔχοντι πλῆθος, aut ἐν συνοχῇ ὄχλου habeatur, utrobique hoc eft *Multitudo*; tum

quod in *Heliopolim* probe quadrent, quae Cantic. loc. cit. Sacer Auctor de *Baal-Hamon* praedicat, *Vino* nempe frugiferam, quo celebrem fuisse *Heliopolim* viderunt Rogerius in Descript. Terrae Sanc. lib. 1. cap. 20, & La Rocquius Itin. T. I. p. 79. sqq.; stupenda quoque antiquitatis vestigia, Palatii, ac Templi *Soli* olim dedicati, quae hodie in Urbe *Baal-Hamon* conspicienda se praebent, testibus Auctore veteri Lexici Arab. MS. apud Schultensium in Ind. Geogr., Maundrelio Itin. p. 173. sq., & La Rocquio p. 98: quod Palatium ibi a *Salomone* aedificatum tradunt R. Benjamin Tudelen. in Itiner. edit. Constantini L'Empereur p. 57, Cherefeddinus Alì Scriptor Islemicus in Historia Timuri apud Petit la Croix T. III. lib. 5. cap. 23, ac ex Gentis traditione referunt passim Periegetae, ut Hasius in Descript. Regni Davidici, & Salomonaei p. 260, Gabriel Sionita, & Joh. Hezronita in Tract. de Nonnullis Oriental. Urbib. subjuncto Geogr. Edrisiii p. 15, ac Cotovici Itin. p. 380, & Radzivilius in Peregrin. Hierosol. Epist. 2. Quod Palatium *Balbeci*, sive *Heliopoli* pridem a *Salomone* aedificatum inficias euntes Auctores Hist. Univ. Mundi Par. II. Vers. 176. in Not. idcirco, quod eo in Palatio sculptae passim fuerint Deorum, ac Dearum, *Arionis*, *Tritonum*, *Famae*, & *Cupidinis* Imagines, quin & Inscriptiones adpositae cum Graecae, cum Latinae, quae *Salomonem* certe auctorem habere nequiverint, Ikenius refellere nititur, respondendo Hebraeis haud vetitum Imagines ex historia fabulosa petitas ad ornatum in parietibus scalpere; quod ipsum ex Seldeno nos alibi palam fecimus; ad haec Imagines fortassis illas aut Hieroglyphicas fuisse, aut fortasse Virorum, ac Foeminarum Principum, non falsorum Numinum; ac denique tam Imagines illas, si revera falsorum Deorum fuere, quam certissime illas Inscriptiones opus fuisse non *Salomonis*, sed longe sequioris aetatis a Syris, aut Graecis, aut Latinis adjectum.

VII. Quod ad Epochas *Heliopoli* usurpatas nunc attinet, haud dubium est, quin tandiu *Seleucidarum* Aera ibidem obtinuerit, quamdiu Syromacedonum imperio Urbs ipsa mansit obnoxia. Ast enim auctor est Strabo lib. 16. p. 517. Antiochis fratribus *Grypo*, ac *Cyziceno* mutuo se bello lacescentibus, Sy-

riae

riae plures in partes diſtractae, dilaceratacque, ſicut alias ad ſe rapere Arabiae Dynaſtae feſtinaverant, ſic haud parvam, ignobilemque raptam fuiſſe a *Ptolemaeo Mennaei* filio, quem Chalcidis, Marſyae, Ituraeae, Heliopolis, Abilae potitum, novo locum Imperio, Chalcide defixa ſede, feciſſe refert. Quod tandiu duravit, quoadusque a *Pompejo*, fugatis undique e Syria Tyrannis, atque pleriſque *Autonomia*, libertateque Urbibus reſtituta, pars reliqua in Provinciam anno U.C.690, ante Chriſti natalem 64. redacta fuit. Quò factum eſt ſane, ut veteri, ſiqua fuit uſurpata ſub *Ptolemaeo*, antiquata Epocha, *Pompejana* inducta fuerit, qua de ſupra fuſe dictum eſt. Coloniam deinde, & quidem Juris *Italici*, ſi Vaillantium audias in Num Colon. T.I. p. 228, & T.II. p. 32, 81, 93, 237. &c., quem alioqui conſentientem habere Ulpianum poſt videbimus, ab *Hadriano* factam, deducto illuc Milite *Legionis* VIII, ex Nummo *Hadriani* litteris obſignato *Col.* H. *Leg.* H. arguit Harduinus in Num. illuſt. p.65, primum H. *Heliopolim* interpretatus, poſteriorem Graecam litteram, qua numerus 8. indicetur. Verum an ultimo H. in Latino Nummo ſignificetur numerus 8, ac primo H. *Heliopolis*; an potius tam priori H. *Hiſpalis*, quam H. poſteriori Legio *Hiſpanica* denotetur, valdequam vereor. Utque verear, id efficit ſane, quod Ulpiano referente lib. 50. §. *De Cenſibus* tit. 15. L. 1, *Heliopolis* a *Septimio Severo* Juris *Italici* Colonia facta fuerit, una cum aliis in Phoenice, Syria-Phoenice, ac Coeleſyria Urbibus Ptolemaide, Tyro, Beryto, cui antea idem ab *Auguſto* beneficium fuiſſe collatum refert, Laodicea, Emeſa, alibique aliis, quas eodem loci recenſet. Quo ex loco recte quidem colligit Harduinus contra Triſtanum de Sanctamantio T.II. p.105, quem in ſententia pone ſequutus eſt Sertorius Urſatus de Notis Roman. Antiq.Rom.Graevii T.XI. edit. Ven. p.631, heic Aegyptiam intelligi *Heliopolim* debere putantes, de Urbe *Heliopoli* in Coeleſyria loquutum Ulpianum, ideoque ad hanc referendos Nummos *Severi*, *Caracallae* &c., *Heliopoli* cum Coloniae titulo ſcalptos: qui tamen inde colligere quoque debuerat, *Heliopolim* non ante ab *Hadriano*, ſed poſt a *Septimio Severo* Coloniae titulo fuiſſe decoratam. Aſt enim aliis in Nummis *Caracallae*, *Getae*, *Juliae Domnae*,

 Me-

Macrini, *Philippi* utriusque, *Octaciliae Severae*, *Valeriani*, & *Gallieni* apud Patinum p. 281, 298, & 317, Tristanum T.II. p. 106, & 261, Occonem p. 441, Cuperum p. 208, Vaillantium in Num. Colon. T.II. p. 37, & 231. ac Harduinum p. 65. sq., & Hist. Aug. p. 807. *Heliopoli* cusis, una cum titulo *Col. Jul. Aug. Fel.*, hoc est *Coloniae Juliae Augustae Felicis*, Genius etiam Civitatis cum Turrito, ac velato, quod *Autonomiae* symbolum esse saepius indicavi, conspicitur, in exergo vero epigraphe isthaec habetur: *Cert. Sacr. Cap. Oec. Isel. Hel.*, idest *Certamen Sacrum Capitolinum Oecumenicum Iselasticum Heliopolitanum*. Quò fieri videtur, quod post *Severum Heliopolis* a *Caracalla* de *Juliae* Matris nomine *Juliae Augustae* titulo decorata, Agones quinimo Capitolinos, Oecumenicos, & Iselasticos agitandi jure adaucta, quin insuper *Eleutheriae* privilegio, suisque agendi legibus potestate exornata fuerit. Quò fuisse ideo factum, ut inde nova instituenda *Heliopolitis* visa fuerit Epocha, siquis existimet, eum ab vero procul haud abhorrere ego putaverim, qui animo reputo *Chalcidis*, quae *Ptolemaeo Mennaei* filio novi Regni facta sedes fuerat, cuique veluti Metropoli suberant *Abila*, & *Heliopolis*, ex quo a *Domitiano Flaviae* cognomen, & *Quinquennales* agendi ludos facultatem impetravit, inde novam inductam fuisse Aeram, qua de super. Art. V. §. XIV. sq. p. 371. sqq.; qui reputo a finitimis Ptolemensibus, Emesenis, Laodicenis, Sidoniis, Damascenis, Berytensibus, Tyriis, Bybliis &c., quarum Urbium aliquibus aut idem a *Severo* Coloniae Jus factum supra ex Ulpiano percepimus, aut pridem, sive posthac *Eleutheriae* privilegium indultum fuit, novas fuisse Epochas institutas palam aut suo jam factum est loco, aut facere confestim adgredior.

VIII. Atque de *Damasco* antea ut dicamus, Geographiae postulat ordo, juxta quem *Heliopoli* proximior Urbs isthaec Ptolemaeo, Straboni, Plinio &c. statuta legitur. *Damascus* itaque antiquis tam Sacris, quam profanis Scriptoribus celebrata, quae Juliano in Epist. 24. p. 145. ad Sarapionem *Jovis Urbs*, (quo sane de nomine Ἱερὰ, adjecto Ἀσύλου titulo, dicta in Nummis etiam *Caracallae*, *Elagabali*, & *Alexandri Seve-*

Severi legitur apud Tristanum T. II. p. 238, Patinum p. 308, Holstenium in Not. ad Stephanum p.90. sq., Harduinum p.48, ac Norisium de Epoch. Syromaced. p. 93. sq.), *Jovis Urbs*, inquam, totius *Orientis Oculus* denominata, ceteras Syriae-Coele Urbes fontium nitore, Fluviorum multitudine, Sacrorum elegantia, Terrae ubertate, Temporum anni oportunitate, Templorum magnitudine superasse, & antecelluisse adfirmatur, a *Baccho* Indorum domitore condita quibusdam fertur apud Stephanum de Urbib. edit. Holsten. p. 90. sq.; quibusdam ab *Asco* Gigante, a *Jove* postea interfecto, quo de Tzetzes ad Dionysium p. 113, ac Damascius in vita Isidori Philos. apud Photium in Bibl. Cod. 242. edit. Schotti p.1062; aliis a *Damasco* Rege, unde nomen acceperit, cujus in honorem a Syris *Arathis* ejus Uxoris sepulcrum pro Templo habitum fuisse refert Justinus lib.36. p. m. 322; aliis a *Damasco Eliezer*, quo de Gen. xv. 2, sive de *Damasci Eliezeris* famuli nomine ab *Abrahamo* aedificata, & adpellata, ut communis Orientalium fert opinio apud Herbelotum in Bibl. Orient. p.16, & 282. sq.; quam sequitur Fourmontius in Reflex. Crit. ad Hist. Vet. Popul. T. I. lib. 2. cap. 5. p. 74, refellit vero Lightfootus in Chron. Temp. Oper. T. I. p. 112; sed verius condita fuit ab עוץ *Utz* *Arami* filii *Semi* quatuor filiorum primogenito, de quo Gen. x. 23, referente S. Hieronymo in Quaest. Hebr. ad cit. Genes. locum, ex quo עוץ *Utz*, mutatis צ, & ט, factum est Arabum גוטה *Gauta*, praefixoque Articulo الغوطة *Algauta*, Damascenae Vallis nomen in Versione Arabica, & Chaldaica Paraphrasi Gen. xIv. 15, ac Numer. xxxIv. 6. Quò facit etiam Nubiensis Geographus Clim. 3. Par. V. *Damasci* vallem *Algautae* nomine adpellans, ejusque spatium duabus stationibus in longitudine, unaque, in latitudine definiens; videndique Bochartus in Geogr. Sacr. Par. II. lib.2. cap.8. Oper. T. II. p. 80. sq., & Holstenius in Not. ad Stephanum de Urbib. p.90. sq.

IX. Jam vero isthaec *Damasci* fata fuere. Proprii primum Urbs juris fuit, suisque agens Legibus; quoadusque ab Indigena caeteris potentiore *Benhadado* in potestatem, una cum ingenti Syriae parte, suam transducta est, velut indicatur III. Reg. xv. 18. sqq. Sub *Davidis* aetate porro, ante quam *Damascus*

scus necdum Syriae caput erat, tum primo adpellata Isajae VII. 8, in sex Syria divisa Regna erat, *Aram-Sobae*, *Aram-Beth-Rebobi*, *Aram-Maacha*, *Aram-Istob*, *Aram-Hemath*, & *Aram-Damasci*, uti liquido adparet ex II. Reg. VIII. 3. sqq., & X. 6. sqq., ac I. Paralip. XVIII. 3. sqq., & XIX. 6. sqq., (ut de *Aram-Nabaraim*, ac de *Aram-Paddan*, qua gemina adpellatione una significatur *Mesopotamia*, nihil dicam), ubi in *Hemath* Urbe hoc est, ut videtur, non in Regione *Soba*, de qua I. Paralip. XVIII. 3, sed in Regione citra Libanum ad Septentrionalem Chananaeae limitem posita, qua de Num. XIII. 21, III. Reg. VIII. 65, Hierem. XXXIX. 5, & Ezech. XLVII. 16. sqq., regnasse *Thou*, hujusque filius *Aduram*, sive *Joram* leguntur; in *Soba* vero *Robob* imperasse, hujusque filius *Adarezer*, (quocum perperam *Adadum* Damasci Regem confudere Marshamus in Can. Chron. Seculo XIII. p. 345. sq., ac Fourmontius in Reflex. Crit. ad Hist. Vet. Popul. T. II. lib. 3. cap. 14. p. 280.), a quove in Regnum unum conjunctum fuit *Rehobum*, & *Sobam*, queis postea *Paddan*, *Istob*, & *Nabaraim* ex parte saltem adcessere: quò facit Psalmi LIX, Hebraeis LX. titulus cum III. Reg. VIII. 3. comparatus. *Damasci* jam vero Rex *Benbadadus* hujusce nominis primus ipse est, qui Nicolao Damasceno apud Josephum Antiq. lib. 7. cap. 6. *Adadus* dicitur, primusque, qui *Damasco*, & *Maacha*, III. Reg. XV. 20, reliquaque Syria, praeter Phoenicem, potitus novo exordium imperio fecit: post quem ejusdem posteri decimam usque ad Generationem a patre, una cum imperio, nomine quoque accepto, imperasse referuntur. *Adadi* namque cognomen *Damasci* Regibus commune fuisse, a *Sole* mutuatum, uti sunt e *Caelo* petiti Orientalium plerique Regum tituli, eoque *Solem*, veluti *Deorum Unum*, qui tum nempe genere *Unus* est, tumque decore, & efficacia, designari jamdiu observatum est Macrobio Saturnalium lib. I. cap. 23, ante quem *Adodi* nomine *Deorum Regem* indicari ex Sanchoniathone retulit Philo Byblius apud Eusebium Praep. Evang. lib. I. cap. 7.

X. Quamquam laudato Regum loco siquidem *Benadadus* dicatur *Tabremonis* filius, itteque filius *Hezionis*, qui & ipse filius erat fortasse *Razonis* filii *Eliadae*, quo de III. Reg. XI. 23,

23, nisi a *Razone* non alius ipse sit *Hezion*, veluti Marshamo in Can. Chron. Seculo XIII, p. 346. visum est, conjecturam inde facere licet, quod primus *Damasceno* Regno initium dederit *Hezion*, atque fortassis ante hunc *Razon*, nisi ab hoc indistinctus sit ille, istumque ante imo *Eliada*, post illum vero *Tabremon*, tertiusque, ac forte quintus, *Benadadus*. Hunc in Regno excepit *Hazael*, cui una, ac ejus decessori *Adado*, ob Templa *Damasci* aedificata, Divinos fuisse a Damascenis honores decretos auctor est Josephus Antiq. lib. 9. cap. 2, quocum gravia fuisse postea bella *Joram*, *Jehu*, & *Joachaz* Regibus Israel, *Joram*, *Joas*, & *Achaz* Regibus Juda liquet ex IV. Reg. VIII. 12. sqq., X. 32. sq., XII. 17. sq., & XIII. 3. sqq. Huic vero successit *Razin*, isque postremus Syriae Regnum *Damasci* tenuit: ab Assyriae namque Rege, a Rege Judaeae *Achazo* ingenti auri pondere sollicitato, *Theglathphalasare* capta *Damasco*, vastataque, ipsoque *Razin* Rege interfecto, Urbis habitatores in Cyrenem translati leguntur IV. Reg. XVI. 7. sqq., juncto Isaja VII. 8, & XVII. 1. Assyriis posthac in Persarum redactis potestatem, *Damascus* restituta est, ubi *Darius* regiam deposuisse Gazam, quae cum Urbe deinde ab *Alexandro* occupata, fuisse pecuniae talentorum 2600, facti Argenti pondus 500. aequantis, traditur Q. Curtio lib. 3. cap. 25, ac Plutarcho in Alex.; quo defuncto sub Seleucidarum dominio per annos ultra 200. permansit. Donec fatalibus inter *Antiochos* fratres *Grypum*, & *Cyzicenum* discordiis factum est, ut *Damascus* tum primum ab *Antiocho* **XI.** ***Philadelpho***, tum paullo post ab ipsius fratre *Philippo* occuparetur. Quorum discordia pertaesi *Damasceni*, aliundeque a *Ptolemaeo Mennaei* filio Chalcidis Phylarcho sibi pertimescentes, ad Arabes se se convertere, sequemet cum Urbe, ac Coelesyria eorum Regulo *Arethae* sponte tradere sua e re duxere, Josepho teste Antiq. lib. 13. cap. 23, aliàs 19. Postinde vero a *Pompejo* anno U. C. 690, Christi ante natalem 64, *Tigrane* Syriae Regno mulctato, e Coelesyria *Aretha* Rege ejecto, eodem referente Josepho Antiq. lib. 14. cap. 4. sq., inque Romanam Provinciam Syria, Coelesyriaque redacta, Romanus *Damasco* Praeses impositus scribitur Josepho eodem lib. 14. cap. 20, ac S. Hieronymo in Isajae cap. 17.

cap.17. Ab *Augusto* alteri *Arethae* denuo reddita *Damascus* arguitur ex Apostolo II. ad Corinth. XI. 32; quae paullo post a *Trajano* Syriae, ac postremo Syro-Phoenice ab *Hadriano* adjecta fuit, Spartiano in Hadr. cap. 14, ac Tertulliano adverf. Judaeos cap.9. testibus.

XI. Atque isthaec varia *Damascenae* Urbis fuere fata, juxta quae varias *Damasci* frequentatas fuisse Aeras arguere fas esset, nisi certo aliunde constaret ad seram usque aetatem a *Syromacedonica* adhibenda Epocha *Damasci* haud fuisse cessatum: quod suo abunde loco palam est factum. Et Viris quidem doctiss. Harduino, Norisio, Longuerue &c. *Damascenos* a Seleucidarum Aera nunquam abscedisse ita persuasum fuit, ut quamlibet ipsis alteram penitus ignoratam fuisse Epocham putent. Verumtamen geminos tum ipsemet Harduinus in Chron. Vet. Test. p.587, & 599. e Thesauro Regio, ac Foucaltii Museo, tum etiam Froelichius in Annal. Reg. Syr. p.115. ex Havercampo ad Josephi Opera, atque ex Cimeliis Favvkneri, Morellii, ac Liebei proferunt *Arethae* Regis Nummos, quorum unus numerali quidem caret anni nota, alter vero in parte antica caput *Arethae* exhibet cum Epigraphe Βασιλεως Αρετου Φιλελληνος *Regis Arethae Graecorum Amici*, in postica vero *Mulieris* sedentis effigiem, sive *Deae* cum Turrito capite dextera spicas ostentantis, laeva hastam, hujusce sub pedibus figura e fluvio emergens conspicitur, symbolum plane *Damasci* ad Chrysorhoam fluvium appositae, (cui sane Mulieris, cum fluvii ad pedes figura, symbolo alii similes in Damascenis Imperatorum Nummis Typi frequentes occurrunt), in area vero litterae adparent ΛΡ. anni 130. notae. Quas plane notas Epochae *Seleucidarum* esse non posse, ut putat Harduinus, vidit, probavitque Froelichius, quin tamen in caput inquireret, a quo duci tandem annus ille 130. debeat. Et certe si Epochae *Syromacedonum* is esset annus, ducto Epochae initio ab anno U.C. 442, ante Christi natalem 312, idem in annum Christianam ante Aeram 183, U.C. 571. incidisset, longe ante idest, quam in *Arethae* Regis dominationem, una cum *Damasco*, Coelesyriae Regnum transduceretur. Nummus hic itaque si *Arethae* II. tribuendus sit, a quo anno circiter

ter Seleucidarum 229, Christi ante natalem 84, U. C. 670. novum *Damasci* fundatum diximus Imperium, Epocham in Nummo obsignatam fuisse *Arabicam* oportet; quae cum Imperio in Arabia Petraea inito ab *Aretha* I, cui pro *Antiocho* IV. *Epiphane* bellum fuisse cum *Menelao* Judaeorum Pontifice indicatur II. Macchab. v. 8, anno circiter Seleucidarum 120, U. C. 561, ante Christi natalem 193. incepit: quo ipso circiter anno ab *Antiocho* IV. *Epiphane Artaxiam*, & *Zadriadem*, parti Armeniae utrumque praefectum, defectione facta, novo pariter in Armenia Regno initium fecisse alibi ostendimus: a quo ducti anni 130. competunt in U. C. annum 690, Seleucidarum 249, ante Christi natalem 64; quo ipso, aut insequenti Regno a *Pompejo* spoliatum *Aretham* II. a Josepho audivimus. Sin vero Nummus *Arethae* III, cujus mentio II. Corinth. XI. 32. occurrit, adscribendus videatur, tum notata in Nummo Aera nova *Damascenica* procul dubio reputanda erit; cujus initio ducto a Seleucidarum anno 229, U.C. 670, ante Christianam Aeram 84, anni 130, incidunt in Seleucidarum annum 358, U. C. 799, Aerae Christianae 46, qui fuit 11. a *S. Pauli* conversione, ab ejusdem vero *Damasci* mora, ubi a Conversione annos 3. demoratus est, anno 8, qua de Paulina Chronotaxi adeundi Pearsonius in Annal. Paulinis, Usserius in Annal. Vet. Test. ad Christi annos 35, & 37. p. 610, & 615, Natalis Alexander in Hist. Eccl. ad Secul. I. p. 21, & 332. sq. edit. Luc. T. IV, Harduinus, in Chronolog. Actuum Apost., & Comment. p. 326, & 362, Calmetius Prolegom. in Acta Apostol. dissert. T. II. edit. Ven. p. 122, Van-Til Introd. in Epist. ad Rom., & ad Galat. Art. IV. §. 5, Hottingerus in Chronotaxi Hist., & Epist. S. Pauli dissert. 5. §. 15. sqq. p. 314. sqq., Lightfootus Comment. in Acta Apost. cap. 9. p. 797. sqq., Langius de Vita, & Epist. S. Pauli p. 15, Ludovicus Capellus in Chron. Sacr. Tabul. x. apud Waltonum Appar. Bibl. p. 66, Basnagius in Annal. Polit. Eccl. T. I. p. 477, & Exercit. Anti-Baron. p. 151. sqq., Witsius in Praelect. de Vita S. Pauli sect. 2. p. 24. sq., Spanhemius in Dissert. de Apostolatu, & Apostolis, aliique, queis supersedeo. Sed enim hacce *Damascena* de Aera, certioribus deficientibus monumentis, di-

vinando potius, quam certo adfirmando, dicta nobis accipi demum volumus, ac intendimus.

XII. Ad Coelesyriae Urbes nunc alias reflectendo, queis ob collatum a *Septimio Severo* Juris *Italici* Coloniae honorem, Ulpiano referente lib.50. ff. *De Censibus* tit.15. L.1, novae inde, ut superius innui, Epochae auspicatae videri queunt, primus, ut multo promeretur nomine, *Laodiceae* ad Libanum, quae Ptolemaeo *Kabiosa*, in Tabula Peutingeriana *Scabiosa* cognominata legitur, faciendus profecto locus est, utpote cui praeclara ob belli Civilis merita Jus *Italicum* a *Severo* collatum adfirmat Ulpianus loc. cit., velut ipsum Harduinus in Num. illust. p.93, & cum ipso Cellarius Geogr. Antiq. T.II. lib.3. p.373. interpretati sunt. Juxta hos itaque *Laodicea* isthaec Colonia fuit Juris *Italici* facta a *Severo*, deque *Severi* Conjugis *Juliae Domnae* nomine *Julia* cognominata in Nummis *Severi*, *Caracallae*, *Elagabali* &c., indeque factum, ut novam inducere ceperit deinceps Epocham. Quò fit perinde, ut *Domitiani*, *Trajani*, *Antonini Pii* &c. Nummi, ubi *Laodicea Juliae* titulo adornata legitur, ad *Laodiceam* ad Mare referendi sint, eo *Juliae* titulo donatam a *Julio* Caesare, cujus ideo gratia *Caesarianam* ibidem obtinuisse aliquando Epocham supra vidimus: quod non animadvertens, nec accurate distinguens Harduinus in Num. Popul. illust. p.92. sq., & Hist. Aug. p.739, 752, 767. sq. utrosque miscuit inepte Nummos, omnesque *Laodiceae* ad Libanum indistincte tribuit. Atqui magna probabilitate non caret, atque, si velis, longe probabilior haberi Holstenii in Not. ad Stephanum de Urb. p.187, Norisii de Epoch. Syrom. p.281. sqq., ac Longuerue de Var. Epoch. p.124. sqq. opinio debet, de *Laodicea* ad Mare loquutum Ulpianum, hanc ipsam *Liberam* Plinio fuisse dictam, de *Julii* Caesaris nomine *Juliam* adpellatam, & *Autonomia* ab eodem Imperatore adauctam, ejus in honorem *Caesarianam* ultrocitroque amplexatam fuisse; huic ipsi, nova ob merita, Coloniae Juris *Italici* honorem a *Severo* delatum, ideoque ad hanc unam referendos Nummos fore omnes sive *Juliae*, sive *Coloniae*, etiam cum addito *Septimiae*, aut *Severianae*, sive *Metropolis* titulo insignitos, atque cum *Genii* Urbis caput haben-

tis

tis turritum, ac velatum effigie, quae Dei *Luni* est sane, notisque annorum Numeralibus inscriptos, qua de re super. Artic.IV. §.XXVII. sq. disputatum affatim est. Quamquam *Laodicea* ad Libanum ab *Antonino Caracalla* deinde foedus cum Romanis percutere, atque in Civitatis partem Coloniam accipere coacta, novam inde auspicata & ipsa Aeram videtur. Etenim Nummus extat apud Patinum p.298, & Harduinum p.92, eidem *Caracallae Laodiceae* ad Libanum inscriptus, cum litteris MHN. *Mensis* idest, qui & Deus *Lunus* erat *Laodiceae* cultus, cujus etiam alio in simili Nummo comparet Epigraphe Τύχη *Genius* hoc est, velut Harduinus interpretatur; quod indicio est, aut ego fallor, argumentoque *Laodicenis* proprii tum Juris factos, novae operam Epochae posuisse, ad quam annos deinceps suos putare inceperint. Conferendus etiam de Deo *Mense*, sive Μήν, sive *Luno* Cuperus in Harpocrate Antiq. Graec., & Rom. Supplem. Poleni T.II.edit.Ven.p.415.sq.

XIII. Nobilis in Phoenice ad Mare posita Urbs *Tripolis* orationem advocat modo nostram, quae frequens hodie, Emporium a Tyriis, Sidoniis, & Aradiis condita fertur apud Diodorum lib.16. p.504. Scylacem in Periplo p.99, Plinium lib.5. cap.20, Strabonem lib.16. p.519, Melam lib.1. cap.12, ac Stephanum de Urb.p.330. Inde nomen etiam inditum Urbi *Trieres* Daniel.XI.30, junctis Plinio, Strabone, Polybio, ac Stephano persuasum habuit Harduinus in Chron. Vet. Test. p.585; eaque ab homonymis Urbibus aliis Cariae, Lydiae, Ponti, ac Syrtis, item ~~Arcadiae, La~~conicae, Aetoliae, ac Thessaliae probe distinguenda est. Duplex tamen hodie distingui Arabibus *Tripolis* solet, ipsi *Tharabolos* اطرابلس, sive *Athrabolos* denominata, ut alia sit *Tharabolos Al-Schark*, ad Ortum, quae est Syriae Longit. grad.40, Latitud.Septent.34, altera *Tharabolos Al-Garb* ad Occasum, quae ad Africam spectat Latit. Septent. grad.32, Longit.45, qua de utraque Herbelotus in Bibl. Orient. p.145, & Bochartus in Geogr. Sacr. Par.I. lib.4. cap.36. p.306, ac Par.II.lib.1. cap.24.p.479. *Tripolis* jam vero, geminas praeter *Syromacedonicam*, atque *Caesarianam* aliquando, diuque frequentatas Epochas, novam inductam cumprimum Aeram fuisse, ex quo duorum fra-

Mmm 2 trum

trum *Grypi*, & *Cyziceni* civiles ob discordias Syria in partes distracta, aliis, quas possent, alias diripientibus, *Tripolim* invasit *Dionysius* anno circiter Seleucidarum 229, U. C. 670, ante Christianam Aeram 84, exemplo suaderi potest Urbium aliarum, quae eo ipso tempore a Dynastis aliis occupatae tum primo novas putandis annis inducere visae & ipsae sunt Epochas, ut Chalcidis a *Ptolemaeo*, ut Damasci ab *Aretha*, ut Berrhoeae a *Stratone*, ut Bybli a *Cynira*. Sed enim *Tripolitanae* huic Aerae bona in luce collocandae illustriora, certioraque desiderantur monumenta, quam meris indulgere conjecturis liceat: quorum plane defectu neque certi quidquam de *Berytensium* Epocha statui potest: quamvis eae proxime conjecturae queant, ut de eadem silere prorsus nefas sit.

XIV. In Phoenice itaque haud procul a *Tripoli* in littore positam Urbem adeo praedicat antiquam *Berytum* apud Nonnum Dionys. lib. 41. v. 364. p. 1074, ut Κτίσμα Κρόνου a *Saturno* conditam olim antiqui crediderint, Stephano teste de Urb. p. 66. A *Triphone* postquam eversa fuerat, a Romanis fuisse restitutam, duabus Legionibus ab *Agrippa* in eam deductis, scribit Strabo lib. 16. p. 520, cui subscribit Sertorius Ursatus de Notis Roman. Antiq. Rom. Graevii T. XI. edit. Ven. p. 627. sq., pro quo etiam facit Eusebius in Chron. ad Olymp. 191. anno 3, qui fuit U. C. 740, ante Christi natalem 14, Coloniam *Berytum* fuisse deductam adfirmans. Contra ab *Augusto* Coloniam eò fuisse transmissam adfirmat Ulpianus, *Hadriano* teste advocato, lib. 50. ff. *De Censibus* tit. 15. L. 1. Verum a *Julio* Caesare *Berytum* Coloniam fuisse factam, Jusque quidem *Italici*, ac illustre ab eo ideo accepisse nomen *Juliae*, tum adfirmat Plinius lib. 5. cap. 20, tum adparet ex Nummis *Beryti* cum *Turrito*, velatoque *Mulieris* capite, (quo *Cybelem*, Urbemque designari *Metropolim* Imaginatus Haymius in Thes. Britan. T. II. edit. Vindob. 1767. p. 121, castigatus jampridem fuit a Comite Cristiani in Not. T. I. p. 243, in Urbium longe plurium, quae alioqui Metropoles haud erant, Nummis idem conspici Symbolum, istoque unum indicari Urbis *Genium* adnotante), aut cum *Neptuni*, aut *Serapidis*,

dis, aut *Herculis*, aut *Palladis*, aut *Bacchi*, aut *Astartis* effigie, unaque cum titulo *Juliae Augustae Felicis*, datis *Augusto*, *Tiberio*, *Claudio*, *Domitiano*, *Nervae*, *Trajano*, *Hadriano*, *Commodo*, *Severo*, *Caracallae*, *Macrino*, *Diadumediano*, *Elagabalo*, *Gordiano* &c., ulla tamen absque numerali anni nota, inscriptis. Quae ita componi queunt, ut a Colonia a *Julio* deducta *Berytus* primum *Juliae* cognomen desumpserit, de *Augusto* postea, a quo e Legionibus quinta *Macedonica*, & octava *Augusta* eò transducti Coloni fuerant, *Augustae* cognomento fuerit adaucta, qua de re Vaillantius Num. Aer. T.I. p.1, ac Pitiscus in Lex. T.I. p.272. Inde vero augurari fas est a veteribus ibidem Incolis Graecis veterem quidem *Syro-Macedonum* retentam pro more fuisse Aeram, a novis vero Latinis eò deductis Colonis novam *Augustorum* inductam Epocham fuisse, novi deinceps Imperatoris annis obsignandam. Cujusce rei sane argumento est *Septimii Severi* patris, & *Antonini Caracallae* filii Nummus *Beryti* cusus, e Cimelio Regio exhibitus ab Harduino p.33, ubi cum illius capite radiato, istius nudo, Epigraphe isthaec habetur: *Col. Ber. Decennales Antonini Cos. III*, qua nempe significatur *Antonino Caracallae*, postquam *Tribunitiae* Potestatis annos decem explesset, Ludos ejus in honorem *Beryti Decennales* fuisse habitos, atque hosce, sive *Cos. III.* pro Epocha deinceps usurpandos *Berytenses* Cives duxisse. Confirmatur id vero gemino altero *Beryti* percusso Nummo, *Gordiano Jun.* uno apud Patinum p.369. cum nota *Cos.* II, qui cum anno U. C. 994, Aerae Christianæ 241. concurrit; *Valeriano* altero apud Harduinum in Hist. Aug. p.852. cum Epigraphe *Votis Decennalibus*. Quae *Valeriani* Imperio anno 1. utique, Christi 253, U.C. 1006. celebrata recte statuit Harduinus loc. cit.; nam a *Gallieno* filio postea U.C. anno 1015, Christi 262. *Decennalia* fuisse celebrata contra Norisium, qui eadem in annum sequentem differenda putaverat, recte ostendit Pagius in Dissert. Hypat. cap.7. n.6. Appar. in Annal. Baronii edit. Lucen. p.57. sq. In ea quin etiam opinione versatur Erasmus Froelichius in Not. Elem. Num. Antiq. cap.4. p.45, ut putet alte-

alteram jam pridem *Beryti* obtinuisse Aeram, cardine ducto ab U. C. anno 688, Christi ante natalem 66: quo sane a *Pompejo* praelio superatus *Mithradates* Cappadociae, & Phoeniciae Provinciis, Syriaeque parte excedere compulsus est: quo factum videtur, ut alias inter Urbes *Autonomia* donata *Berytus* inde novam, sive in Victoriae memoriam, instituendam Aeram duxerit.

XV. Post Berytum, haud procul a Tripoli in littore, prima, nobilisque Phoenices Urbs altera *Byblus*, non in excelso Colle posita, veluti Strabo scripsit lib. 16. p. 875, sed in littore Maris, uti fidem indubiam faciunt Maundrellius Itiner. ab Aleppo Hierosolymam p. 239., Thevenotus Itiner. cap. 6. p. 443, aliique post ipsos suis in Itiner., Hebraeis olim גבל *Ghebal*, sive *Gobel* Ezech. XXVII. 9, junctis S. Hieronymo in Loc. Hebr., & Bonfrerio in Onom. Urbium Oper. Menochii T. II. p. 184, Syris *Gibelet*, sive *Gibilin*, unde mutato ג. Γ. G. in ב. β. B, facta est Phoenicibus, etiamque Graecis *Byblus*, ut habet LXX Viralis Graeca Interpretatio III. Reg. V. 18, & Ezech. loc. cit., antiquissima fuit Urbs, Stephano de Urb. p. 75. sq., quam a *Saturno* conditam, ac Deae *Baaltidi*, (quae Megastheni, & Abydeno *Beltis* dicta est, Philoni Byblio *Dio*, Poetis *Veneris* est mater, Sanchoniathoni tamen *Veneris* est soror, eadem idest, ac *Astartes* Judaeis, *Atergatis* Phoeniciis) dicatam fabulatus est Sanchoniathon apud Philonem Byblium Eusebio relatum Praep. Evang. lib. I. cap. 7. Post ibi regnasse cum *Malcandro* Rege *Astartis* Conjux fertur, ibidemque *Isidem* recepisse, quae *Osiridis* conjugis, *Harpocratis* filii, juxta Hyginum Fabul. postrema 276, interfecti cadaver inquisitura eò advenerat; indeque factum, ut *Bybli* quotannis in *Osiridis* ibi sepulti honorem *Adonisiaca*, sive Sacra *Adonidis* solemnia haberentur, apud Lucianum de Dea Syra, Strabonem loc. cit., Plutarchum de Isid. p. 356, ac S. Cyrillum Alex. in Isaj. T. IV. p. 282. Ut ut sit de antiquissimis hisce *Bybli* Regibus, Tyriis postea, sicut & tota Phoenices Regio, obnoxia Urbs fuit, eademque, quae postea *Tyrus* a *Nabuchodonozore* Isaj. XXIII. 1. sqq., & 115. sqq., Hierem. XXVII.

XXVII. 3, & XLVII. 4, ac Ezech. XXVI. 3. sqq., & XXIX. 18; junctis Philostrato apud Josephum contra Appion. lib. 1, & Antiq. lib. 10. cap. 11, ac S. Hieronymo in Isaj. lib. 6. cap. 23, queis de infra, fata perpessa, ab anno Christi ante natalem 585. per annos 70, hoc est usque ad annum Christianam ante Aeram 502, (detractis annis 13, quos in Tyri obsidione *Nabuchodonosor* impendit) una cum finitimis Urbibus aliis videtur. Quo demum anno 502. instaurata *Tyro*, & ab Assyriorum jugo in libertatem adserta, suis quoque Juris effecta *Byblus*, ab externo dominio libera mansisse videtur. Quae Persarum jugum subire postinde coacta, proprios etsi Reges habere permissa, tributi sub onere tamen Persis quotannis persolvendi, tandiu illud sustinere necesse ei fuit, quoad usque, una cum caeteris Phoenices Urbibus, in potestatem *Alexandro M.* anno Christianam ante Aeram 333. se ultro, fidemque, pactione interveniente, Regeque *Enulo* a *Darii* Classe, qua cum alii Phoenices quoque Reguli, velut Aradi, Sidonis, ac Tyri, non secus ac Cypri, suas antea Copias adversus Macedones copulaverant, suis abductis navibus, ad Navales *Alexandri* Copias transfugiente, tradidit, testibus Arriano lib. 2, Curtio lib. 4. cap. 2, ac Justino lib. 11. cap. 10.

XVI. Ast enim post *Alexandri* obitum, *Ptolemaeis* Aegypti Regibus, cum Phoenice adjecta, *Byblus* parere coepit, neque destitit, quousque *Ptolemaeo Philopatri* anno Seleucidarum 110, U. C. 551, ante Christi natalem 203. ab *Antiocho* III. *Magno*, una cum Phoenice universa, *Byblus* erepta, qua de re Polybius lib. 5, Appianus in Syr., ac Josephus Antiq. lib. 12. cap. 3, in Syromacedonum Imperium transfusa est. At Syriae postinde Regno, primo sub *Antiochis* VIII, & IX. fratribus *Grypo*, & *Cyziceno*; horumque postea filiis *Seleuco* VI. *Nicatore*, *Antiocho* X. *Eusebe*, *Antiocho* XI. *Philadelpho*, *Philippo*, *Demetrio* III. *Callinico*, & *Antiocho* XII. *Nicephoro*, mutuis se bellis, ac cladibus atterentibus, in partes distracto, finitimis Regulis aliis diripientibus alias, ad seque rapientibus, ut saepe dictum, Tyrannidem apud *Byblum* occupare festinavit *Cyniras*, Strabone

bone teste lib. 16. p. 875, non vero *Tigranes* Armeniae Rex, ut perperam scripsit Auctor Observat. in Chronolog. Vet. Aegypt., Chald., Graec., & Latin. in Dissert. ad Vetera quaedam Monumenta §. LIX. p. 263. A *Tigrane* namque Phoenices, Syriaeque plures Urbes quidem suam in potestatem transductae fuere, non etiam *Chalcis*, quae *Arethae* cessit; non etiam *Damascus*, quae a *Ptolemaeo* capta est; non etiam *Byblus*, quae *Cynirae* obnoxia facta est; nec aliae, queis de supra dictum. *Cynirae* istius sane filius *Adon* fuisse videtur, qui *Cynirejus Heros* ideo Ovidio Metam. lib. 10. in fine dicitur, cujusque Sacra *Bybli* celebrari consuevisse tradit Lucianus de Dea Syra, ubi & a *Cynira* Templum *Bybli* aedificatum, dedicatumque *Veneri* subjungit: quod impurissimis Idololatrarum Caerimoniis infame *Constantini M.* demum jussu fuisse dejectum, funditusque deletum adfirmat Eusebius de Laud. Constant. cap. 8. edit. Taur. p. 672, ac Sozomenus lib. 2. cap. 4. Ex quo demum Syria a *Pompejo* Romanam in Provinciam, U. C. idest anno 690, Christi ante natalem 64, redacta est, *Tigrane* Syria exspoliato, Regulis vero aliis qua regnare sub tributo, Populique Romani fide permissis, qua regno pariter deturbatis, *Cynira*, *Pompeji* jussu, securi percusso, *Byblus* in Provinciae Romanae cum Syria partem concessit, Romano Praesidi facta deinceps obnoxia.

XVII. Juxta diversa itaque *Bybli* istiusmodi fata, diversas ibi frequentatas Epochas fuisse quisque facile percipit. Posterior altera denique *Bybli* inducta Aera in uno comparet *M. Aurelii Antonini* Nummo, qui *Elagabalo* a Vaillantio, *Caracallae* verius ab Harduino Num. illust. p. 37. tribuitur, cui ex hisce duobus tribuendus sit, dubitante Norisio de Epoch. Syrom. dissert. 4. cap. 5. §. 8. p. 490. sq., ubi demum in Harduini opinionem inclinat. Nummi porro *Bybli* procusi extant plurimi, inscriptique *Augusto*, *Claudio*, *Commodo*, *Severo*, *Caracallae*, *Diadumediano*, *Elagabalo*, & *Valeriano*, cum *Astartis*, sive *Veneris Caelestis* effigie, tituloque Ἱερᾶς *Sacrae*, ob *Astartem* videlicet ibidem egregie cultam. Sed in uno hactenus *Antonini* Ca-

Caracallae Numerales anni notae ΔKC 224. repertae sunt, cujus Epochae cardo ab anno U. C. 734, ante Christi natalem 20. deducendus Harduino in Chron. Vet. Test. p.617. recte statuitur; quo ab ipso repetendam similiter *Anazarbi*, atque *Sebaste* in Cicilia Aerae caput cum Norisio ibidem ostendit, ac post ipsum Froelichius in Num. Antiq. cap.4. p.45. Eo nempe anno hosce Asiae tractus lustrans *Augustus*, sicut in Cilicia Urbes beneficiis alias sibi devincire studuit, ac pro meritis alias poenis adficere non abstinuit, sic & in Phoenice, ubi Tyriis, ac Sidoniis ob factiones libertatem ademit, referentibus Josepho Antiq. lib. 15. cap.13, & de Bello lib.1. cap.15, ac Dione lib.54. p.525, *Bybliis* ex adverso in officio pacatis in fidem receptis, suis ipsos agere deinceps legibus, Majorumque libere vivere institutis indulsit. Inde ergo, ab hac idest *Augusti* indulgentia, sive ab *Autonomia* impetrata, sive amicitia cum Romanis instaurata *Bybli* Epocha ineunda est: quo ab anno, U. C. idest 734, ante Christianam Aeram 20. ducti anni 224. in *Caracallae* Nummo signati incidunt in Christi annum 204, U. C. 957, qui fuit Imperii *Caracallae*, ex quo nempe *Septimio Severo* Patre procurante, Senatus decreto Imperator declaratus *Caracalla* fuerat, Christi hoc est 199, U. C. 952, Imperii *Caracallae*, inquam, annus 6. Atque hoc ipso, quo de agimus, U. C. anno 734, Christi ante natalem 20, novam quoque inductam Epocham fuisse veri fit valde quam simile, in *Arabiam* a *Jamblico*, qui paternum ab *Augusto* Regnum recepit; in *Ciliciam* a *Tarcondimoto*, cui paternus similiter Principatus ab *Augusto* restitutus est; in Minorem *Armeniam* ab *Archelao*, qui ab *Augusto* cum Regnum illud accepit, tum Maritimis insuper Ciliciae Urbibus adauctus est; in *Commagenem* a *Mithradate*, cui Provincia isthaec ab *Augusto* ultro est adjudicata; in Insulam *Samos*, cujus Incolae hospitii pretium, ac praemium ab *Augusto*, qui ibidem hyemarat, antequam anno insequenti U. C. 735, ante Christi natalem 19, Romam repeteret, libertatem accepere, Jure *Autonomiae* donati, suisque vivere legibus permissi, queis de Dio lib.54. p.526, sq.; sed de his occasione nata obiter.

XVIII. Urbis inter Phoenicias alterius plurimo illustris nomine, *Sidonis* idest, ad Mare sitae, Epochae nostro nunc terendae sermone succurrunt, quas incudi antequam supponimus, de Urbis antiquitate, origine, nobilitateque praenotasse aliqua non poenitebit. Itaque Urbs isthaec *Sidon*, unde & nomen accepit, *Chanaanis* primogenitum Gen. x. 15. conditorem habuit, ut observatum est Josepho Antiq. lib.2. cap.7, ac S. Hieronymo in Gen. Quaest.10, quos pone sequi dedignati haud sunt Buno in Not. ad Cluverii Introd. Geogr. lib.5. cap.21. p.600, & Marshamus in Can. Chron. Seculo X. p.231, & Seculo XI. p.304: etsi non desint, tum qui *Sidonis* nomen a *Piscatu* ducant, ut Justinus lib.18. cap. 3: Syris enim *Pisces* צִידוֹנָא *Tzidona*, unde Graecis *Sidona*, *Piscatus* vero צַיִד *Tzaid*, sive *Said* Graecis, unde *Bethsaida* derivatum, *Domus Piscationis*, vocantur; tum qui a *Sido* Aegyptio, filio *Aegypti* Libyae Regis, tam Urbem conditam, quam Urbis profluxisse nomen putent; e cujusce stirpe *Melchisedechus* etiam, idest *Melchus* pater *Sedechi*, qui Rex quum esset, & Sacerdos, ideo *Melchisedechus* dictus fuerit, originem quoque traxisse fertur, apud Joh. Malelam in Chronog. lib.3. edit. Ven. p.23, Glycam Annal. Par.II. p.135. edit. Paris., Ven. p.104, Cedrenum Hist. Compend. p.27.sq. edit. Paris., Ven. p.25; conferendique Bochartus in Geogr. Sacr. Par.I. lib. 4. cap.35. p.302, ubi cum Justino facit, Boderianum vero in Lex. Chald. *Sidonis* nomen ab צְרָא *Tzada*, quod est *Admiratio*, derivantem explodit; Relandus in Palaest. illust. lib.3. p. 1010. sq. edit. Ultraj., Norimb. p.745. sq., ac Cellarius Geogr. Antiq. T.II. lib.3. cap.12. §.92. p.379. sq., cui cum Josepho, ac S. Hieronymo loc. cit., quos etiam pone sequutus est Goguetius de Origin. Leg., Art., & Scient. Par.I. lib.4. cap.2. Art.1. p.281, facere magis arrisit, ac *Sidonio Noachi* ex *Chanaane* nepoti Urbis originem, nomenclationemque tribuere. *Tyrum* vero tam antiquitate, nobilitateque, quam origine, potentiaque *Sidon* olim antecelluit, praestavitque adeo, ut *Tyrus* ipsi fasces submittere, atque *Sidonem* pro parente agnoscere quin etiam cogatur. De *Sidone* namque in

in libris cum facris Moyfis, Jofue, & Judicum, tum profanis Homeri Iliad. 3. v. 743., & 6. v. 289, ac Odyfs. 15. v. 114, & 454, Mochi, Dionyfii Alex. in Dionyf. v. 112, & 911, &c. mentio fit, ubi ante *Davidis* tempora de *Tyro* nihil reperitur. Junge, quod *Sidon* in Nummis paffim *Augufti*, *Claudii*, *Neronis*, *Trajani*, *Hadriani* &c. Θεας *Divae* titulo infignita legitur, ob Urbis antiquitatem, ac nobilitatem ideft, ut explicat Harduinus in Num. Popul. illuft. p. 155, cui Bimardus de la Baftie in Not. ad Joberti Num. Scient. in Novis Detectis §.28. T.II. p.306. adhaeret, non ob *Europae* raptae effigiem, uti Vaillantio in Num. Colon. T.II. p.89. vifum eft. Quin etiam *Tyrum* a Sidoniis, ab Afcalonis Rege expugnatis, conditam ante Trojani excidii annum fuiffe auctorem nobis ex Trogo Juftinus fe praebet loco ind. lib.18. cap.3: unde Jofephus Antiq. lib.8. cap.3. *Tyrum* ante Templi *Salomonici* annos 240. a *Sidoniis* aedificatam effert; fed de *Tyro* fuo poft loco. Quò facit etiam Ifaias XXIII. 12. *Sidonis* Coloniam *Tyrum*, Matris deinde aemulam, indicans, velut eum interpretatus eft S. Hieronymus ibidem. Falfus eft vero cum Trogo Juftinus Trojanae cladi *Tyriae* Urbis natales exaequans: nam ex Jofue XIX. 28. fqq. liquet a *Sidoniis* annos diu ante 300, quam Troja caperetur, Coloniam in *Palae-Tyrum*, veterem ideft *Tyrum*, fuiffe deductam, adeo ut eo, quo *Jofue* Palaeftinam inter Tribus Ifraelis partiebatur, ante *Trojae* excidium anno 260, potentia celebris jam *Tyrus* haberetur, uti computat Ufferius in Annal. Vet. Teft. p.24, & 26.

XIX. Jam vero a principio, ufque ad HebraeorumReges, Reges habuiffe proprios *Sidonii* leguntur; inter quos e Thebis Aegypti in Syriam profecti, Coloniaque deducta, *Phoenix*, & *Cadmus* apud *Tyrum*, ac *Sidonem* imperaffe referuntur Eufebio in Chron. ad Abrahami annum 550. Oper. S. Hieronymi T.VIII. p.214., ac Syncello in Chronog. ad an. Mundi 4053. p.152. edit. Parif., Ven. p.121, qua de Colonia fufius infra Cap. infeq. Sua aetate Hieremiae XXV. 22, & XXVIII. 3. *Tyri*, ac *Sidonis* Reges memorati funt, & III. Reg. XVI. 31. *Ethbaäl*, Sidoniorum Regis, occurrit men-

 tio

tio: tametsi III. Reg. v. 6. *Tyri* Regi *Sidonii* obnoxii fuisse videantur, ac Menander in Annal. Phoen. apud Josephum Antiq. lib.9. cap. ult. auctor sit *Sidonios* a Rege *Tyri* ad Assyrios defecisse. Posthac rursus proprios *Sidoniis* fuisse Reges apud Diodorum lib.16.an.2.Olimyp.107., Eusebium in Chronog. p.529, ac Syncellum p.256. edit. Paris., Ven. p. 204. adparet: ubi *Sidonis* Rex *Tennes* memoratur, ab eoque Persarum Regi *Artaxersi Ocho* Urbs prodita dicitur, Cives vero in desperationem acti semet una cum Urbe incendio absumpsisse referuntur; queis de *Sidonis* fatis copiosius Usserius in Annal. Vet. Test. p.146. sq. Ab iis, qui absentes excidium evaserant, Urbs deinde restituta, Persarum sub jugo, tributoque, proprios etsi habere Reges permissa, mansit usque ad *Alexandrum M.*, a quo Regno privatus *Strato*, ejus loco *Sidonis* Rex *Abdalonymus*, (qui Plutarcho lib.2. de Fortuna Alex. *Alynomus*, Diodoro *Ballonymus* dicitur), una cum ipsa *Tyro*, Regioneque utrique adposita Urbi ejus ditioni adjecta, inauguratus traditur Justino lib.11. cap. 10, & Curtio lib.4. cap.2. Exinde *Sidonii Ptolemaeis* Aegypti, ac postea Syriae Regibus *Seleucidis* obnoxii fuere; donec a *Pompejo* in Romanorum potestatem transducti, Syriae Provinciae fuere adjecti. Colonia demum facta *Sidon* comparet in Nummis *Elagabali*, *Anniae Faustinae*, *Juliae Maesae*, *Juliae Paulae*, & *Otaciliae* apud Patinum p.298, 340, & 349, Cuperum p.228, Goltzium p.232, Vaillantium p.141. sq., Harduinum p.155. sq., ac Relandum in Palaest. illust. p.749, aliàs 1015, ubi videlicet cum *Coloniae Aureliae Piae* titulo, *Astartis*, sive *Veneris Caelestis*, sive *Europae* Tauro vectae, sive *Lunae* crescentis effigie; celebrata item *Certamina Sacra Perpetua Oecumenica Iselastica* cernuntur, ac notae rursus Aerae *Syromacedonum*. Quod argumento est, non ab *Antonino Caracalla* utique, ut innuit Ulpianus lib.50. ff. *De Censibus* tit.15. *L.1.*, ac post ipsum persuasum fuit Sertorio Ursato in Not. Rom. Antiq. Rom. T.XI. edit. Ven. p. 628, & Patino p.298, sed ab *Antonino Elagabalo*, ad quem utpote Latinos omnes *Sidone* cusos Nummos cum *Coloniae* titulo pertinere non dubium est, hancce deductam fuisse Coloniam

niam, eoque dein a tempore ad priscam *Sidonios* Aeram *Syromacedonum* fuisse regressos.

XX. Haec de varia *Sidonis* fortuna, juxta quam varias *Sidoniis* usu Epochas venisse inde veri fit valde quam simile. Verumtamen a *Sidoniis* veteri antiquata *Seleucidarum* Aera, quam diu ibidem obtinuisse superius ostensum est, nova suae Urbis specialis Epocha deinde inducta datur ex Nummis intelligi. Nemini ast enim ante Norisium datum est ex Nummis istiusmodi novae *Sidonis* inchoatae Aerae cardinem detegere. Namque Scaliger, qui Isag. Canon. lib. 3. p. 296. primus omnium in *Hadriani* Nummo *Sidone* scalpto ex litteris ZKΣ annum 227. recte collegerat, hujusce tamen anni caput se haud attingere potuisse ingenue fassus est. Holstenio in Not. ad Stephanum p. 292. hoc in Nummo *Hadrianaeo* perperam litterae lectae sunt, pro ZKΣ 227. nempe lectae ZKE 32. Spanhemius de Praest. Num. dissert. 9 p. 872. ex Nummis Scaligero, & Occoni observatis neque *Sidoniae* hujusmodi Epochae cardinem assequi ipse potuit. Harduinus, qui prius *Sidonis* Aeram cum eodem ipso, quo *Ascalonis*, & quo *Tyri* inceperat Epocha, anno congruere perperam fuerat suspicatus, postea Norisio manus dedit in Num. Popul. illust. Oper. Select. p. 155. sq., in Chron. Vet. Test. p. 611. sq., 624, 634, & 636, ac Hist. Aug. p. 719, 753, & 756, in Aerae tamen adsignandi origine deceptus, ut infra ostendetur. Norisius itaque de Epoch. Syrom. dissert. 4. cap. 5. §. 1. Oper. T. II. edit. Veron. p. 436. sqq. ex Nummis Cimelii Regis Gall., ac Medicei *Augusto*, & *Hadriano Sidone* scalptis, quorum prior obsignatus legitur litteris L. ZIP anno 117. posterior HKΣ 228, Divae *Astarti*, denominatae etiam *Europae*, Jud. II. 13., & III. 7. *Astaroth* dictae, item III. Reg. XI. 5., & IV. Reg. XXIII. 13., qua de Josephus etiam Antiq. lib. 8. cap. 2, & S. Augustinus in Judic. quaest. 16, adeundique Baronius ad an. 210, & 399. edit. Luc. T. II. p. 429, & T. VI. p. 313. sq., Seldenus de Diis Syris Syntag. 2. cap. 2, & Cuperus in Harpocrate Suppl. Poleni Antiq. Graec. T. II. p. 419. uterque dicatus, ex gemino insuper *Neroni*, ac *Trajano Sidone* flato cum Notis EOP. anni 175, & ZKΣ.

& ZKΣ. 227. recte colligit *Sidonis* Epochae caput in annum U. C. 643. ante Christi natalem 111. conferendum fore. Siquidem enim Autumnus anni Aerae Christianae 117, U. C. 870. *Trajani* postremus fuerit, *Hadriani* vero primus, inde retroducti anni 227. in Nummo *Trajani*, & in *Hadriani* Nummo anni 228. incidunt in U. C. annum 643, ante Christi natalem 111. Ideo & in *Augusti* Nummo annus 117. cepit ab Autumno anni U.C. 759, Christi 6, ante obitum *Augusti* 8; & in Nummo altero *Neronis* annus 175. cum Christi an. 64, U. C. 817, *Neronis* 11. concurrit. Jungendus & *Claudii* alter, quo de Tristanus p.226, & Harduinus p.719, obsignatus litteris ENP. anni 155, qui ducto, ut diximus, initio ab Autumno anni Christianam ante Aeram 111, U. C. 643. quadrat in U.C. annum 797, Christi 44, *Claudii* 4: videndusque Froelichius in Not. Elem. Num. Antiq. cap.4. p.50.

XXI. Cum Norisio probe faciunt iterum Froelichius in Annal. Reg. Syr. p.101., & 111, Relandus in Palaest. illust. lib.3. p.749, aliàs 1014. sq., ac Massonus apud Haymium Thes. Brit. T.I. p.110. sqq., atque *Sidonis* ab eo stabilitam Epocham Nummis confirmant aliis, nempe ex D. Favvkenerii Cimelio Nummo uno *Sidone* cuso, in quo in parte antica *Antiochi* IX. *Cyziceni*, una cum nomine, radiati capitis exhibetur effigies, in postica epigraphe legitur Ἱερας Ἀσύλου *Sacrae Asylo gaudentis*, cum nota E. anni 5., qui fuit ante Christianam Aeram 107, U.C. 647; altero vero Punicis descripto litteris *Demetrii* III. *Callinici*, etiam *Sidone* cuso apud Massonum in Thes. Britan. Haymii T.I. p.106. sq., & 111. sq. edit. Vindob., D. de Boze, ac Montfauconium in Diar. Ital. p.355., & in Palaeog. Graeca cap.118., ubi cum vultu *Demetrii* nota habetur AK anni 21, qui ducto Aerae initio ab Autumno anni U.C. 643, ante Christi natalem 111, in annum quadrat ante Christianam Aeram 91, U.C. 663. Duobus jam vero ex his *Antiochi* IX. *Cyziceni*, ac *Demetrii* III. *Callinici* Nummis divinare perquam facile contingit, cur factum sit demum, ut *Sidonii*, veteri derelicta *Syromacedonum* Epocha, novam sibi peculiarem adsumpserint. Nempe domestico inter fratres *Antiochos*, ut saepe

saepe dictum est, *Grypum*, & *Cyzicenum*, horumque filios *Demetrium*, ac *Philippum*, exardescente bello, aliarum Syriae, ac Phoenices Urbium exemplo, arrepta *Sidonii* opportunitate, se in libertatem adserere non distulere, indeque novam inducere Aeram non dubitarunt. Aut si mavis, ut & verius autumo, duobus illis fratribus *Grypo*, & *Cyziceno* discordiis se mutuo petentibus, Urbesque in partes rapere certatim satagentibus, factum videri facile potest, ut *Autonomiae* ultra citroque *Sidoniis* indultae beneficio, eam demereri Urbem, sibique devincire *Cyzicenus* studuerit, Quò perinde factum utique fuerit, ut *Sidonii* cum primo, *Cyziceno* ut gratiam pro beneficio rependerent, tum postea, ut *Demetrii* gratiam promererent, Nummos utrique procudere voluerint, in quorum utroque tamen novae, in accepti beneficii, recuperataeque libertatis memoriam, institutae Epochae annum obsignandum utique duxerint. Atque isthaccce mihi quidem novae *Sidonis* inductae Aerae occasio, & caussa veri longe similior videtur, quam quae Harduino in Chronolog. Vet. Test. p.611. excogitata est, a Syriae nempe Regum imperio *Sidonis* defectio, initumque cum Romanis societatis foedus: cujusce rei argumento esse adfirmat Nummos Antiochiae, Apameae, Sidone, ac Tyri, absque Syriae Regum effigie, nomineque, deinceps scalptos. Quam Viri doctiss. conjecturam duo, queis de agimus, Nummi labefactant, penitusque convellunt; meam vero magis alter, magisque confirmat Nummus Sidone flatus apud Haymium cit. p.111, in quo Caput *Muliebre* Turritum, quod Urbis Juris sui indicium est, conspicitur, atque Numeralis MA. anni 41. nota legitur, qua U.C. annus 684, Christianam ante Aeram 70. indicatur: cujusce similem alterum haud recte *Antiocho* IV. tribui a Vaillantio Hist. Reg. Syr. p.200. Nummum inde fit consequens. Sub *Elagabalo* demum, a quo novam eò deductam fuisse Coloniam ex Nummis fit manifestum, *Sidonios* ad veterem *Syromacedonum* Epocham redjisse ejusdem ex *Elagabali* Nummo Super. Artic.I. §.XIV. palam est factum, adeo ut ibi dicta heic denuo refingere non opus utique sit.

XXII. Sidonis Urbs aemula *Tyrus*, ac post Sidonem a Per-

Persis captam, ipsi certe par facta, quin etiam fortasse praeferenda, multo & ipsa celebrem profecto se nomine praebuit; cujusce propterea variis de Epochis antequam agam, nonnulla de nomenclatione, antiquitate, & origine attingere non abs re erit. Atque principio, quod ad nomen pertinet, huicce priscum Urbi nomen fuit Hebraeis, Syris, ac Phoenibus צר, aut צור *Sor*, aut *Tzor*, unde II. Reg., sive Samuel. xxiv. 7. מִבְצַר צר *Mibtzar Tzor*, idest *Munitio Tyri* legitur, ubi pro Ἄρμα Τύρυ *Curriculum Tyri*, ut legit Eusebius in Onom., rectius ex Aquila, & Symmacho Ὀχύρωμα Τύρου *Munitionem Tyri*, sive *Munitam Tyrum* vertit S. Hieronymus, uti rite observatum est Joh. Clerico in cit. Reg. loc. p.355, ac Wesselingio Probab. cap.25. p.217. Quo loci etiam Montfauconius ex Codice Regio ad loc. cit. Reg. adfert A. Σ. Φράγμα Τύρυ *Sepimentum Tyri*, quod eòdem recidit: quo *Tzor* item nomine, absque *Mabsar*, sive *Mibtzar*, Eusebio *Mapsar* scripto, Phoenicum lingua *Rupes* significatur: Rupibus quippe circumquaque Insula cincta sit, ac septa, qua de Nonnus Dionys. lib.40, atque Punicis litteris in Nummis aliquibus *Tyri* cusis notatum creditur, notarunt vero Stephanus de Urb. p.347., ac Theodoretus in Ezech. xxvi. Inde alia dialecto *Syr*, aut *Sur*, aut *Sar* exivit; Aramaeorum vero consuetudine sibilo in T. converso factum est *Tyr*, *Tor*, & *Tur*, cum Graeco exitu Τύρος *Tyrus*, Latina forma vero *Sar*, aut *Sarra*, velut habent Virgilius Georg. lib.2. v. 506, (ubi tamen Servius Tyrum *Sarram* vocatam a *Pisce* interpretatus, quod ibi abundaret, ac Tyriis *Sar*, (quod ex Hebraeo potius סָחַר derivatum *Thachar*, quod est *Mercari*, quasi dictum סְחֹרָה *Thechorah* Urbs *Mercatrix*, significat), adpellaretur, deceptus est sane, Trogi, ut videtur, loco apud Justinum lib.18.cap.3, ubi *Sidon* utique, non *Tyrus*, dicta a *Pisce* refertur, memoriae lapsu dictum id de *Sidone* transferens ad *Tyrum*, quo alioqui nomine *Rupem* significari superius advertimus), Silius Ital. lib.1, 3, 6, 7, 9, 11, & 15. v.205, Festus V. *Sarra*, Ennius in fragm. apud Valerium Probum, Juvenalis Satyr. lib.10. v. 38, Plautus in Truculento Act.11. Scen. 6. v. 19. sq., 58, & Gellius Noct.

Noct. Attic. lib.14. cap.6; cujus adeo notatu dignus, quam integer referri locus nequeat: *Quibus*, inquiens, *Urbibus, Regionibusque vocabula jam mutata sint, quod Boeotia ante appellata fuerit* Aonia; quod *Aegyptus* Aëria; *quod Creta eodem quoque nomine* Aëria *dicta est*; *quod Attice* Ἀκτή; *quod Corinthus* Ephyra; *quod Macedonia* Ἠμαθία; *quod Thessalia* Αἱμόνια; *quod Tyrus* Sarra; *quod Thracia ante* Sithon *dicta sit*; *quod* Seston Ποσειδώνιον; videndique Sidonius Apollinaris Carm.2. Oper. Sirmondi T.I. p.663, Donatus in Praefat. ad Adelphos Terentii, Bochartus in Geogr. Sacr. Par.II. lib.2. cap.10. p.735, ac Relandus Palaest. illust. lib.3. p.772. sq., aliàs p.1046. sq.

XXIIII. Originem, antiquitatemque *Tyri* quod nunc attinet, *Tyrum*, sive uti loquitur Strabo lib.16. p.520, Παλαίτυρον *Palaetyrum*, veterem, idest *Tyrum*, quae a nova *Tyro* in Insula deinde aedificata, triginta stadiis in Meridiem distabat, in Peninsula ipsa posita, eodem, quo *Sidon*, tempore ab *Agenore Cadmi* Patre conditam falso scripsit Q. Curtius lib.4. cap.4: *Tyro* quippe longe antiquiorem *Sidonem*, a qua imo conditam fuisse *Tyrum*, superius ostendimus. Sed fortasse Curtius de nova *Tyro* a *Phoenice Cadmi* fratre annis post 182. condita, qua de quoque Eusebius in Chron. p.214, ac Syncellus in Chronog. p.152. edit. Paris., Ven. p.121, loquutus est. De Veteri, sive de *Palaetyro* vero loquens Auctor Chron. Pasch., sive Alex. p.42. edit. Paris., Ven. p.35. ab *Agenore Libyae*, & *Neptuni* filio, Patre vero *Cadmi*, *Phoenicis*, *Syri*, *Cilicis*, ac *Europae* filiae, *Tyrum* fuisse aedificatam, deque *Tyronis* Conjugis nomine ita adpellatam refert. Utramque postea Veterem idest, novamque *Tyrum Alexander M.* per aggerem junxisse fertur apud Strabonum lib.16. p.520, Plinium lib.5. cap.19, Curtium lib.4. cap.5, Arrianum lib.2, ac Plutarchum in Alex., quae duplici ab altera Tyro in ipsa Phoenice, sed in continenti utraque censita, probe distinguenda est, qua de post Scylacem in Periplo Bochartus in Geogr. Sacr. Par.II. lib.2. cap.17. p.776, ac Relandus in Palaest. illust. lib.3. p.774. sq., aliàs p.1049. sq. Conditam jam vero *Tyrum* Veterem anno 2780. Chri-

ſtianam ante Aeram ex Herodoto lib.2. cap.43, qui ſua aetate, (ideſt ante Chriſti natalem anno 484, juxta Ufferium *in* Annal. Vet. Teſt. p.93, ac Soucietum in Diſſert.2. adverſus Chronolog. Nevvtoni p.72, vel anno 488, juxta Gellium Noct. Attic. lib.15. cap.23, Noriſium de Epoch. Syrom. diſſert.4. cap.2. p.399. ſq., ac Freretum), *Herculis* adhuc Templum annorum 2300. conſpectum fuiſſe ſcripſit, oſtendere adnititur Freretus in Defenſ. Veter. Chronologiae adv. Nevvtonum Par.II. de Chronologia Hiſt. Orient. ſect.2. p.276. Sed enim tam Herodoto ipſi Sacerdotum Fani Tyri hac in re fides ſuſpecta, fluxaque viſa eſt, quam ipſius Herodoti relatio iſthaec fabulam redolere credita eſt Marshamo in Can. Chron. Seculo XI.p.303.ſq., Clerico Comm. in Joſue XIX. 29. Oper. T.II. p.55. ſq., Noriſio loc. cit., Calmetio Comment. in Joſue XIX. 29, ac poſt ipſum Auctori Obſervat. in Chron.Vet. Hebr.,Aegypt.,Chald. &c. in diſſert. ad Vet.Monum. §.42. p.248. ſq.; inde namque fieret, ut *Tyrus* condita fuerit anno Mundi 1265, ante Diluvium 391, non, uti ſcribit per errorem in Dict. Bibl. T.II. edit. Ven. p.491. Calmetius, anno Mundi 1296, ante Diluvium 656: quod valde quam abſonum nemo non videt.

XXIV. Templi viciſſim primi *Salomonici* aedificatione *Tyrum* annis 240. antiquiorem facit Joſephus Antiq. lib.8. cap.2, (unde perperam Nevvtonus *Tyrum* annis 33. dumtaxat Templi aedificationem antevertiſſe contendit); Joſepho vero pollice ſubſcripſit utroque Euſebius in Chron. ad annum Abrahami 738. Oper. S. Hieronymi T.VIII. p.256. ſq., & poſt ipſum Marshamus loc. cit. Quo loci tamen obſervat Schurzfleiſchius,& cum ipſo Vallarſius, atque cit. loco Clericus Joſepho, & Euſebio ſermonem ibi eſſe, non de *Palaetyro* in Peninſula longe antiquiori, ſed de nova *Tyro* Inſulari, quae *Cadmi* tempore poſterior eſt, ideſt *Palaetyro* annis 182. recentior; hancque recentiorem eſſe *Tyrum*, quae a *Nabuchodonozore* poſt exciſa fuit, non *Palaetyrum*, ut Marshamus in Can. Chronog. Seculo XVIII. p.576. ſqq. putat, ex *Palaetyro* a *Nabuchodonozore* deleta novae *Tyro* factum locum opinatus; hancque novam eſſe, quae Graecis, atque

atque Latinis *Sarra* deinde adpellata eſt. Et *Salomonis* certe Templum ſiquidem juxta Uſſerium in Annal. Vet. Teſt. p. 33. condi ceperit ante Chriſti natalem an. 1012, Mundi 2992, abſolutum vero fuerit anno Mundi 3000, Chriſti ante natalem 1005, inde fieret, quod juxta ſupputationem Joſephi *Tyrus* condita fuiſſet Mundi 2760, ante Chriſtianam Aeram 1244, poſt *Joſue* 200, a quo tamen Cap. XIX. 29. *Tyri* fit mentio. De nova quoque *Tyro* loquutus intelligi debet Juſtinus lib. 18. cap. 3. Urbem a Sidoniis ante Trojanum excidium anno uno aedificatam referens, ut acute notatum eſt Noriſio, ac Blanchinio Hiſt. Univ. Dec. III. Seculo XXVIII. cap. 28. p. 385. ſq.; cujuſce poſterioris opinio tamen mihi haud probatur, qua veterem *Tyrum*, ſive *Palaetyrum* annis 300. amplius *Tyrum* novam anteceſſiſſe putat. De *Palaetyro* itaque, ſive *Tyro* veteri loquens tam Euſebius ipſe ad Abrahami annum 550. in Chron. p. 214, ex Sanchoniathonis ideſt ſententia, ipſumque pone ſequutus Georgius Syncellus in Chron. p. 152. edit. Pariſ., Ven. p. 121, ad *Danai*, quem in Chron. p. 206. annis 10. circiter *Cadmo* anteriorem facit Euſebius, aetatem ejus aedificationem, ad annum ideſt 182. ante *Tyri* novae exordium, refert. Haud procul hinc abſuit Auctor Chron. Alex., qui poſtquam p. 42. edit. Pariſ., Ven. p. 35. ab *Agenore* conditam Urbem, deque Conjugis nomine *Tyrum* cognominatam dixiſſet, p. 80. edit. Pariſ., Ven. p. 65. eamdem ante *Templum* Hieroſolymitanum anno 351 aedificatam fuiſſe adfirmat. Juxta quem ideo *Palaetyrus* annis 110. dumtaxat novae *Tyri* aedificationem anteceſſiſſet, quam tamen annos poſt 182. contigiſſe Joſepho, ac Euſebio ſtatutum modo audivimus. Inde vero Scaligeri, Voſſii, Vandalaei &c. conjectura omnino corruit, qui veterem *Tyrum* a nova haud diſtinguentes, hinc Sanchoniathonis elevandam fidem, ut qui *Tyrum* antiquiorem *Gedeone* fecerit apud Euſebium Praep. Evan. lib. 1. cap. 7; illinc Juſtini, (cui jungendus fuerat Joſephus), Chronologiam emendandam ſuſcepere, *Tyrum* conditam Trojanam ante cladem annis aut 70, aut 91. adfirmantes: quos egregie qui refellunt, conferendi Bochartus in Geogr. Sacr. Par. II. lib. 2. cap. 17. p. 776, ac

 Four-

Fournmontius in Reflex. Crit. ad Hist. Vet. Popul. T.I. lib. 1. cap. 2. p. 25, & cap. 3. p. 37.

XXV. Multa jam vero inter alia, quae *Tyro* splendorem ipsam supra Sidonem indidere, Templa imprimis eminebant, ab *Hiramo* potissimum aedificata, *Agenori* puta, *Jovi* Olympio, *Astarti*, & *Herculi*, *Tyrio* inde denominato, Phoenicibus Μελκαρθος *Melchartho*, Sanchoniathone teste apud Eusebium Praep. Evang. lib. 1. cap. 7, *Malichae* Amathusiis e Phoenice oriundis, teste Hesychio, Graecis *Palaemoni* apud eumdem, qui Nonno Dionys. lib. 4. v. 369. p. 1038. non alius est, quam *Sol* ipse, a quo ipsa Urbs *Heraclia* cognominata legitur in *Caracallae*, & *Otaciliae* Latinis Nummis apud Spanhemium p. 300. & 877; quique Marshamo in Can. Chron. Seculo XI. p. 303. idem atque *Moloch* apud Judaeos celebris habitus est, dedicata, in quibus Aureae Columnae, & stantes e Smaragdo Cippi, ac multorum Regum Anathemata. Longe deinde celebre *Tyro* nomen fecere Coloniae ubique ferme Gentium a *Tyriis* deductae; & quamvis fabulis jure merito adcensendum putaverit Bochartus in Geogr. Sacr. P.II. lib. 1. cap. 37. p. 643, quod habet Strabo lib. 17. p. 826, & 829. ex Eratosthene descriptum, Artemidoro tamen rejectum, a *Tyriis* idest infra Lingem itinere dierum triginta Urbes ad Oceanum trecentas exstructas fuisse, quas *Nigretes*, & *Pharusii* postmodum exciderint; veritate tamen undique constat nobiles ubique multas deductas a *Tyriis* fuisse Colonias, inter quas imprimis in Africa, & Hispania *Carthago*, de qua Strabo lib. 16. p. 520, Appianus, ac Tiro Prosper in Chron. Par. I. Antiq. Rom. T. XI. p. 276, *Melita* Insula, & *Gaulus*, velut ex Euripide probavit Samuel Petitus ad Leges Attic. p. 31. sq., in Africa *Leptis*, & *Utica*, in Boeotia *Thebae*, in Hispania *Gades* ad Oceanum apud Plinium lib. 5. cap. 19, & Q. Curtium lib. 4. cap. 4, aliaeque, queis de seq. Capite. Proprios ad haec *Tyrum* a principio Reges habuisse indubium est, priorum etsi memoriam temporum antiquitas, edacitasque oblitteraverit, invideritque. Quorumdam tamen ab aetate *Davidis* *Tyri* regnantium, qui *Sidonis* etiam Reges fuisse viden-

videntur, memoriam, ac nomen ex Dil, ac Menandri Ephefii in Annal. Tyriis nobis fervavit Jofephus contra Appionem lib. 1. p. 1042. fqq., & Antiq. lib. 8. cap. 2, & lib. 9. cap. 15, ex quo eorumdem Catalogum defcripfere Theophilus Antioch. ad Autolycum lib. 3. Bibl. PP. Lugd. T. II. p. 192, Syncellus in Chron. p. 182. fq. edit. Parif., Ven. p. 146. fq.; indeque Scaliger in Excerptis Graec. Eufebii p. 401, & Ifag. Canon. p. 154, Lingius de Annis Chrifti lib. 2. cap. 8, Marshamus in Can. Chronog. Seculo XVIII. p. 579. fq., Petavius Doctr. Temp. lib. 9. cap. 68. fq., & Ration. Temp. Par. II. lib. 2. cap. 13,, ac Fourmontius in Reflex. Crit. ad Hift. Vet. Popul. T. II. lib. 3. cap. 14. p. 277. fqq. Sunt vero fequentes 1. *Abibalus*. 2. *Hiromus*. 3. *Baleazerus*. 4. *Abdaftratus*. 5. *Anonymus* iftius Nutricis filius. 6. *Aftartus*. 7. *Afterymus*. 8. *Phales*. 9. *Ithobalus Aftartis* Sacerdos. 10. *Badezorus* 11. *Margenus*. 12. *Pygmalion*, cujus Sororem *Carthagenam* nomine in Libyam aufugiffe, fuoque de nomine *Carthaginem* aedificaffe fcribit cit. loc. Syncellus. Ab anno Mundi 2931. circiter, ante Chrifti natalem 1073, antequam *David* ungeretur in Regem anno 10, ducto *Abibali* Regni exordio, annos hi omnes regnaffe 199, Menfes 8. feruntur, ideft ufque ad Mundi annum 3130, ante Chriftianam Aeram 874.

XXVI. Longo poft tempore, circa *Nabuchodonozoris* II. hoc eft, ac *Cyri* tempora, Mundi annum 3406, Chrifti ante natalem 598, *Tyri*, ac *Sidonis* rerum fummam geffiffe *Suffetes*, five Judices feruntur apud Jofephum eodem contra Appion. lib. 1., iique fuere 1. *Ithobalus*. 2. *Baal*. 3. *Eonibalus*. 4. *Helbes*. 5. *Abbarus*. 6. *Mytgonus*. 7. *Geraftratus*. 8. *Balatorus* 9. *Merbalus*. 10. *Hiromus*; qui omnes imperarunt annos 66, Menfes 3, ideft ufque ad annum Mundi 3472, ante Chrifti natalem 532. A Petaviano differt hic priorum Regum calculus annis 26, quos retardat Petavius, pofteriorum vero *Judicum* cum ipfo probe concordat: quò facit etiam Ufferius in Annal. Vet. Teft. p. 80. *Ithobali* porro anno 7, Mundi 3413, ante Chriftianam Aeram 591. *Tyrus* a *Nabuchodonozore* obfideri cepit, poftque obfidionis annos 13, ideft Mundi anno 3426, Chrifti ante natalem 578, capta eft

eſt, ut ex Philoſtrato, Dio, ac Menandro refert Joſephus loco cit. adv. Appion., & Antiq. lib.10. cap.11. Quo a Petaviano calculo diſcrepat annis 6. Uſſerius, *Tyri* obſidionis exordium in annum Mundi 3419, Chriſtianam ante Aeram 585. conferens, deditionem vero cum Mundi anno 3432, ante Chriſti natalem 572. copulans in Annal. Vet. Teſt. p.72. ſq. *Ithobalo* itaque a *Nabuchodonozore* ſuffectus. ac *Tyro* praefectus *Baal* videtur, qui non tam proprio, quam Aſſyriorum Regum nomine *Tyri* poteſtatem Judiciariam exerceret, Praefecturamque gereret; ſicque poſt ipſum Phylarchi alii, ſive *Judices* Tyriis non modo, ſed etiam Sidoniis Jus dixiſſe videntur. Donec *Hiromi* anno 14, a *Cyro* Babylone capta, eodem Joſepho ex Annalibus Tyriis referente, ideſt Mundi anno 3466, ante Chriſtianam Aeram 538, ab *Ithobali* anno 7. ad *Hiromi* annum 14. elapſis annis 54, ac Menſibus 3, *Tyrus* ab eodem *Cyro* annos poſt 50, ideſt a capta per *Nabuchodonozorem Tyro* anno 70, Mundi 3496, Chriſti ante natalem 508, (quo a Petavii computo annis 6, ut ſupra jam dixi, Uſſerius diſcordat in Annal. Vet. Teſt. p.88, ubi annos 70. capta a *Tyro* completos anno Mundi 3502, ante Chriſtianam Aeram 502. ajt), *Tyrus*, inquam, a *Cyro* Juri reſtituta ſuo, ad priſtinam regredi potentiam viſa eſt: quo anno completos depreſſae a *Nabuchodonozore* *Tyri* annos 70. ab Iſaja XXIII. 15, & 17. praedictos obſervat S. Hieronymus in eumdem Prophetae loc. lib.6.

XXVII. Inde igitur, ideſt a Mundi anno 3498, juxta Petavium, ſive anno 3502, juxta Uſſerium, Chriſtianam ante Aeram 508, ſive 502, fui facta Juris *Tyrus*, (quo pariter beneficio a *Cyro* donata *Sidon* videtur, indeque proprios iterum habere Reges cepiſſe uſque ad *Artaxerſem Ochum* non modo, a quo anno Mundi 3653, ante Chriſti natalem 351. exciſa *Sidon* eſt, ſed etiam uſque ad *Alexandrum M.*, a quo *Sidonis* Regno *Stratone* Rege amoto, *Abdalonymum* fuiſſe admotum, *Tyro* ipſa, cum Regione Urbi adpoſita, inſuper adjudicata, ſuperius diximus), fui inquam, facta Juris *Tyrus*, ab *Artaxerſis Ochi* indignatione in *Sidonem* exardeſcente deinde immunis, ab externo dominio, ac per-

pervasione libera quoque. propriis sub Regibus usque ad *Alexandrum M.* permansisse videtur. Post septem itaque obsidionis Menses ab *Alexandro*, una cum *Azelomico* Rege, capta *Tyrus* anno Mundi 3672, ante Christianam Aeram 332, testibus Diodoro lib. 7. cap. 40. ad Olymp 112. an. 1, Josepho Antiq. lib. 11. cap. ult., Curtio lib. 4. cap. 15, Plutarcho in Alex., Justino lib. 11. cap. 10, Arriano lib. 2. capp. 42, & 49. Polyaeno Stratag. lib. 4, &c., aggere injecto, novae in Insula sitae, vetus juncta *Tyrus*, atque *Sidonis* Regi *Abdalonymo* contributa est: quo ex tempore Sidoniis iterum obnoxii Tyrii esse ceperunt. Atque de hocce *Tyri* excidio sub *Alexandro M.*, ac post annos 70. ejusdem Urbis instauratione accipiendum Isajae Cap. XXIII. vaticinium multis videtur. Aliis e contra cum Grotio e Commate 13. de Assyrio Rege *Salmonasare*, cui obnoxia Chaldaea erat, censentibus; caeteris vulgo de *Nabuchodonozore* intelligendum verius existimantibus, ut qui Ezech. XXVI. 7, & XXIX. 18. praedictae *Tyri* eversionis auctor nominatim adpellatur. Quod suo confirmatum a Josepho testimonio audivimus; cum Josepho vero faciunt Judaei in *Seder Olam*, antiquo idest Chronico cap. 26. a *Nabuchodonozore* anno Regni 23. *Tyrum* oppugnatam adfirmantes. Quamquam Menandro Ephesio apud Josephum Antiq. lib. 9. cap. ult. auctore discimus a *Salmanasare* Phoenicem universam suo fuisse dominio adjectam, atque *Tyrum* ab eodem *Salmanasare* quinquennio, ab anno idest Mundi 3287, ante Christi natalem 717, sub *Ezechia* Rege Juda, *Tyri* regnante *Elulaeo*, Ruffino veteri Josephi Interpreti *Hylysaeo*, Scaligero vero perperam *Elisaeo* dicto, obsidionem sustinuisse.

XXVIII. Novam porro *Tyrum* a *Nabuchodonozore*, eversam fuisse, quam juxta Isajae XXIII. 15. sqq., ac Ezechielis XXVI. 2. sqq., XXVII. 2. sqq., XXVIII. 2. sqq, & XXIX. 17. sq. prophetiam non amplius reaedificata est, docet S. Hieronymus in Ezech. XXVI. 18, & Amosi I. Contra Marshamo in Can. Chron. Seculo XVIII. p. 576. sqq., Pridaeo in Hist. Jud. Par. I. lib. 2. edit. Ven. p. 132. sq., ac Perizonio in Addendis ad Origines Babylon. p. 365, *Palaetyrus*, vetus

tus idest *Tyrus* eversa visa est. Sed enim veterem hancce *Tyrum*, sive *Palaetyrum* ab *Alexandro* eversam fuisse didicimus a Josepho, Diodoro, Curtio, aliisque supra citatis. Quò fit, ut Neotoricorum horum opinioni S. Hieronymi, cui adstipulari, suo prae Populari Jacobo Perizonio, maluit Relandus in Palaest. illust. lib.3. p.775. sqq., aliàs p.1050. sqq., S. Doctoris sententiam multis confirmans, praeferenda sententia sit. Quo loci illud observatu dignum cum Ezechielis Cap.xxix. 17. sq. Chronologia probe Tyriorum Annales congruere. Captam enim *Tyrum* a *Nabuchodonozore* anno 26. captivitatis *Joakimi* scribit Ezechiel; qui juxta computum *Nabonassari* fuit annus 32. Regni *Nabucodonozoris*, a quo usque ad *Cyri* initum Babylone imperium anni 36. juxta Theonis Canonem Astrom. interfluxere, annus vero captivitatis *Joakimi* 37. fuit *Nabuchodonozoris* annus 43, ac ultimus. Quocirca falli Petavium Ration. Temp. Par.II. lib.3. cap.4. p. 175. edit. Ven. adnotat Perizonius in Addendis ad Origin. Babylon. p.358. sq., qui sententiam suam Doctr. Temp. lib.9. cap.67. corrigens *Nabuchodonozoris* Regni exordium aliud a Babyloniis, aliudque a Judaeis fuisse statutum adfirmat, ab his nempe illud ab Expeditione in Syriam, ac Judaeam, hoc est ab anno 4. *Joakimi* repeti, ab illis vero biennio tardius, duobus idest a Patris obitu annis deduci, adeout *Nabuchodonozori* Regni anni a Judaeis 45, a Babyloniis 43. tributi fuerint. Nam IV. Reg. xxv. 27, & Hierem. III. 31. dicitur *Jechonias* anno 37. a sua deportatione e carcere eductus fuisse in Aulam ab *Evilmerodacho Nabuchodonozoris* filio anno 1. istius regni: quibus annis 37. additi 7, qui a *Nabuchodonozoris* anno 1, sive a *Joakimi* anno 4. usque ad *Jechoniae* deportationem interfluxere, summa conficietur annorum 43. pro *Nabuchodonozoris* Imperio. Post *Alexandri* obitum jam vero *Ptolemaeis* Aegypti Regibus cum Phoenice, ac Sidone adjudicata *Tyrus* est; sed *Ptolemaeo Philopatri* erepta ab *Antiocho* III. *Magno*, Polybio lib.5. teste, ante Christi natalem anno 219, U.C. 535, Seleucidarum 94, Syriae Regibus obnoxia mansit usque ad U.C. annum 628, ante Christianam Aeram 126, Seleucidarum 187, quo

187, quo in libertatem se adserere rursus Urbs visa est: quoadusque a *Pompejo* cum universa Syria, ac Phoenice Romanam in Provinciam anno U.C. 690, Christi ante natalem 64, uti plus vice simplici dictum, redacta est. Fama quidem, atque memoria pristini splendoris *Tyrum* libertatem, & *Autonomiam* meruisse, fuisseque adeptam tam sub *Syromacedonum* Regno, quam sub *Romano* Imperio scripsit Strabo lib.16. p.522: quin tamen indicaret, quo sub Rege Syriae, quove Romano sub Principe factum id fuerit. Quod ipsum fit manifestum ex Inscriptione apud Gruterum p.1105, ubi *Tyrus* Τῆς Ἱερᾶς καὶ Ἀσύλου καὶ Αὐτονόμου Μητροπόλεως Φοινίκης elogio celebrata in Epistola Puteoli ad Tyrios exarata reperitur ulla tamen absque Numerali anni nota. Sed enim de *Autonomia* a Syriae Rege *Alexandro* II. *Zebina* impetrata ex Nummis infra constabit utique, quin adhuc constet attamen, quo demum ab Imperatore Romano, an videlicet a *Pompejo*, an a *Julio* Caesare, an ab *Augusto*, *Tyriis* confirmata eadem fuerit. Coloniam tamen a Romanis accepisse, a liquido *Septimio Severo* eò inlatam, constat tam ex Ulpiano lib.50. ff. *De Censibus* tit.15. L.1. §§.2. 3. &c., & L.6. 7. 8. ibid., quam ex Nummis *Caracallae*, *Getae*, *Diadumediano* &c. flatis, ubi diserte *Septimiae* titulo decorata Urbs legitur.

XXIX. Hisce de *Tyri* originibus, antiquitatibus, Regibusque praehabitis, ad ejusdem progrediendo nunc Epochas, propriam *Tyriis* propriis sub Regibus primitus usurpatam fuisse haud dubium videri potest: quoadusque, sub Aegypti Regibus *Lagidarum*; subque Regibus Syriae perinde *Syromacedonum* Aerae adaptare se se *Tyrii* coacti sunt, tandiuque ab eadem adhibenda Epocha, veluti demonstratum est super. Artic.1. §.XIII, haud destitere, quoadusque *Seleucidarum* excusso jugo, in libertatem *Tyrii* adserti sunt, & *Autonomia* donati, novam inde, in accepti beneficii memoriam, ejusque in honorem, a quo illud acceperant, instituendam duxerunt Epocham. Atqui quo demum a Rege proprii facti Juris fuerint *Tyrii*, quove perinde ab anno nova isthaec a *Tyriis* inducta fuerit Aera, certo definire

haud facile contingit, gravi inter Chronologos jurgio, liteque intercedente. *Tyrios* namque *Autonomiam* consequutos fuisse ab *Antiocho* VIII. *Grypo* Seleucidarum anno 180, U.C. 621, ante Christianam Aeram 133, ideoque abhinc eorumdem inire Epocha visa est Spanhemio de Praest. Num. dissert. 9. p.878, Eusebii in Chron., ac Synodi Chalcedonensis Act.9. auctoritate moto. Ex Nummis potius Epocham hanc e fore statuendam persuasum habuit Vaillantius in Hist. Reg. Syr. p.304. sq., ac 319. sqq., quam ideo ab *Antiochi* VII. *Evergetis* anno 1, a quo videlicet *Asyli* jure donatos *Tyrios* existimat, idest anno Seleucidarum 174, ante Christi natalem 139, U.C. 615. ipse repetit. Eusebii vicissim testimonio ductus Harduinus Epocham hanc ab anno U.C. 629, Christianam ante Aeram 125, Seleucidarum 188. inchoandam opinatus aliquando fuerat; qua post ab opinione digressus ad Norisianam se recipere haud dedignatus est. *Tyri* celebratos Agones *Quinquennales*, *Antiocho* IV. *Epiphane* praesente, eòque missos quin etiam a *Jasone* homines, qui Argenti talenta 300. in sacrificium *Herculis* offerrent, quae ab *Antiocho* in Triremium fabricam erogata fuere, refert Auctor II. Macchab. cap.4. v. 18. sqq. Celebratos eos porro *Tyri* ludos fuisse Mundi anno 3830, ante Christianam Aeram 174. existimat Usserius in Annal. Vet. Test. p.296; anno Mundi 3830, ante Christi natalem 171. censet Daudius in Not. Chronol. ad Macch. loc. cit.; anno Mundi 3846, Christianam ante Aeram 175. Soucietus arbitratur in Fastis Mundi p.32. Et inde itaque nova *Tyri* putandis annis, quod frequens apud Graecos fuisse scimus, instituta Aera videri potest, quae frequentata magis fuerit, magisque perinde sub Romanis, queis *Quinquennales* acceptissimos Agones fuisse ignorat nemo.

XXX. Verumtamen longe ad veritatem propius accedit, quae prius Scaligero insedisse legitur de Emend. Temp. lib.5. p.437. sq. opinio, quam ambabus perinde amplexi sunt ulnis Usserius in Annal. Vet. Test. p.356, Norisius de Epochis Syrom. dissert.4. cap.3. p.405. sqq., ac Froelichius in Annal. Reg. Syr. p.88., & 103, ac in Num. Antiq.

p.52;


p.52; juxta quam Olympiadis 163. anno 3, Seleucidarum 187, U.C. 628, Christi ante natalem 126, ab *Alexandro* II. *Zebina* Syriae Rege *Autonomiam* consequuti *Tyrii*, ideo quod aut *Tyri* hujus aemulus *Demetrius* II. *Nicator* interfectus fuerat, aut prae *Demetrio*, partes *Alexandri* potius *Tyrii* fuerant amplexi, novam inde ab eodem idest anno Urbis suae Epocham deducendam duxere. Et certe Eusebius in Chron. ad Olymp.254. an.2. Oper. S. Hieronymi T. VIII. edit. Vallarſ. p.769. cum *Tyriorum* anno 402. sua utique sententia, (aliena 303.), annos componens *Antiochenorum* 325, *Laodicensium* 324, ac *Probi* Imp.2, docet nos utique *Tyriam* Aeram ab Autumno anni U.C.628, ante Christi natalem 126. repetendam esse; quo nempe ab anno ducti anni 402. desinunt in Christi annum 277, U.C. 1030, qui fuit *Probi* Imp. annus 2, *Antiochenorum* 325, initio ducto ab Autumno anni U. C. 705, *Laodicensium* 324, exordio capto ab Autumno anni U.C. 706. In Judicio ad haec *Tyri* habito de Episcoporum Tyri, ac Beryti Jure Metropolitico, Synodi Chalcedonensis Act.9. inserto apud Harduinum Collect. Concil. T.II. p. 503. annus post Consulatum *Flavii Zenonis*, & *Posthumiani* cum *Tyriorum* anno 574. conjunctus legitur; & in Synodo Costantinopolitana sub *Menna* Act.5. apud Harduinum T.II. p.1354. cum anno *Tyriorum* 643. copulatur *Indictio* XII. Jam vero character illorum Consulum annum indicat Christi 449, U.C. 1202, & *Indictio* XII. annum designat U. C. 1271. Christi 518, ~~veluti nitide~~ ostendit Norisius cit. differt. cap.4, p.422. sq. Igitur anno U.C. 628. si addantur anni 574, fient anni 1202, & si addantur 643. fient 1271. Atque ita si ab anno Christi ante natalem 126, numerentur anni 449. exsurget annus *Tyriorum* 574; si numerentur 518, prodibit *Tyriorum* annus 643. Eadem suaderi demum ex Nummis Epocha potest apud Begerum, Spanhemium, Vaillantium, Norisium, Froelichium &c. *Tyri* cusis, duobus praesertim, in quorum uno *Herculis* laureati effigies in parte antica conspicitur, in altera cum Epigraphe Ἱερᾶς ϗ Ἀσύλου *Tyri Sacrae*, & *Asylo gaudentis*, nota legitur L. H. anni 8; in altero vero cum eisdem effigie, & epigraphe litterae habentur EK. anni 25,

 qui

qui fuere U.C. 635, & 652, ante Christi natalem 119, & 102. Quam pariter ad Epocham pertinere mihi videntur potius Nummi sex alii, in quibus Mulieris, sive *Genii* caput velatum, ac turritum, quod *Autonomiae* indicium esse saepius observatum est, habentis effigies adparet, Numeralesque annorum notae leguntur AKC. 221, ΛΣ. 230, ΔΛΣ. 234, ΗΛΣ. 238, ΑΜΣ. 241, & ΓΜΣ. 243, quos haud recte ad *Syromacedonum* Epocham referri ad Harduino, ac Froelichio persuasum habeo. Quamquam fateor, difficillimum ex Nummis *Tyri* procusis novam hancce, qua de agimus, *Tyriorum* Epocham definiri posse: quandoquidem Nummi plures extant *Tyri* nedum post *Alexandri* II. *Zebinae* tempora, sed etiam postrema sub *Augustorum* aetate percussi, in quibus certe prior *Seleucidarum* Epocha signata comparet. Quo augurari fas est utramque promiscue *Tyriis*, tam idest Veterem, quam Novam usu Aeram venisse: atque de Syriae Urbium Epochis hactenus, finisque heic dicendi fiat.

Partis I. Tomus V.

EXPLICIT.



INDEX

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

Quae

gustus. Nova porro, una cum novi *Aegyptiaci* fixi anni forma, *Aegyptiaca* ab eo, quo ab *Augusto* capta *Alexandria* fuit, anno Christi ante natalem 30. Aera haud auspicata est, bene vero quinquennio post, Christi ante natalem anno 25, a quo nempe Neomenia *Thoth* anni tam *Vagi*, quam *Fixi* in diem 29. Augusti concurrit, incepit. A veteri etsi *Vagi* anni forma apud Aegyptios Astronomi plerique neque perinde discesserint. *Actiaci* tamen anni non a Victoria ad *Actium* Christi ante natalem anno 31, sed ab anno seq. captae *Alexandriae*, Christi ante natalem 30, *Augustaei* vero a Kalendis Januariis anni Christi ante natalem 27. inchoari consuevere p. 113. sqq., 115. sqq., & 118. sqq.

Aera ab Imperatorum anno 1. Imperii exordio capto in Nummis apud Aegyptios obsignata saepius inspicitur p. 120. sqq. *Hadriani* signatim ab ejus in Aegyptum *Adventu* initio ducto in Aegypti Urbium Nummis Aera notata comparet p. 122. sqq. *Antonini Pii* gratia, item, beneficia ob accepta, nova in Urbium Aegypti Nummis Aera notata fuit: cui pariter nova gratulatae leguntur Epocha Urbes alibi pleraeque aliae p. 126. sq. Imperatorum perinde aliorum in Nummis annos obsignare delectati Aegyptii leguntur; *M. Aurelii* praesertim, atque *Commodi*, ita ut ex utriusque annis una facta Aera fuerit p. 127. sqq., & 129. sq. *Diocletiani* tandem in honorem nova ab Aegyptiis instituta Aera est: cujusce tamen Aerae caput duplex accurate distinguendum est; aliud ab eo, quo ille auspicatus Imperium est, anno Christi 284. capiendum, in quo decepti aliqui sunt; cujusque anni cardo a die 29. Augusti ductus ab Aegyptiis est, a Latinis vero a die 17. Septembris, in quo erratum aliquibus est; alterum a mota in Christianos a *Diocletiano* persecutione Imperii anno 20, Christi 303. Atque prior quidem *Diocletianaea* Aera Aegyptiis, Graecis, ac Latinis adhibita fuit; posterior vero Coptis, ac Jacobitis usu perinde venit p. 130. sqq., & 132. sqq.

Aera in Africae Urbibus primitus usurpata haud altera fuisse videtur, quam ea, quae prisco apud Phoenices usu fuerat, a *Praefecturis* videlicet inita p. 134. sq. In Africae deinde Provinciis, ex quo Reges obtinere ceperunt, altera, a Regni cujuslibet initio cepto, inducta videtur p. 139. sqq., & 141. sq. Ubi in Africae Regum Nummis nota R. cum numeris haud *Remissas*, velut Harduino visum, sed Regum annos designari ostenditur p. 142. In Cyrenaica ab eo, quo a *Batto* Regia *Cyrenes* Urbs condita fuit, anno nova incepisse Aera videtur p. 142. sqq. Quo tamen anno condita fuerit *Cyrenes* haud utique liquido constat *ibidem*. Diversa tamen perinde sub aetate, qua diversa *Cyrenes* subire fata visa est, modo Libera facta, modo a Tyrannis occupata, modo usurpata a Macedonibus, modo a Romanis *Autonomiae* restitu-

E

La-

L

Ma

M

N

Phar-

sq.

T

Urbes



ERRA-

ERRATA. *EMENDATIONES.*

Pag.1. lin.4. Νεωκορῖς Νεωκορεῖς. p.2 l.34. *Apollonis Apollinis.* p.8. l.7. Tyathira Thyatira. l.35. Χτρατηγὸς Στρατηγός. p.26. l.33. Aphrodiensibus Aprodisiensibus. p.39. l.14. iu in. p.55. l.32. Thyrus Tyrus. p.105. l.1. unit nuit. p.121. l.10. apnd apud. p.143. l.28. ex ante Dionysio ex Dionysio. p.171. l.30. *Amenopbim Amenophim.* p.180. l. 15. Stegionesque Regionesque. l.16. Rat stat. p.211. l.37. *Parannus Parannus.* p.235. l.25. Berooeam Berrhoeam. p.284. l.18. Caelesyria Coelesyria, ita saepius ibi. p. 304. l. 31. *Soleucidarum Seleucidarum.* p. 332. l. 32. iusignia insignia. p.336. l.28. *Domne Domnae.* p.402. l.3. Aegyg. Aegypt. p.442. l.6. *Tbamar Thamar.* p.447. l.30. *Vaballatbum Vaballathum.*



